DECISIONES
SACRAE ROTAE ROMANAE

Coram Eminentissimo

IO. GARZIA CARDINALI
MILLINO

EIVSDEM ROTÆ OLIM AVDITORE.

Nunc primum in Lucem prodeunt.

MVM
AD ILLVSTRISS. NOBILISSIMVMQ; VIRVM DOMINVM

DON ALPHONSO
DELA TORRE ET VERNA.



VENETIIS. Apud Guerilios. MDCXLIX.

Superiorum permissu, & Priuilegio.

ILLVSTRISSMO NOBILISSIMOQ; VIRO DOMINO
DON ALPHONSO
DELA TORRE, ET VERNA
A consilijs Catholicę Maiestatis Philippi Quarti Hispaniarum vtriusq; Siciliæ, & Indiarum Monarchæ

Necnon Regiæ Vallisoletanæ Cancellariæ eiusdem Auditori Regnorumq; omnium Dicti Regis in Romana curia generali negotiorum agenti &c.

IOANNES PAVLVS ROCCHETTVS. S.

COgitanti mihi Cuinam sublimioris Tribunalis Celeberrima decreta, Sacræ videlicet Rotæ, in ordinem à Doctisimo æque ac Pręclarissimo Viro Ioanne Garzia Cardinali Millino digesta, à me perquisita, Ediq; typis procurata dicarem; Vnicum mihi suggessit animus Eligendum te (vir Illustrisime) cuius humanitate raptus eidem me consecrarat sed neq; vt spero, temere, vel minus prudenter. Cum enim re vera Non secus ac nomine, tu sis Editisima nobilissimaq; Turris eruditionis qua mediante tuti Portus Indicium Prudentisimis quibusq: in Vastisimo Iurium Oceano vela dantibus affulgeat, Sacrarum huiusmodi sententiarum Lux sub

auſpicijs tuis produci debuit, Nec tamen eſt quod Aliquis ſplendori tuo quid quam addere ne poſse ſic arbitretur, tantus enim eſt, vt eius augumentum dignoſcere ſit difficilius quam reliqua ſydera exorto illorum Principe. Solius Igitur obſeruantiæ meæ te proteſtor eſſe argumentum, opus hoc, quod tibi dedico: & illud ſi benigne complexus fueris Immortali tuo ſplendori Librum, Orbemq; totum maiori luce decorabis. Vale.

IN-

INDEX CAVSARVM
IN QVIBVS FACTÆ SVNT DECISIONES
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
IN PRÆSENTI VOLVMINE POSITÆ.

Alphabetica ſerie diſpoſitus.

A

B

Index Decisionum.

Hi-

Par-

R

Ro-

S

F I N I S.

INDEX ARGVMENTORVM
DECISIONVM
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
QVÆ IN PRÆSENTI VOLVMINE
CONTINENTVR,
VNA CVM INDICE CAVSARVM
PRO VT IN VOLVMINE IACENT.

BOnonien.de Blanchettis. *Mercurii 20. Nouembris* 1591.

Argumentum. I.

Euictio proueniens ex natura rei, an debeatur.

Florentina Archipresbyteratus. *Lunæ 2.Martij* 1592.

Argumentum. II.

Augmentum dotis faciendum pro reseruatione Iurispatronatus, debet fieri de certis bonis, ex quibus fructus percipiuntur.

Bononien.de Blanchettis. *Veneris 6.Martii* 1592.

Argumentum. III.

Obligatus ad legitimam,& generalem defensionem, & ad euictionem in forma, an teneatur ad euictionem prouenientem ex natura rei.

Hispalen.Beneficiorum.*Veneris 6.Martii* 1592.

Argumentum. IV.

Simonia conuentionalis,in quo cęsa tolli dicatur.

Gerunden.Statuti.*Lunæ 9.Martis* 1592.

Argumentum. V.

Agitur de irreleuantia articulorum.

Ostien.& Velitren. Pensionum. *Lunæ 15.Martii* 1592.

Argumentum. VI.

Pensiones assignatæ Suffraganeis, an censeantur assignatæ propter onus Pontificalia exercendi; an potius, vt suum statum decentius sustinere possint.

Florentina Bonorum. *Veneris 17. Aprilis* 1592.

Argumentum. VII.

Depositum multis modis probatur; De quibus in Decisione.

Veronen. Pensionis. *Veneris 24.Aprilis* 1592.

Argumentum. VIII.

Pensio secunda,non facta mentione primæ, an,& quando sit valida.

Recanaten. S. Antonij. *Lunæ 27.Aprilis* 1592.

Pro Argumento legatur Summarium.

Regien. Prioratus. *Mercurii 29. Aprilis* 1592.

Argumentum. X.

Descendentia quomodo probetur, ad effectum Iurispatronatus.

Romana Domus. *Lunæ 11.Maii* 1592.

Argumentum. XI.

Dominium, ad effectum recognitionis, & solutionis canonis, quomodo probetur.

Romana Cambiorum de Gradis.*Veneris 15.Maii* 1592.

Argumentum. XII.

Agitur de damno emergenti, ob quod vitandum possint pecuniæ sumi ad interesse.

Romana Hæreditatis. *Lunæ 25. Maii* 1592.

Argumentum. XIII.

Legatum quando non admittat dilationem temporis ad eius solutionem: Et quando dicatur reformatum.

Recanaten.Beneficij S.Antonij.*Lunæ 25.Maii* 1592.

Argumentum. XIV.

Subrogatio gratiosa quando non tribuat titulum.

Brixien. Parochialis. *Lunæ 8.Iunii* 1592.

Argumentum. XV.

Restitutio aduersus rem iudicatam, quid operetur.

Romana Cambiorum de Gradis.*Veneris 19.Iunii* 1592.

Vide Decis. 12. Ex qua sumi potest Argumentum.

Regien. Prioratus.*Lunæ 22.Iunii* 1592.

Argumentum. XVII.

Restitutio in integrum quando non competat aduersus rem iudicatam.

Catanien.illegitimitatis.*Veneris 26.Iunii* 1592.

Argumentum. XVIII.

Agitur de impedimentis contra executionẽ remissoriæ.

Romana Hæreditatis.*Veneris 26.Iunii* 1592.

Ex Decis. 13. in hac eadẽ Causa desumi potest argum.

Veronen. Pensionis. *Mercurii 1. Iunii* 1592.

Argumentum. XX.

Agitur de reseruatione pensionis,cum decreto, quòd si

ante

Ar-

Ar-

Argumentum. CCLXXXIX.

Quaſi poſſeſſio filiationis in quo caſu non ſuffragetur neque in petitorio, neque in poſſeſſorio.

Valentina Expenſarum. *Lunæ* 26. *Nouembris*. 1601.

Argumentum. CCLXXXX.

Agitur de cambijs, & recambijs.

Romana cenſus Scutorum 18000. *Lunæ* 26. *Nouembris* 1601.

Argumentum. CCLXXXXI.

Emptor ſoluens creditoribus deſcriptis in liſta contenta in Inſtrumento venditionis, an poſſit moleſtari a creditoribus anterioribus venditoris.

Romana Domus. *Mercurij* 28. *Nouembris* 1601.

Argumentum. CCLXXXXII.

Caducitas ob non ſolutum canonem, quando non habear locum.

Romana de Perottis. *Lunæ* 3. *Decembris* 1601.

Argumentum. CCLXXXXIII.

Proteſtatio ſocij de accipiendo pecunias ad ſocietatem officij, quæ requirat, vt afficiat alterum ſocium.

Romana bonorum de Cincijs. *Lunæ* 3. *Decembris* 1601.

Argumentum. CCLXXXXIV.

Heredes tenẽtur pro rata ad ſoluenda debita defuncti.

Oſcen. Indulti. *Mercurij* 5. *Decembris* 1601.

Argumentum. CCLXXXXV.

Ius quando dicatur conſiderabile, ad effectum regulæ, *De non tollendo iure quæſito*.

Romana Societatis Officij. *Veneris* 14. *Decembris* 1601.

Argumentum. CCLXXXXVI.

Tempus diſdictæ ſocietatis an ſit computãdum de momento ad momentum, vel poſt diem reproductionis.

Parmen. Status. *Veneris* 11. *Ianuarij* 1602.

Argumentum. CCLXXXXVII.

Agitur de exceptionibus cõtra perſonas, & dicta teſtiũ.

Nullius, ſeu Vrgellen. Iuriſdictionis. *Mercurij* 16. *Ianuarij* 1602.

Argumentum. CCLXXXXVIII.

De probatione quaſi poſſeſſionis, apponendi Edicta, & tranſmittendi examinandos ad Ordinarium.

Lugdunen. Computorum. *Mercurij* 23. *Ianuarij* 1602.

Non eget Argumento.

Romana Societatis Officij. *Lunæ* 28. *Ianuarij* 1602.

Argumentum. CCC.

Fructus ſoluti, an debeant computari in ſortem, quando Inſtrumentum ſocietatis, non eſt ratificatum, & in eo deficit clauſula, Actum, & locus, & teſtes.

Romana Vineæ. *Veneris* 1. *Februarij* 1602.

Argumentum. CCCI.

Diluuntur exceptiones contra validitatem, & iuſtitiam mandati.

Bononien. Simulationis Contractus. *Lunæ* 4. *Februarij* 1602.

Argumentum. CCCII.

De conceſſione remiſſoriæ, etiam aduerſus rem iudicatam.

Bononien. Cenſus. *Veneris* 8. *Februarij* 1602.

Argumentum. CCCIII.

Obligatus ad legitimam, & perpetuam, & generalem defenſionem bonorum, tenetur in caſu, cuiuſcunque moleſtiæ.

S. Seuerini Bonorum. *Veneris* 8. *Februarij* 1602.

Argumentum. CCCIV.

De alienatione fundi dotalis. Retroceſſio quando cenſeatur doloſa, & læſiua.

Mediolanen. Matrimonij. *Lunæ* 11. *Februarij* 1602.

Argumentum. CCCV.

Matrimonium ex quibus probetur.

Romana Vineæ. *Veneris* 1. *Martij* 1602.

Argumentum. CCCVI.

Excluditur in caſu Deciſionis renouatio ſocietatis.

Nicoteren. Donationis. *Lunæ* 4. *Martij* 1602.

Argumentum. CCCVII.

Agitur de donatione remuneratoria.

Auximana Bonorum. *Lunæ* 4. *Martij* 1602.

Argumentum. CCCVIII.

Donatio cauſa matrimonij, cum prohibitione alienandi, an impediat tranſlationem dominij.

Romana reſtitutionis Dotis. *Veneris* 15. *Martij* 1602.

Argumentum. CCCIX.

Bona in dotem aſſignata, cum promiſſione viri, in caſu reſtitutionis, de reſtituendo exacta, in pecunia; & non exacta, in ſpecie conſignata; an, ſi pereant, damno viri pereant.

Romana Fideicommiſſi de Spinis. *Lunæ* 18. *Martij* 1602.

Argumentum. CCCX.

De retentione ad effectum impediendæ immiſſionis.

Parmen. Status. *Lunæ* 18. *Martij* 1602.

Argumentum. CCCXI.

Dictio *in circa*, an ſaluet cõtrarietates, in dictis teſtium.

Corduben. Capellaniæ. *Veneris* 22. *Martij* 1602.

Argumentum. CCCXII.

Defectus tranſportationis actorum, non integræ, quando non obſtet.

Tiraſonen. Iuriſdictionis de Tudela. *Veneris* 26. *Aprilis* 1602.

Argumentum. CCCXIII.

Sententia antiquiſsima, ex quibus dicatur eſſe in forma probanti.

Cuſentina Capellaniæ. *Veneris* 26. *Aprilis* 1602.

Argumentum. CCCXIV.

Appoſitio Edictorum, iuxta præſcriptum cap. vlt. *de elect. in* 6. in quo caſu non ſit neceſſaria.

Lugdunen. Computorum. *Lunæ* 29. *Aprilis* 1602.

Argumentum. CCCXV.

De remiſſoriæ denegatione, ob irreleuantiam articulorum.

Catanen. antiquæ Illegitimitatis. *Veneris* 10. *Maij* 1602.

Argumentum. CCCXVI.

Rebellio quãdo excludatur: Inimicitia ex quibus probetur: &, in quo caſu adimat fidem teſti.

Peruſina Dotis. *Veneris* 10. *Maij* 1602.

Argumentum. CCCXVII.

Dos relicta filiæ a patre, quando grauamen recipere poſsit.

Romana de Cincijs. *Veneris* 17. *Maij* 1602.

Argumentum. CCCXVIII.

Exceptio expenſarum in iocalibus, an impediat reſtitutionem dotis pro quantitate impenſa.

Corduben. Capellaniæ. *Veneris* 17. *Maij* 1602.

Argumentum. CCCXIX.

Agitur de regula, *De Triennali*.

Romana Societatum. *Lunæ* 20. *Maij* 1602.

Argumentum. CCCXX.

De reſtitutione fructuum ſocietatum initarum vltra valorem Officij.

Bononien. Cenſus. *Lunæ* 20. *Maij* 1602.

Vide Argumentum Deciſionis 303.

Parmen. Status. *Veneris* 24. *Maij* 1602.

Argu-

Index Argumentorum.

Argumentum. CCCXXII.

De exceptionibus adimentibus, in totum fidem testibus.

Romana Remissionis affictus. *Mercurij* 5. *Iunij* 1602.

Non eget Argumento.

Surrentina Beneficij. *Mercurij* 5. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXIV.

Agitur de mandatum de manutenendo.

Montis Regalis Iurisdictionis. *Lunæ* 10. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXV.

Quando quis faciat suas, sententias latas; non ad effectum, vt ei obstet res iudicata; sed solum, vt possit prosequi Iudicium.

Romana Pecuniaria. *Veneris* 14. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXVI.

Mandatum ex quibus præsumatur factum in personam alicuius.

Romana Pignorum. *Veneris* 4. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXVII.

Agitur de facultate mutuandi sub vsuris, concessa Hebræis; deque eiusdem restrictionibus.

Maceraten. Domus, extra Rotam. *Lunæ* 17. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXVIII.

Saluianum in quo casu non competat.

Mediolanen. Matrimonij *Lunæ* 17. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXIX.

De validitate dispensationis super matrimonio contracto in gradu prohibito.

Lucana Iurispatronatus. *Veneris* 21. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXX.

Iuspatronatus an possit transferri titulo donationis in aliam familiam.

Placentina Castri. *Mercurij* 26. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXXI.

Agitur de validitate Census.

Anconitana Dotis. *Veneris* 28. *Iunij* 1602.

Argumentum. CCCXXXII.

Obligatio matris pro dote filiæ, an sit valida.

Carpen. Fructuum. *Lunæ* 1. *Iulij* 1602.

Argumentum. CCCXXXIII.

Quantitas, & valor fructuum, ex quibus probetur.

Romana Pecuniaria. *Lunæ* 1. *Iulij* 1602.

Argumentum. CCCXXXIV.

De fructibus soluendis ratione damni emergentis.

Oscen indulti. *Lunæ* 11. *Iuly* 1602.

Vide Argumentum Decisionis 295.

Romana Hæreditatis de Gauellis. *Lunæ* 18. *Iulij* 1602.

Argumentum. CCCXXXVI.

Successio ab intestato, an deferatur in stirpe, vel in capita.

Ferrarien. Bonorum, seu Palatij. *Lunæ* 1 *Iulii*. 1602.

Argumentum. CCCXXXVII.

De probatione scripturarum antiquarum.

Viterbien. Porcorum. *Lunæ* 1. *Iuly* 1602.

Ponitur hæc decisio pro continuanda serie huius Causæ. Vide Decis. 334.

Romana Census. *Mercurij* 30. *Octobris* 1602.

Argumentum. CCCXXXIX.

Perempta parte boni censuati, an Census remaneat in totum super parte non perempta, & ca paci ad sustinendum totum onus; an vero censeatur extinctus pro rata partis peremptæ.

Tirasonen. iurisdictionis de Tudela. *Mercurij* 6. *Nouembris* 1602.

Pro Argumento, Vide Decisio 288. & 313.

Catanen. antiquæ illegitimitatis. *Veneris* 15. *Nouembris* 1602.

Argumentum. CCCXLI.

De exceptionibus odij, & inimicitiæ, contra testes. Vide Dec. 316.

Lugdunen. Computorum. *Veneris* 15. *Nouembris* 1602.

Vide Decisio 315.

Romana Census. *Mercurij* 20. *Nouembris* 1602.

Argumentum. CCCXLIII.

Agitur de concordia inita, pro toto corpore creditorum.

Romana Pecuniaria. *Mercurij* 27. *Nouembris* 1602.

Argumentum. CCCLXIV.

Hæres an teneatur semper ad ratiocinia defuncti.

Montis Regalis iurisdictionis. *Mercurij* 27. *Nouembris* 1602.

Vide Argumentum Decisionis 325.

Romana Spolij, seu nullitatis subhastationis. *Veneris* 29. *Nouembris* 1602.

Argumentum. CCCXLVI.

De validitate, vel inualiditate subhastationis ad effectum spolij.

Romana Pecuniaria. *Veneris* 29. *Nouembrsi* 1602.

Argumentum. CCCXLVII.

De Confessione erronea.

Romana Capellaniæ S. Petri. *Lunæ* 9. *Decembris* 1602.

Argumentum. CCCXLVIII.

Agitur de iustificatione Gratiæ.

Parmen. Status. *Lunæ* 9. *Decembris* 1602.

Argumentum. CCCXLIX.

Tolluntur exceptiones nonnullæ contra personas, & dicta testium.

Venetiarum Pecuniaria. *Mercurij* 11. *Decembris* 1602.

Argumentum. CCCL.

De executione obligationis Cameralis.

Romana Pecuniaria. *Lunæ* 16. *Decembris* 1602.

Ponitur hæc breuis Decisio ad continuandam seriem Causæ.

Iacen. Portionis. *Lunæ* 16. *Decembris* 1602.

Argumentum. CCCLII.

An Iuspatronatus, de quo in Decisione, comprehendatur in reuocatione Concilij Tridentini.

Romana Fructuum Dotis. *Veneris* 20. *Decembris* 1602.

Argumentum. CCCLIII.

Agitur de probanda promissione dotis, facta ab extraneo.

Illerden. iuris Decimandi. *Veneris* 10. *Ianuarii* 1603.

Summarium seruit pro Argumento.

Romana damnorum, & interesse. *Lunæ* 13. *Ianuar.* 1603.

Non eget Argumento.

Romana Compensationis. *Mercurij* 15. *Ianuarij* 1603.

Argumentum. CCCLVI.

Agitur de liquidatione, ad effectum compensationis.

Sabinen. Tenutæ Collis Rampoli. *Veneris* 24. *Ianuarij* 1603.

Pro Argumento. Vide Decisio 262.

Venetorum Pecuniaria. *Lunæ* 27. *Ianuarij* 1603.

Argumentum. CCCLVIII.

De solidatione computorum acceptata à debitore.

Rauennaten. Census. *Veneris* 31. *Ianuary* 1603.

Argumentum. CCCLIX.

Procurator, cum libera, an possit obligare dominos pro facto proprio ipsius procuratoris. Declaratur Statutum

Non

Ve-

FINIS.

DE-

DECISIONES SACRÆ ROTÆ ROMANÆ

Coram Eminentissimo

IO. GARZIA CARDINALI MILLINO,

Eiusdem Rotæ, olim Auditore.

BONONIEN. DE BLANCHETTIS.

Mercurij 20. Nouembris 1591.

ARGVMENTVM.

Euictio proueniens ex natura rei, an debeatur.

SVMMARIVM.

1 *Euictio, quando prouenit ex natura rei, non debetur.*

DECISIO I.

IN dubio generali pro directione Causæ à me proposito, An sentẽtia Rotæ Bononiẽ. esset confirmanda; quia per informantes hinc inde fuerunt excitatæ plures difficultates: Domini, circũscriptis pro nunc alijs capitibus, firmarunt regulam ad fauorẽ Dominorum de Ariostis,
1 quòd † euictio non debetur, quando prouenit ex natura rei *glos. in leg. si familiæ, in nu. pro parte,* vbi Cin. Bart. Bald. Salic. & alij, *C. fam. Ercisc.* Doct. communiter *in leg. qui Romæ, §. duo fratres,* vbi Ripa *num.* 43. & Crot. *n.* 78. *ff. de verb. obli.* Aret. *cõs.* 3. Alex. *cons.* 22. *n.* 6. *& 7. vol.* 5. Tiraquel. *de retract. lignag. §.* 1. *glos.* 9. *n.* 35. Et ista regula fuit alias firmata in pluribus causis.

Sed quia huic regulæ plures afferrebantur limitationes per informantes pro Domino Achille: Domini dixerunt, quòd restringatur Dubium ad veritatem, & applicationem limitationum.

FLORENTINA ARCHIPRESBYTERATVS.

Lunæ 2. Martij 1592.

ARGVMENTVM.

Augmentum dotis faciendum pro reseruatione Iurispatronatus, debet fieri de certis bonis, ex quibus fructus percipiuntur.

SVMMARIVM.

1 *Iurispatronatus reseruatio cessat, si non fiat constitutum dotis augmentum.*
2 *Valor dotis Ecclesiæ, ad effectum illam augendi, computatur non deductis oneribus.*
3 *Actio non æstimatur tanti, quanti est quantitas, quæ debetur pro ea actione.*
4 *Perceptio fructuum præsupponit certitudinem bonorum.*

DECISIO II.

VAcantibus Canonicatu, & Præbenda Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Sancti Andreę de Emptorio, Florentinæ; & rurali Ecclesia Sanctæ Barbaræ de Barbiano, Lucanæ diæcesis, per resignationem Io. de Rouconcellis de anno 1524. Cardinalis Passatinus Legatus Tusciæ, in cuius manibus erat facta resignatio, ad petitionem eiusdem Ioannis erexit dignitatem Archipresbyteratus in dicta Ecclesia Sancti Andreæ, & eidem Archipresbyteratui vniuit Canonicatum, & Præbendam eiusdem Ecclesiæ, & Ecclesiam ruralem Sanctæ Barbaræ; & Domino Ioanni, & eius successoribus reseruauit ius patronatus præsentandi personam idoneam ad Archipresbyteratum, dummodo dotem pro medietate illius fructuum de bonis suis patrimonialibus, aut alijs licitè acquisitis, realiter, & cum effectu auxerint: Et Archipresbyteratum ab illius primæua erectione contulit eidem Ioanni, qui anno 1525. assecutus est possessionem. Demum de anno 1548. augendo dotem sui Archipresbyteratus, pro medietate fructuum illius, applicauit, & assignauit super eius bonis patrimonialibus, & alijs licitè acquisitis summam ducatorum trium auri de Camera singulis annis ex fructibus, redditibus, & prouentibus dictorum eius bonorũ, perceptis ab eius hęredibus, & successoribus, Archipresbytero soluendis donec, & quousque per Dominum Ioannem, seu eius hęredes, realiter, & cum effectu tot bona stabilia pro dicta summa annui redditus ducatorum trium similium specialiter, & expresse tradita sint. In vim huius reseruationis prętendunt Domini de Roncoucellis fuisse in quasi possessione pręsentandi, à tempore erectionis vsque ad annum 1588. de quo anno Ordinarius Lucanus contulit Ecclesiam ruralem Sanctæ Barbaræ, vnitam cum dignitate Archipresbyteratus vti spectantem ad eius collationem, Philippo de Laugerijs: Et postea Ordinarius Florentinus Archipresbyteratus dignitatem, vti liberam, contulit Petro de Bonsignoribus. Lite per appellationem coram me introducta,

Dubitaui, An constaret de iurepatronatus Dominorum de Roncancellis. Et Domini, circumscripta potestate Cardinalis Legati, concorditer censuerũt, non constare de iure patronatus.

Principale fundamentum fuit: quòd reseruatio est
conditionalis, dummodo Ioannes dotem pro medie
tate illius fructuum realiter, & cum effectu auxerit.
Ista autem conditio non fuit adimpleta: quia dotis
augmentum fuit factum in scutis tribus auri de Ca-
mera; & ex confessione eiusdem Ioannis probatur,
de tempore reseruationis solam Ecclesiam ruralem
Sanctæ Barbaræ continere in portatis ducatos auri
1 de Camera nouem. Ideo cum † dotis augmentum
non fuerit factum pro dimidia, cessat reseruatio iu-
rispatronatus *leg. 1. ff. de reg. caton. leg. qui heredi, & le. Mæuius ff. de condit. & demonstr.*

Nec obstat quod illa summa nouem ducatorum
expressa à Ioanne, intelligitur non deductis oneri-
bus, quorum postea ibi fit mentio. Quia existima-
bant Domini, cum ista vnio sit facta pro augmento
dotis Ecclesiæ, quæ quò plus est grauata oneribus,
eo magis eget redditibus, debuisse præstari medie-
2 tatem integri valoris fructuum † non deductis one-
ribus. Corn. *cons. 260. sub num. 1. vol. 1.*

Mouit etiam maxime Dominos, quod sit reserua-
tio iurispatronatus, dummodo Ioannes dotem rea-
liter, & cum effectu auxerit: hoc autem augmentum
dotis realiter, & cum effectu secutum non fuit. Nam
licèt Ioannes assignauerit super omnibus eius bonis
istam summam soluendam ab eius heredibus; tamen
ista assignatio non satisfacit obligationi, quia non
fit assignatio bonorum realiter, & cum effectu, sed
solum datur actio Ecclesiæ contra hæredes ad solu-
tionem istius summæ, ex fructibus perceptis donec
3 fuerit facta assignatio specialis; Et † actio non esti-
matur tantum quantum est quantitas, quæ debetur
ex ea actione Bald. *in leg. quod debetur ff. de pecul.* glos.
& *ibi* Doct. *in leg. minus est ff. de reg. iur.*

Preterea, cum nulla bona specialiter sint expressa
ita, vt possit constare de certis bonis, ex quibus isti
fructus colligantur; nec probetur, eum habuisse ali-
qua bona; non potest esse locus perceptioni fructuũ,
4 quia † perceptio fructuum præsupponit certitudi-
nem bonorum; quæ in casu isto deficit; vt fuit dictum
in Firmana bonorum 16. Decembris 1577. coram bo. me, Domino Cantuccio.

BONONIEN. DE BLANCHETTIS.

Veneris 6. Martij 1592.

ARGVMENTVM.

Obligatus ad legitimam, & generalem defensionẽ, & ad euictionem in forma, an teneatur ad euictionem prouenientem ex natura rei.

SVMMARIVM.

1 *Euictio proueniens ex natura rei, licèt regulariter non debeatur, debetur tamen, quando verba promissionis sunt valde ampla,*

2 *Obligatus de euictione in forma, & ad legitimam, & generalem defensionem, non tenetur nisi ad euictionem, pro qua de iure tenebatur, & num. 6.*

3 *Amplia, licèt obligatio contineret euictionem in genere,*

4 *In materia euictionis attenduntur coniecturæ,*

5 *Ad inducendam euictionem, verba debent esse talia, quòd non possint recipere interpretationem à natura rei.*

7 *Verba,* liberè, & pleno iure, *interpretationem recipiunt à subiecta materia.*

8 *Verbum* in perpetuum *intelligitur iuxta subiectam materiam.*

9 *Clausula,* ad habendum, *intelligitur iuxta subiectam materiam.*

10 *Clausula,* Ita quòd in quocunque casu, &c. *posita in obligatione de euictione, stat illatiuè, & accessoriè ad promissionem precedentem.*

DECISIO III.

IN alia propositione huius causæ fuerat firmata re-
gula ad fauorem Dominorum de Ariostis, quòd eui-
ctio non debetur quando prouenit ex natura rei; &
restricta disputatio ad veritatem, & applicationem
limitationum, quæ per informantes pro Domino A-
chille huic regulę afferebantur: ideo dedi Dubium,
An ex verbis expressis in instrumentis transactionis,
& solutionis librarum 3000. intelligatur promissa
euictio? Et Dubio à me proposito, Domini, non re-
cedendo à regula, concorditer censuerunt non debe
1 ri euictionem. Quia licèt quando † verba promis-
sionis sunt valde ampla cesset regula, vt fuit resolu-
tum *in Bononien. de Maluetijs*: Tamen hic non adest
talis pregnantia verborum: quia Achilles voluit te-
neri ad legitimam, & generalem defensionem, & de
2 euictione in forma: ideo euictio est restricta ad eã
euictionem, pro qua de iure tenebatur qualis ista
non est; vt fuit resolutum *in Foroliuien. euictionis coram S. P. N. tunc Rota Auditore 15. Iunij* 1529. & in *Perusina Fideicommissi de Herculanis 20. Iunij 1583. coram bo.*
3 *mem. Domino Brano.* Et licet in casu isto adsint ali-
qua verba, quæ significant in genere, non sufficiunt.
Alexan. *cons. 21. num. 6. lib. 5.* & pariter fuit resolu-
tum in Foroliuien. euictionis,

4 Preterea, cum in ista materia præcipuè attendan-
tur coniecturæ, Alciat. *resp. 36. sub num. 4. tom. 3. lib. 8.*
considerabant Domini, quòd ista Domus dimitti-
tur Domino Carolo pro restitutione, & satisfactio-
ne Fideicommissi Iacobi de Blanchettis; & volun-
tas contrahentium, quòd domus remanerent in su-
biectione Fideicommissi est perspicua: quia reliqua
bona preter dictas domos liberantur à dicto Fidei-
commisso. Videbatur autem Dominis valde inue-
risimile, & continere repugnantiam, quòd contra-
hentes, qui preseruando Fideicommissum voluerunt
restitutionem esse faciendam post mortem Caroli,
vocatis ex Fideicommisso Iacobi, intellexerint de
euictione domus ex eodẽmet capite, quo ipsi volue-
runt restitutionem esse faciendam.

Non obstant clausulę ponderatę per informantes
pro Domino Achille. Quia ad istum effectum ver-
5 ba debent esse talia quod non possint recipere inter-
pretationem à natura rei; vt post Bart. & Bald. Soc.
Iun. *consil. 128. numer. 133. vol. 1.* Quando enim verba
non concludunt necessariò, recipiunt interpretatio-
nem à natura rei vt nõ intelligatur permissa euictio;
vt fuit resolutum *in dictis Causis Foroliuien. euictionis, & Perusina Fideicommissi.*

In casu autem isto non adsunt talia verba. Quia
6 promissio † de litem non inferrendo & generalis de
fensionis, & euictionis in forma non concludit quod
intelli-

intelligatur promiſſa euictio in iſto caſu, vt bene deducitur *in dicto Forolinien. euictionis.*

7 Prout etiam † verba, *libere & pleno iure*, non concludunt; quia recipiunt interpretationem à ſubiecta materia. Ruin. *conſil. 137. num. 8. vol. 2. & conſil. 99. num. 12. vol. 4.* Bero. *conſil. 156. num. 8. vol. 1.*

8 Pariter † verbum, *in perpetuum*, intelligitur iuxta ſubiectam materiam *leg. 1. ff. pro ſoc.* Dec. *in c. in ſententia ſub num. 48. de prob.*

9 Clauſula, *ad habendum*, † ſimiliter recipit interpretationem à ſubiecta materia, ne contineat repugnantia, & inuериſimilia. Pedem. *dec. 164. nu. 5.* Quæ repugnantia, & inueriſimilitudo hic eſſent perſpicuę, per præallegata.

Nõ obſtat forma ſtatutorum Bononien. ad quam fit relatio. Quia ſtatutum, cuius copia datur, loquitur in venditione: clauſulæ in eo appoſitę non conueniunt huic contractui tranſactionis, & non eſt veriſimile quod contrahentes voluerint habere relationem ad iſtud ſtatutum.

Non obſtat quod in inſtrumento ſolutionis Achilles ſe obligauit ad legitimam, & generalem defenſionem, & de euictione dictarum domorum, & bonorum. Ita quod in quocunque caſu poſſit ad ea habere auerſum, &c. Quia vltra reſponſiones allatas per Informantes pro D.D. de Arioſtis,
10 fuit dictum quòd illa verba, ita quod in quocunque caſu ſtant illatiuè, & acceſſoriè ad præcedentem promiſſionem Ruin. *in conſil. 153. ſub num. 5. lib. 2. & conſil. 136. ſub num. 8. lib. 3.* Ideo non poſſunt ampliare promiſſionem præcedentem, in qua non veniebat euictio ex natura rei; vt ponderando iſtam dictaturam bene deducit Alciat. *reſp. 44. nu. 30. & reſp. 127. num. 10. tom. 3. lib. 9.* & fuit dictum *in Romana fideicommiſſi de Maximis coram Domino Epiſcopo Oriolen. 30. Aprilis 1534.*

HISPALEN. BENEFICIORVM,

Veneris 6. Martij 1592.

ARGVMENTVM.

Simonia conuentionalis, in quo cęſa tolli dicatur.

SVMMARIVM.

1 *Papæ ſcientia purgat vitium ſimoniæ, & num. 6.*
2 *Simonia debet probari concludenter.*
3 *In dubio ſumenda eſt interpretatio, quæ ſimoniam excludat.*
4 *Narratiua quando dicatur ambigua.*
5 *Confeſſio, vt noceat, debet eſſe certa, non ambigua.*
7 *Scientia Officialium Cancellariæ, dicitur ſcientia Papæ.*

DECISIO IV.

DVbitani, An eſſet iuſtificata gratia Ferdinandi, quæ erat fundata in ſimonia conuentionali. Deducebatur autem à Ferdinando ſimonia inter Gaſparem, & Dominicum ex correſpectiuitate mandatorum, quæ coram eodem notario, & teſtibus eadem die facta ſunt.

Domini vnanimiter cenſuerunt, gratiam Ferdinandi non eſſe iuſtificatam. Et potiſſima ratio, quæ mouit Dominos, fuit: quia in mandatis reſeruatur auctoritas Apoſtolica, & ante obtentam gratiam iſta correſpectiuitas fuit ita narrata Papę; qui potuit intelligere, quid actum eſſet inter partes: & nihilho
1 minùs ipſe conceſſit. Ideò auctoritas Papæ † purgat vitium ſimoniæ. Gloſ. *in c. cum quidam* vbi notatur *de pact.* Hoſtien. *in cap. 1. circa princ. ne prolat. vic. ſuas* Io. Andr. *in c. 1. de Simonia* Archid. *in c. non ne ſub num. 89.* Caſſad. *dec. 3. num. 2. de renunc. & dec. 2. ſub num. 3. & ſeq. de ſimon.*

2 Addebant aliqui ex Dominis, quòd † ſimonia debet probari concludenter. Alex. de Nouo *conſil. 64. num. 2.* Alciat. *reſp. 2. num. 40. & 41. tom. 1. lib. 1.* Et in
3 dubio † ſumenda eſt interpretatio, quæ Simoniam excludit. Put. *dec. 381. num. 2. lib. 1.* Cum igitur Gaſpar in reſignatione facta Dominico reſeruet ſibi penſionem 35. ducatorum, ſumenda potius eſt interpretatio quod reſeruatio à Gaſpare fuerit facta, non vt Dominicus ſuum beneficium reſignaret Franciſco Ortiz, ſed potius vt eximeret ſe ab onere illius beneficij, & penſionem liberam haberet.

Exiſtimabant quoque Domini, gratiam non eſſe iuſtificatam in ea parte, in qua narratur Franciſcum fuiſſe filium Gaſparis: quia iſta narratiua aliunde non verificatur, quàm ex narratiua litterarum ipſius Franciſci. Et iſta narratiua eſt ambigua: quia
4 † Frãciſcus non fatetur ſimpliciter ſe eſſe natum ex Gaſpare; ſed addit, vel aliàs genitum. Caſſad. *dec. 7.*
5 *num. 9. de iure patr.* Miſcell. *dec. 150.* Et confeſſio † vt noceat, debet eſſe certa, non ambigua. *l. certum ff. de confeſſ. c. per literas de probat. leg. generaliter Cod. de non num. pecun.*

Pręterea, etiam ſi confeſſio eſſet clara, Papa intel-
6 lexit huiuſmodi defectum: & † ſcientia Papę purgat vitium Simoniæ, per præallegata.

Nec obſtat quod mentio iſtius filiationis ſit facta in Bullis, & non in ſupplicatione; & reſignatio fuerit in ſupplicatione expreſſa, & non in Bullis; Quia idem operatur expreſſio facta in Bullis, quod operatur in ſupplicatione, quando eſt eadem gratia:
7 quia † ſententia officialium Cancellariæ; dicitur ſententia Papæ Innoc. *in c. cum dilecta ver. conſcientię de reſcript.* Caſſad. *dec. 2. num. 7. de vnionibus*, & fuit dictum *in Cremon. penſionis 4. Iunij 1584.*

GERVNDEN. STATVTI.

Lunæ 9. Martij 1592.

ARGVMENTVM.

Agitur de irrelevantia articulorum.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria denegatur, quando articuli ſunt irreleuantes.*
2 *Articulus continens id, quod poteſt probari per ſcripturas, eſt irreleuans.*
3 *Item, quando obſtat res iudicata.*
4 *Item, quando non controuertitur id, quod articulatur.*
5 *Exceptio pręſcriptionis, eſt exceptio litis finitæ.*
6 *Exceptio litis finitæ non poteſt opponi poſt rem indicatam.*
7 *Obſeruantia contra formam pręſcriptam, nihil operatur.*

DECISIO V.

FVit concluſum, remiſſoriam eſſe denegandam capitulo: Quia † articuli non ſunt releuantes
1 Rom. *conſil. 236. numer. 3.* Caputaqu. *deciſ. 66. & 68. par. 3.*

Nõ enim releuant 1.2.3.& 4. articuli continentes
2 fuisse facta aliqua statuta à capitulo: quia † possunt
probari per scripturam. Rot. *dec.* 44. *de testib. in antiq.*
Ægid. *decis.* 531.

Pariter non releuant 5. & sequentes articuli con-
tinentes, huiusmodi statuta esse vsu recepta, & Vica-
rium Episcopi esse in quasi possessione cogendi be-
neficiatos ad eorum obseruantiam: quia aut sunt
3 contra statutum Bertrandi; & † obstat Capitulo res
iudicata; & consequenter non est concedenda remis-
soria. Caputaq. *dec.* 51. *par.* 3.

Aut non sunt contra statutum Bertrandi: vel fue-
runt condita ad instantiam protectorum, & sic de
sensu beneficiatorum: & non releuant; quia de hoc
nulla est controuersia: ideo remissoria est denegan-
4 da *leg. ad probationem Cod. de probat.*

Non obstat quod Remissoria sit releuans, quia ca
pitulum vult probare præscriptionem quæ non po-
test probari testibus: Quia cum exceptio præscrip-
5 tionis sit † exceptio litis finitæ Bartol. *in leg. fratres*
6 *Cod. de transact.* non potest † hodie opponi post rem
iudicatam: præsertim cum ista exceptio prætendatur
orta ante rem iudicatam *leg. peremptorias* vbi Bald. &
alij, *Cod. sent. rescind. non poss.* Mohed. *dec.* 285.

Minus obstat, quod Capitulum nititur obseruan-
tia interpretatiua, ad cuius probationem est necessa-
ria Remissoria: Quia nil prætenditur obseruantia
contra certum modum, & formam à Bertrando præ-
7 scriptam: Et remissoria non est releuans; quia ob-
seruantia in isto casu nihil operatur. Aret. *consil.* 115.
num. 1.

Aut obseruantia non est contra istam formam: &
pariter remissoria, non est releuans: quia de hoc non
est controuersia.

OSTIEN. ET VELITREN. PENSIONVM,

Lunæ 15. Martij 1592.

ARGVMENTVM,

Pensiones assignatæ Suffraganeis, an censeantur as-
signatæ propter onus Pontificalia exercendi; an
potius, vt suum statum decentius sustinere pos-
sint.

SVMMARIVM.

1 *Non censetur derogatum Decretis Pontificijs, per solam*
relationem generalem ad eadem Decreta in literis suc-
cessoris. Item, si sequeretur absurdum, & num. 5.
2 *Pensio censetur reseruata propter onus, quando reseruatur*
statim post impositum onus.
3 *Papæ mens talis esse præsumitur, qualis debet esse de iure.*
4 *Pensio imposita propter onus, non debetur pensionario,*
qui illud onus subire recusat.
6 *Clausulæ, Quoad vixeris; & Vt decentius, &c. reci-*
piunt interpretationem ab illo onere, iuxta quod sunt cor
respectiuè apposita.

DECISIO VI.

GRegorius XIII. præfecit Ecclesiæ Smirnen Au-
gustinum Burisi: & in literis prouisionis præ-
cedente narratiua, quod Cardinalis Moronus ob eius
ingrauescentem ætatem ac varias infirmitates, one-
ra Episcop. Hostien. & Velitren. perferre non pote-
rat dedit eidem electo Smirnen, de ipsius Cardi-
nalis licentia, facultatem in dictis Ecclesijs Pontifi-
calia officia exercendi; iuxta tamen decreta per Piũ
Quartum, & Pium V. super Suffraganeorum deputa-
tionibus edita. Præterea, eidem Episcopo, vt eius
statum iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam de-
centius tenere valeret, de consensu Cardinalis reser
uauit pensionem annuam 200. ducatorum auri de
Camera super fructibus mensarum Episcopalium,
quoad vixerit, per Cardinalem, & eius successores
persoluendam.

Prætendebat Episcopus pensionem non esse resser
uatã propter onus sibi impositum Pontificalia officia
exercendi, sed vt suum statum quoad viueret decen-
tius substentare valeret; Et mortuo Cardinali Moro
no non fuisse amplius obligatum, & interpellatus re-
cusabat exercere officia Pontificia. Dubitaui in ista
causa extra Rotam, An, stante decreto Pij V. Quòd
omnes pensiones assignatæ Suffraganeis super fructi
bus Ecclesiarum, quibus præficiuntur, transeant ad
successores; dummodo illi Ecclesijs, quarum sunt suf
fraganei deseruiant, vel saltem per ipsos non stet: a-
liàs statim censeantur extinctæ; Episcopus Smirnen.
mortuo Cardinali Morono teneatur inseruire Eccle
sijs Ostien. & Velitren. iuxta formam huius decreti,
& nolens inseruire possit petere pensionem 200. du-
1 cat. vel potius dicatur extincta: Et Domini, circum
scripta vltima parte Dubij, An pensio dicatur ex-
tincta, censuerunt Episcopo recusanti inseruire, si pe
tit pensionem, obstare decretum Pij V. cui Grego-
rius in literis reseruationis pensionis noluit deroga-
re; quia in illis fit relatio generalis ad decreta Pij V.
leg. ait prætor §. 1. *ff. de re iud.* Titaq. *de leg. connub. glos.*
7. *num.* 182.

Secundo. Considerabant Domini, pensionem es-
se correspectiuam ad illud onus: quia in eisdem lite-
ris in continenti post impositum onus Episcopo, re-
2 seruatur pensio. Caputaqu. *decis.* 307. *lib.* 2. *in impress.*
Ideò non est vrisimile quod Gregorius voluerit de-
3 rogare decreto Pij V. quia mens Papæ talis esse præ-
sumitur, qualis de iure esse debet *c. nouit de iudic.* Com
posit. & alij *in cap. causam quæ de rescript.* Et de iure,
quando pensio est imposita intuitu oneris si pensio-
narius recusat subire onus, pensio ei non debetur, *le.*
4 *alumnæ* §. *scire ff. de adim. leg.* Bald. *in leg. dictum num.* 5.
Cod. de cond. ob caus. Aim. *consil.* 179. *num.* 13. *& consil.*
230. *num.* 2.

Mouebat etiam maximè Dominos absurdum,
quod sequi posset, si mortuo Cardinali, qui consensit
reseruationi pensionis, posset suffraganeus recusare
illud onus exercendi onera Pontificia, & petere pen-
sionem, Quia quilibet successor in Episcopatu co-
geretur consentire reseruationi pensionis ad fauo-
rem noui suffraganei, & tractu temporis Episcopa-
5 tus possent remanere exhausti pensionibus: ideo †
non est verisimile quod Gregorius voluerit deroga-
re decreto Pij V. *leg. vxorem* §. *in testamento ff. de leg.* 3.
Paris. *cons.* 5. *num.* 134. *vol.* 4.

Nec obstãt clausulæ, *Quoad vixeris, & vt decentius*
6 *tuũ statum tenere valeas.* Quia † istæ clausulæ intelligũ-
tur rebus sic stãtibus, & recipiunt interpretationem
ab illo onere iuxta quod sunt apposita correspecti-
uè, *leg. quod seruius ff. condit. caus. dat.* Paris. *dict. cons.* 5.

FLO-

FLORENTINA BONORVM.

Veneris 17. Aprilis. 1592.

ARGVMENTVM.

Depositum multis modis probatur; De quibus in Decisione.

SVMMARIVM.

1 *Verba Notarij aßertiua Depositi, probant numerationem.*
2 *Depositum reale ex quibus probetur, & num. 3.*
4 *Quando constat de emptione, & deposito, dicitur breui manu facta ab emptore solutio, & receptum depositum.*
5 *Auctoritas Legati in concessione aliqua prçsumitur ex lapsu temporis, & obseruantia subsecuta.*

DECISIO VII.

DOmini concorditer censuerunt, constare de deposito: Quia illa verba, *prout in veritate iam*
1 *sunt depositi*, sunt verba † assertiua notarij, & probant numerationem. Bald. *in leg. si ex cautione numer. 7. Cod. de non numer. pecun.* Bart. *in leg. si ita stipulatus §. Chrysogonus*, quem sequitur *ibi* Alexan. *num. 14. ff. de verb. oblig.* & fuit resolutum *coram bon. memor. R.P.D. Bubalo in Romana Census 21. Maij* 1590.

Comprobant veritatem depositi primo stilus Notariorum: qui quando depositum non fit tempore contractus ita verba concipere solent; *Vt aßeritur, aliàs fuit factum depositum, &c.* Secundo relatio ad libros Banchi. Tertiò. Præsentia venditoris. Paul.
2 de Castr. *cons. 202. num. 4. lib. 1.* Quartò diuturnitas temporis; vt per Castr. *in loco citato*; prçsertim addita possessione pacifica 83. annorum.

Non obstat quòd non interuenerunt requisita realis depositi. Quia hic constat de reali deposito,
3 per prçallegata. Tanto magis quia † depositarius erat præsens, & depositum non negatur ab eius hæredibus; ideò non potest dubitari de veritate depositi, vt fuit resolutum in dicta Romana Census.

Non obstat quod ex forma literarum, si in euidentem, pretium erat actualiter soluendum, &
4 deinde deponendum. Quia † cum constet de emptione, & deposito, breui manu dicitur ab emptore facta solutio, & receptum depositum, *leg. licet §. 1. ff. depos.*

Non obstat quod non probatur auctoritas Legati, qui concessit literas in forma, si in euidentē: Quia
5 stante lapsu tanti temporis, & obseruantia subsecuta, præsumitur. Anchar. *cons.* 135. Dec. *consil. 36. sub num. 8.* Put. *dec. 365. num. 3. lib. 2.*

VERONEN. PENSIONIS.

Veneris 24. Aprilis 1592.

ARGVMENTVM.

Pensio secunda, non facta mentione primæ, an, & quando sit valida.

SVMMARIVM.

1 *Scientia Papæ oneris primæ pensionis præsumitur ex breuitate temporis: Et ex recordatione secundæ pensionis. Et num. 2.*

DECISIO VIII.

IN ista causa fuerat decisum coram Cardinali Plato, pensionem impositam ad fauorem Ascanij esse nullam; quia non erat facta mentio prioris pensionis renouatæ super eodem beneficio; & quia consensus non fuerat extensus intra 15. dies, iuxta constitutionem Clementis. Sed quia coram me controuertebatur de validitate pensionis, & denuò aliqua deducebantur ab Ascanio; volui iterum dubitare, An pensio esset nulla. Et Domini, quantum ad primum caput, pro maiori parte censuerunt pēsionem esse validam. Et fundamentum decisionis fuit: quia à Greg. XIII. eodem tempore fuerat grauatum beneficium duplici pensione; alia ad fauorē Vincētij; altera vero ad fauorem Ascanij, sed ista secunda fuerat postea à Datario cassata; demùm ab eodem Gregorio restituta, vt ex fide Cardinalis Madrutis, & depositionibus testium probatur. Vndè cum ista non sit noua impositio pensionis, sed restitutio prioris, quæ eodem tēpore fuerat grauatum beneficiū simul cum alia pensione; sicut de tempore reseruationis nō erat necessaria mentio, ita nec tempore restitutionis; quia hęc est eadem pensio, & non noua.

Non obstat quod de tempore restitutionis istius pensionis non probatur scientia Papæ oneris primæ pensionis. Quia vltra quod hæc est eadem pensio, qua Papa grauauit beneficium simul cum alia ob breuitatem temporis ista sententia præsumitur, *cap. ab excommunicato, de rescr.* Præsertim cum fuerit recordatus de ista pensione, pariter præsumatur recordari de alia. Decian. *cons. 93. numer. 110. in fin. lib. 2.*

RECANATEN. S. ANTONII.

Lunæ 27. Aprilis 1592.

Pro Argumento legatur Summarium.

SVMMARIVM.

1 *In concursu, quando vtriusque partis possessio est turbida, neutri datur mandatum de manutenendo: Sed gratiosè subrogatus immittitur in possessionem Beneficij.*

DECISIO IX.

FVit conclusum neutri esse dandum mandatum de manutenendo: Quia visa est Dominis vtriusq; partis possessio turbida, & multiplici defectu laborans; prout per informantes hinc inde bene deduci-
1 tur. Sed quia Theodosius † erat in possessione tempore mortis, & Io: Dominicus fuit gratiosè subrogatus, etiam quoad possessionem; Domini dixerunt ex isto Capite Io: Dominico esse dandum mandatum de immittendo. Mohed. *decis. 327.* Put. *decis. 214. lib. 1. & dec. 495. lib. 2.*

REGIEN. PRIORATVS.

Mercurij 29. Aprilis 1592.

ARGVMENTVM.

Descendentia quomodo probetur, ad effectum Iurispatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Gradus descendentiæ probãtur ex pluribus enunciatiuis diuersorum Instrumentorum.*

2 *Descendentia, siue filiatio, probatur ex testibus de publica voce, & fama, communi reputatione, & nominatione patris.*

3 *Item per fidem libri Baptismalis, addito aliquo adminiculo.*

DECISIO X.

FVit resolutum in ista causa, sufficere probationem descendentiæ Dominorum Cæsaris, & Gasparis de Tacculis ab Antonio, qui pręsentauit de anno 1393. Et de ea constare, dummodo descendentia Antonij Marię à Gaspare melius coadiuuaretur:
1 quia † cęteri gradus probantur ex pluribus enuntiatiuis diuersorum Instrumentorum de antiquo. Achill. *decis. 5. de iure patron.* & alijs coniecturis, quæ hic bene deducuntur per informantes pro Tacculis. Et descendentia Cæsaris, & Gasparis ab Antonio Ma-
2 ria bene probatur † ex testibus de publica voce, & fama, communi reputatione, & nominatione Patris. Aret. *cons. 37. in princ.* Ruin. *cons. 51. num. 18. volum. 5.* Ideo dubitaui, quia de nouo aliqua deducebantur, An esset probata descendentia Antonij Mariæ à Gaspare? Et Domini, præsupposito quòd intra sint in forma probandi, concedi censuerunt descendentiam esse probatam. Et moti sunt ex fide libri Baptismalis de anno 1485. in qua Antonius
3 Maria enunciatur filius Gasparis: & † per fidem libri Baptismalis, addito aliquo adminiculo, probatur descendentia, vt fuit dictum *in vna Aretina Capellaniæ 10. Maij 1591. coram Domino Episcopo Perusino.*

Adminicula autem hic plura concurrunt. Nam in Instrumento cooptationes in collegium Notariorum Ciuitatis Regij de anno 1504. Antonius Maria enunciatur filius Gasparis. Concurrunt depositiones duorum testium, quorum vnus ætatis 70. annorum deponit Antonium Mariam esse filium Gasparis: alius numero 60. annorum deponit de auditu à suo Patre, quod Antonius Maria erat filius legitimus, & naturalis Gasparis Tacculi: & etiam enunciatiuæ multorum Instrumentorum diuersorum Notariorum de anno 1538. 1541. 1542. & 1560. quæ licet non sint antiquæ, tamen multum coadiuuant.

Non obstat quod non probatur quod isti sint filij legitimi. Quia cum fuerint in quasi possessione præsentandi, præsumitur quod fuerint capaces iuris patronatus: pręsertim cum in aliquibus enunciatiuis nominentur filij legitimi.

ROMANA DOMVS.

Lunæ 11. Maij 1592.

ARGVMENTVM.

Dominium, ad effectum recognitionis, & solutionis canonis, quomodo probetur.

SVMMARIVM.

1 *Narratiua pręsumitur vera ex diuturnitate temporis, & obseruantia subsecuta.*

2 *Iudices commissarij pręsumuntur informati de requisitis Causæ.*

3 *Sola locatio non sufficit ad probationem dominij: Nisi concurrentibus adminiculis, & num. 4. Et quænam sint nu. 5. & 6.*

5 *Solutio canonis est ingens argumentum proprietatis.*

6 *Confessio auctoris pręiudicat habentibus causam ab eo.*

7 *Confessio geminata, multò magis probat.*

8 *Dominium, ad effectum deuolutionis, requirit probationes concludentes, & exactas. Nec sufficiunt locationes, solutiones, & alia adminicula, & num. 9.*

DECISIO XI.

QVia diuersimode informatur circa effectum dubij, Domini cum præsupposito, quòd adsit iurisdictio, censuerunt, ad effectum recognitionis, & solutionis canonis, sufficienter constare de Dominio. Et moti sunt ex supplicatione, si in euidentem de anno 1508. in qua narratur domum à Rectore fuisse locatam ad tertiam generationem sub annuo
1 Canone 718. de carleuis. Vnde † ex diuturnitate tanti temporis, & obseruantia subsequuta, ista narratiua præsumitur esse vera; vt fuit resolutum 21. Iunij 1578. *in Lucana Decanatus coram Serenissimo Domino nostro.* Pręsertim, cum in vim illius supplicationis fuerit secuta confirmatio Iudicum commissariorum,
2 qui † pręsumuntur de instrumento locationis, & alijs requisitis fuisse informati. Abb. *consil. 41. n. 2. lib. 1.*
3 Et licet † sola locatio non sit sufficiens ad probationẽ dominij in pręiudiciũ tertij *l. ad probationem C. loc. et. inter dilectos, de fide instru.* Tamen hoc non procedit concurrentibus adminiculis. Bart. *in dict. leg. ad*
4 *probationem.* Ang. *in leg. officium, num. 2. ff. de rei vend.* Soccin. Sen. *consil. 89. numer. 11. lib. 1.* Dec. *consil. 146. num. 14.*

Hic concurrunt plura ad materiam. Primo solutio canonis, quæ respondet quantitati enunciatæ. Et
5 ista solutio † est vrgens Argumentum proprietatis, *cap. cum olim, de censibus.* Bald. *in leg. iudicia num. 2. ad fin. Cod. de rei vendic.* Alex. *consil. 8. num. 1. lib. 7.*

Secundo pro adminiculo fuit considerata confessio Gerardi, à quo isti filij ex persona Vrsulinę eorum matris causam habent; qui asseruit se habere hanc domum ad tertiam generationem à Capitulo
6 Sanctæ Margaritæ. Et ista confessio † Gerardi nocet istis filijs habentibus causam ab eo. Aret. *consil. 112. num. 1.* Ruin. *consil. 50. num. 13. lib. 1.* Aim. *cons. 29. in princip.* Tanto magis quia ista confessio redditur verisimilis ex depositionibus testium.

Tertio pro adminiculo placebat Dominis confessio Vrsulinæ facta in iudicio criminali, & repetita in
7 eius testamento, quæ † cum sit geminata, multò magis probat Rom. *cons. 15. num. 5.*

Sed quia controuertebatur identitas huius domus, Domini dixerunt, quòd si aderit difficultas, poterit particulariter dubitari.

Quantum autem ad effectum deuolutionis, fuit resolutum non constare de dominio Ecclesiæ: quia
8 † cum ad istum effectum requiratur probatio concludens, & exacta Alex. *consil. 10. cum duob. seq. lib. 4.* Caputaq. *dec. 91. lib. 2. in man.*
9 Locatio, † solutio, confessiones, & alia adminicula non sufficiunt. Caputaq. *decis. 280. par. 1.* & fuit resolutum *in vna Romana census coram R. P. D. Gipsio, & in vna Romana domus Sanctæ Agnetis 19. Iunij 1589. coram R. P. D. Orano.*

Nec

Nec obstat resolutio facta coram R.P.D.Blanche to *in Romana Deuolutionis domus*. Quia in illa non controuertebatur dominium Ecclesiæ, sed sola identitas, vt fuit consideratum *in dicta causa Romana domus* 2. *Maij* 1588.*coram R. P. D. Orano*.

ROMANA CAMBIORVM DE GRADIS.

Veneris 15. *Maij* 1592.

ARGVMENTVM.

Agitur de damno emergenti, ob quod vitandum possint pecuniæ sumi ad interesse.

SVMMARIVM.

1 *Damnum emergens, in materia cambiorum, ad hoc vt de eo constet, debet probari in indiuiduo, quòd pecunia sit accepta ad cambium, ob non factam restitutionem pecuniarum. Nec sufficit declaratio simplex, & num.* 7.
2 *Neque sufficit protestatio absq; speciali declaratione.*
3 *Pactum de stando simplici assertioni damnum passi; vel quid credatur scripturæ priuatæ; an valeat. Et num.* 4. *&* 5.
6 *Et tale pactum intelligitur arbitrio boni viri.*

DECISIO XII.

DVbitaui, non nullis præsuppositis, An constaret de damno emergenti, & quali. Et fuit resolutum, non constare. Quia licet probetur istos mercatores sumpsisse pecunias ad cambium post lapsum diei præstitutæ ad soluendum: tamen non probatur, quòd propter non factam restitutionem ipsi acceperint istas pecunias ad cambium: quæ proba-
1 tio † in indiuiduo est necessaria: quia potest esse quod acceperint pecunias ad cambium ob alias causas. Mohed. *decis.* 103. & ita fuit resolutum *in vna Romana pecuniaria de Zambrerijs coram bon. memo. Cantuccio* 7. *Aprilis* 1581. *in vna Romana Vineæ de Brunis coram R. P. D. Orano* 2. *Decembris* 1591.

Non obstat, quòd stante protestatione istorum mercatorum, non erat necessaria, ista specialis declaratio, iuxta decisionem *in dicta Romana Vineæ de Brunis* 15. *Ianuarij* 1588.*coram R.P.D.Blanchetto*. Quia tunc non fuit discursum, an esset necessaria ista declaratio: ideo postea in eadem causa *coram R. P. D.*
2 *Orano sub dicta die* 2. *Decembris* fuit resolutum † non suffragari per testamentum absque ista speciali declaratione.

Non obstat doctrina Innocentij *in cap.* 1. *de vsuris*. Quia non dicit, quòd declaratio non est necessaria, at potius eius verba videntur innuere contrarium.
3 Non obstat, quòd stante pacto † de stando simplici assertioni damni passi, standum est declarationi, postea subsequutæ, Bart. *in leg. vltima num.* 3. *ff. de prætor. stipul.* Quia opinio Bartol. est controuersa
4 in istis terminis, ne † detur materia delinquendi, & committendi falsum. Ruin. *cons.* 104. *num.* 8. *vol.* 4.

Propter quam rationem Innocentius *in capit. cum*
5 *per tabellio*, voluit non valere pactum, quòd † credatur priuatæ scripturæ, & Innocentium sequuntur, communiter Doctores, vt per Curt. *in leg. admonendi sub num.* 36. *ff. de iur. iuran.*

Præterea, præsupposita veritate huius opinionis,
6 Bartolus, & qui eum sequuntur, conueniunt, † istam conuentionem intelligi arbitrio boni viri; vt per Bar. *in dicta leg. vltima*. Afflict. *dec.* 91. *num.* 10. Vnde, cum non constet pecunias fuisse sumptas ad cambium ob non factam restitutionem huius summæ, sicut neces-
7 sarium est; ista † declaratio non suffragatur. Natta *cons.* 50. *num.* 10. *cum seqq.*

Non obstat liquidatio facta: Quia huic motiuo fuit alias responsum 17. Maij 1591. *coram R.P.D. Decano*. Cum qua responsione Domini transierunt.

ROMANA HÆREDITATIS.

Lunæ 25. *Maij* 1592.

ARGVMENTVM.

Legatum quando non admittat dilationem temporis ad eius solutionem: Et quando dicatur reformatum.

SVMMARIVM.

1 *In legato, quod solui non debet, sed præstari, non est locus dilationi.*
2 *Euentualitas non alterat præcedens legatum.*
3 *Solutionis appellatione, saltem largè, venit omnis satisfactio.*
4 *Legatum quando factum est filiæ, largè interpretatur: vt hæres censeatur magis grauatus.*

DECISIO XIII.

DVbitaui, An relictum Illustrissimæ D. Olimpiæ deberetur sine dilatione temporis. Et quantum ad tenutam campi Martis, omnes Domini concorditer censuerunt, dilationem adiectam in Codicillis non referri ad istam tenutam. Et mouebantur ex verbis Codicillorum quæ sunt ista: *Legata facta in dicto testamento, & respectiuè ex forma præsentium Codicillorum reformata, soluantur infra sex annos proximos à die obitus, ipsius*. Quæ verba non conueniunt legato tenutæ: quia neque est reformatum, neque solui debet, sed præstari, *leg. talis scriptura ff. de leg.* 1.
1 ideo † dilationi non potest esse locus in isto legato, *leg. quarta §. totius de damn. infect.* Alex. *cons.* 119. *num.* 3. *lib. primo*.

Non obstat, quòd istud legatum est reformatum, ex quo in testamento simpliciter fuit relicta tenuta, seu illius pretium in casu redemptionis; & postea in Codicillis fuit dispositum, quòd in euentum redemptionis pretium extrahendum ex dicta redemptione; deducto tamen eo, quod debetur hæredibus D. Virginiæ Anguillariæ, succedat loco dict. Casalis; ex qua deductione videtur præcedens legatum sine ista deductione esse reformatum. Quia fuit responsum; quòd delatio est adiecta legatis in Codicillo reformatis: hoc autem per se non est reformatum, sed
2 euentualiter in casu redemptionis: & † illa euentualitas non alterat præcedens legatum Io. Andr. *in cap. deliberatione num.* 2. *de off. leg. in* 6.

Præterea, licet in testamento nihil sit dictum de ista deductione; tamen tenebatur Illustrissima D. Olympia ad istud debitum: quia res transit cum onere suo Archid. & Io. Andr. *in capit.* 1. *de immunitate Eccles. in* 6. Ideo hæc est declaratio eius quod tacitè inerat, & non reformatio.

Non obstat quod solutionis appellatione, saltem largè, venit omnis satisfactio, in qua satisfactione
3 videtur accipienda interpretatio, qua hæres minus

gra-

grauatur, *leg. vnum ex familia §. si rem ff. de leg. 2.* Quia
4 quando legatum est factum filiæ, largè † interpretatur, vt hæres censeatur magis grauatus. Corn. *consil. 103. nu. 5. lib. 4.* cum alijs per Rip. adduc. Manticam *de coniect. lib. 6. tit. 11. num. 23.*

Sed quia per informãtes pro Illustrissima D. Marchionissa opponebatur, Illustrissimam D. Marchionissam non potuisse disponere de ista tenuta, sibi in dotem data, ex statuto *cap. 134. lib. 1.* neque posse petiti vti rem hæredis Domini; quamuis causa fuerit discussa, nihil firmarunt; sed dixerunt, quod de alijs deductis particulariter videatur.

RECANATEN. BENEFICII S. ANTONII.

Lunæ 25. Maij 1592.

ARGVMENTVM.

Subrogatio gratiosa quando non tribuat titulum.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium quando est de iure patronatus laicorum, si non fiat mentio de huiusmodi iurepatronatus, subrogatio non tribuit titulum. Contrarium num. 5.*
2 *Subrogationi non est locus, quando possessio non est vacans.*
3 *Subrogato gratiosè datur immissio, etiam non iustificata narratiua gratiæ.*
4 *In petitorio detecta nullitate eius tituli, à possessione remouetur.*
6 *Immissio, alio existente in possessione, non impeditur subrogato, quando non adest similis titulus.*

DECISIO XIV.

Cvm præsupposito, quòd lis non sit extincta, fuit resolutum Io: Dominicum esse immittendum in possessionem; Quia stante subrogatione gratiosa ei concessa, etiam ad possessionem Theodosij, vltimi possessoris, sufficit quod doceat de suo clericatu, & possessione Theodosij de tempore obitus.

In alia propositione huius causæ fuit resolutum, non esse concedendum mandarum de manutenendo; sed stante subrogatione gratiosa Io: Dominicum esse immittendum in possessionem. Sed quia prætendebat Antonius filius non esse locum immissioni in possessionem, quia beneficium est de iure patro-
1 natus Laicorum; ideo, † cum non fuerit facta mentio de huiusmodi iure patronatus, subrogato non tribuit titulum. Cassad. *decis. 3. in princip. vt lit. penden.* Secundo, quia lis erat extincta per sententiam. Ter-
2 tio, quia possessio † non est vacans, ideo non potest esse locus subrogationi. Dubitaui, an esset recedendum à decisione facta. Et cum præsupposito quod lis non sit extincta, fuit iterum resolutum Io: Dominicum esse immittendum. Et ratio decisionis fuit:
3 quia † subrogato gratiosè datur immissio etiam non iustificata narratiua suæ gratiæ. Mohed. *decis. 327.* Put. *dec. 495. lib. 3.* Paleott. *dec. 119.* Nam per immis-
4 sionem non fit præiudicium irreparabile: quia † in petitorio detecta nullitate tituli possidentis, ab illa possessione remouebitur; vt per Put. *in dict. dec.*

Rationes, quę in causa sunt adductę, fuit dictum non obstare. Nam quod substitutum non habeat locum non facta mẽtione iuris patronatus Laicorum,
5 non † est verum; vt per Cassad. *d. dec. 3. n. 5. cum seqq.*

Pariter; quod alio existente in possessione impe-
6 diatur immissio subrogato non procedit, † quando non habet similem titulum, vt fuit resolutum *in Senẽ. Canonicatus 13. Maij 1588. coram bona memoria D. Bubalo.*

BRIXIEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 8. Iunij 1592.

ARGVMENTVM.

Restitutio aduersus rem iudicatam, quid operetur.

SVMMARIVM.

1 *Restitutio omnia reponit in pristinum statum.*
2 *Verba non debent esse sine effectu operandi.*
3 *Quando non sit necesse derogare regulæ,* De iure quæsito non tollendo.

DECISIO XV.

Fvit conclusum, non esse moderandam inhibitionem sed reapponendum sequestrum. Quia hæc est natura restitutionis, vt omnia reponat in pristi-
1 num statum, Cassad. *de rescript. dec. 13.* cum alijs allegatis. Vnde cum Ioan. Baptista sit restitutus aduersus rem iudicatam, est reapponendum sequestrum sicuti erat appositum ante rem iudicatam. Tanto magis, quia Io. Baptista est restitutus aduersus rem iudicatam, ac omnia inde secuta; & sic aduersus relaxationem sequestri appositi vigore rei iudicatæ: quia
2 alias ista verba † essent sine effectu operandi, *leg. si quando ff. de leg. 1.*

Non obstat quod non fuit derogatum regulæ de
3 non tollendo iure quæsito. Quia † placuit responsio ex Parisio *cons. 1. num. 37. cum seqq. lib. 4.*

ROMANA CAMBIORVM DE GRADIS.

Veneris 19. Iunij 1592.

Vide Decis. 12. Ex qua sumi potest argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Damnum passum non probatur ob interesse solutum, nisi probetur in indiuiduo, solutum esse ob talem causam.*
2 *Neque statur assertioni damnum passi, nisi verè constet de damno illato. Et multò minus assertioni successoris. Et num. 3.*

DECISIO XVI.

Domini steterunt in decisis: Quia licèt isti de Gradis soluerint interesse Cameræ, & passi fuerint damnum; tamen iuxta illam opinionem, quam Rota sequitur, hoc non sufficit, nisi in indiuiduo probetur, quòd soluerint interesse ob illam causam; vt
1 per Mohed. *dec. 103.* cum alijs allegatis. Quæ probatio hic deficit.

Assertioni verò damnum passi fuit dictum non esse standum, nisi constet vere de damno illato ex illa causa. Natta *cons. 450. num. 12. vers. cum igitur.* Tanto magis: quia dict. Antonius Maria est successor,
3 Put. *dec. 23. lib. 1.* Mohed. *dec. 239.*

RE-

REGIEN. PRIORATVS.

Lunæ 22. Iunij 1592.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum quando non competat aduersus rem iudicatam.

SVMMARIVM.

1 *De re iudicata constat, quando non fuerunt purgata fatalia.*
2 *Restitutio in integrum non competit, quando non constat de bono iure.*
3 *Præsentatio in absentia præsentantis, & non acceptata in tempore, est nulla.*

DECISIO XVII.

FVit resolutum constare de re iudicata, & non esse locum restitutioni, Nam de re iudicata con-
1 stat, quia non fuerunt purgata fatalia; & Domini de Tacculis obtinuerunt commissionem restitutionis in integrum.

Restitutionem autem in integrum domini dixe-
2 runt non competere Tacculis: quia † non constat de eorum bono iure; cum sententia R. P. D. Pamphilij
3 sit fundata in nullitate præsentationis, propter † absentiam præsentantis, & acceptationem non secutam in tempore.

Quoad alimenta propter paupertatem, Domini dixerunt nō respicere hoc iuditium, sed esse nouum, in quo erit videndum, an constet sufficienter de paupertate.

CATANIEN. ILLEGITIMITATIS.

Veneris 26. Iunij 1592.

ARGVMENTVM.

Agitur de impedimentis contra executionem remissoriæ.

SVMMARIVM.

1 *Impedimenta satis iustificata censentur eo ipso quòd pars, quæ negat se impedire, impedimentis non renunciat.*

DECISIO XVIII.

FVit resolutum, constare de impedimentis, quæ præstantur à D. Thoma, ne exequantur literæ remissoriales: Quia ad istum effectum sufficit proba-
1 tio, etiā leuis; & satis † sunt iustificata eo ipso, quod pars, quæ negat se impedire, impedimentis non renūtiat. Ideo dixerunt Dominī, quod D. Thomas renuntiet impedimentis, & patiatur exequi remissoriam.

ROMANA HÆREDITATIS.

Veneris 26. Iunij 1592.

Ex Decis. 13. in hac eadem Causa desumi potest argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Legatum rei alienæ debetur; &, si res ipsa præstari nequit, debetur æstimatio.*
2 *Quando legatum est factum personæ coniunctæ, non fit distinctio scientiæ, vel ignorantiæ testatoris, quòd res legata, esset aliena.*
3 *Legatum non habens diem, vel conditionem, debetur statim adita hæreditate.*
4 *Legatum titulo institutionis, & pro Legitima, debetur cum fructibus.*
5 *Legatum factum cum facultate capiendi propria auctoritate rem legatam, statim debetur, non expectata aditione hæreditatis.*
6 *Quando lucrum dotale defertur marito, vxor potest de ipsa dote, in vltima voluntate decimam partem tantùm relinquere pro anima; ex Statuto Vrbis*, lib. 1. ca. 134. *Et quomodo intelligatur, num. 7. 9. & 12.*
8 *De Iure communi hæres tenetur ad æstimationem legati rei dotalis.*
10 *Osasch* dec. 20. num. 6. *declaratur.*
11 *Socin. Iun.* cons. 74. num. 17. & num. 20. lib. 1. *declaratur, & num. 14. & 21.*
12 *Statutum, quando aliquid operatur, non debet intelligi, quòd voluerit etiam corrigere Ius commune.*
13 *Statutum tunc intelligitur corrigere Ius commune, quando nihil posset operari.*
14 *Legatum dicitur nullum, quando res legata non est in communi commercio.*
15 *Quando hæres non habet commercium, & potest habere legatum; tunc præstanda est rei æstimatio.*
16 *Couarruuias* in cap. filius noster, de testam. num. 4. *declaratur. Et num. 17. 18. & 19.*
17 *Quando error præcedentis causæ finalis induxit testatorem ad legandum, qui aliàs non fuisset legaturus; tunc hæres non tenetur ad æstimationem legati.*
20 *Quilibet præsumitur scire leges, & Statuta propriæ ciuitatis.*
22 *Legatarius, quantùm ad rem legatam, censetur magis dilectus.*

DECISIO XIX.

PRoposui iterum Causam strictè super eo, An relictum tenutæ Campi maris, seu illius precium debeatur Illustrissimæ D. Olympiæ, vti de re hæredis, & de bonis hæreditarijs, & quando. In quo dubio Domini cum præsupposito, quòd facultates testatoris, deducto ære alieno, legitima filij hæredis instituti, & alijs oneribus impositis, patiātur detractionem istius legati, concorditer censuerunt deberi æstimationem de bonis hæreditarijs, & fine dilatione tem-
1 poris. Nam regula est vulgaris, quòd † legatum rei alienæ debetur; &, si res ipsa præstari non potest, debetur æstimatio, *leg. si res obligata ff. de leg. 1. §. non*
2 *solum, inst. de legat.* Et non fit distinctio † scientiæ vel ignorantiæ testatricis quod res esset aliena quando legatum est factum personæ coniunctæ, *leg. cum alienam Cod. de legat.* Corn. *consil. 32. lib. 1.* Et cum istud le-
3 gatum † non habeat diem vel conditionem, purè, & statim adita hæreditate debetur, *leg. cedere diem ff. de verb. sign.* Neuizzan. *consil. 72 num. 3.*

Præterea, in casu isto concurrunt multæ coniecturæ, ex quibus colligebāt Domini testatricem voluisse æstimationem præstari debere statim, non deducto vsu fructu. Nam hanc tenutam legauit titulo in-
4 stitutionis, & pro legitima: ideo debetur † cum fructibus, sicut debetur legitima *auth. nouissima Cod. de inoff. testam.* Bald. *cons. 375. in princ. lib. 3.* Alex. *cons. 7. num. 14. & 15. lib. 2.*

Se-

Secundo testatur disposuit quod si hęc tenuta es-
set redempta ab Vrsinis, at prætium non esset inuesti
tum, tantumdem præstari deberet ex bonis hæredi
tatis. Igitur noluit deduci æstimationem vsus fru-
ctus, qui marito debetur.

Tertio testatrix prohibuit Illustrissimam D. Olym
piam aliquo modo molestati ab Illustrissimo D. Pau
lo Aemilio: ergo eo viuo voluit tenutam deberi, cũ
vsu fructu: quia quoad proprietatem nulla potuit
molestia ab eo inferri.

Quartò dedit auctoritatem D. Olympiæ capien-
di tenutam propria auctoritate: ergo voluit quod †
5 statim haberet non expectata aditione hæredis.

Quintò, testatrix substulit, in quantum potuit, v-
sum fructum marito: ex quo sumitur coniectura,
quòd voluit etiam vsum fructum legate D. Olym-
piæ.

Nec obstat, quòd † quando lucrum defertur ma-
6 rito (quod in præsenti disputatione sine veri præiu-
dicio fuit præsuppositum deberi Illustrissimo D. Pau
lo Aemilio) Vxor de ipsa dote in vltima voluntate
potest decimam partem tantum relinquere pro ani-
7 ma, ex Statuto Vrbis, *cap.* 134. *lib.* 1. Quia † Statutum
non disponit quod hæres non teneatur ad æstimatio-
nem, etiam legati rei dotalis: ideo iste casus omissus
remanet in dispositione iuris communis; vt in simili
Statuto tradit Fulgos. *cons.* 215. Et de iure communi
8 hæres tenetur ad æstimationem legati rei dotalis.
Paul. Alex. Aret. & Ias. *in leg. apud Iulianum, §. constat
ff. de leg.* 1. Mich. Grass. qui testatur de communi, *in
§. legatum quæst.* 14. *num.* 15. *vers. vnde quæro.* Solum
9 enim Statutum voluit prauidere, † quòd vsus fru-
ctus dotis remaneret marito, & post eius mortem
proprietas filio, & quando vxor habet alia bona, ex
quibus potest præstari æstimatio, satisfit effectui cõ-
siderato à Statuto.

10 Non obstat Pedemont. *decis.* 20. *num.* 6. Quia in-
telligitur in præiudicium eius, cui dos debetur, ex
Statuto *dict. num.* 6. *&* 7.

Non obstat quod sufficit quod testatrix sit intesta
bilis, ad istum effectum, vt legati æstimatio debeatur
11 legatariæ Soccin. Iun. *cons.* 74. *num.* 17. *lib.* 1. Quia †
Soccinus loquitur, quando lex reddit nullam dispo-
sitionem iuxta *leg. non dubium, Cod. de legib.* sed Statu-
tum expresse non prohibet vxorem testari de dote,
nec resistit facultati testandi; sed permittit testari
pro anima decima parte dotis tantum: Et quòd de
residuo non possit testari, colligitur per argumẽtum
à contrario sensu: & cùm statutum multum operetur,
excludendo præiudicium mariti, & filiorum quibus
12 voluit prospicere, non † debet intelligi quod volue-
rit etiam corrigere ius commune, inducendo nullita-
tem dispositionis. Bart. *in leg. omnes populi num.* 6. *ff.
de iust. & iur.* & *in leg.* 1 *num.* 16. *ff. de offic. eius* Alexan.
consil. 17. *num.* 4. *lib.* 2. *& consil.* 25 *num.* 13. *&* 14. *lib.* 5.
13 Tunc enim statutum per sensum contrarium † intel-
ligitur corrigere ius commune quando nihil posset
operari. Alex. *in auth. ex testam. num.* 6. *Cod. de collat.
& cons.* 142. *num.* 1. *lib.* 6.

Preterea quod tradit Soccinus in *dict. cons.* 74. so-
lum potest procedere quando legatum est nullum,
14 quia † res non est in communi comercio; vt in re in
alienabili sine consensu principis in quo casu Soccin.
consuluit. Et ita in eodem casu declarat Patil. *consil.*
15 7. *num.* 16. *lib.* 1. sed † quando hæres non habet com-
mercium, & potest habere legatum, tunc æstimatio
debet pręstari *leg. mortuo boue §. Labeo ff. de leg.* 2. glos.
in l. sed si res aliena in vsus non habet ff. de leg. 1. *vt in dict.
§. non solum in vers. nec æstimatio inst. de leg.* Grass. *dict.
quæst.* 14. *num.* 15.

Non obstat quod testatrix possideret tenutam v-
ti suam, quia prætenditur fuisse mariti: ideò hęres
non tenetur ad æstimationem legati.

Couar. *in cap. filius noster num.* 4. *de testam.* cum alijs
16 allegatis: Quia † omissa disputatione super verita-
te huius opinionis, cum in contrarium vrgeat gene-
ralitas dict. legis, *cum alienam*, & ratio ipsius: ideò de
ea valde dubitant. Imol. Paul. Cuman. & Alex. *in leg.
si domus §.* 1. *ff. de leg.* 2. & expresse reprobat Fulgos. *in
dict. leg. cum alienam*, & inter recentiores Tob. Non.
cons. 37. *num.* 9. & Mich. Grass. *in dict. quæst.* 14. *num.* 4.
17 illa opinio potest procedere, † quando error pręce-
dentis causæ nullę induxit testatorem ad legandum,
qui alias non fuisset legaturus Petr. de Besut. *in dict.
leg. si domus §.* 1. & ibi Ias. *num.* 31. Tob. dict. *cons.* 37.
num. 10. & in casu isto ex coniecturis supra deductis
potens probatur contrarium.

18 Secundo ista limitatio non applicatur; quia † ha-
bet locum in re aliena: sed hæc tenuta erat testatri-
cis, licet esset in dotem data, *leg. in rebus, Codic. de iur.
dot.*

19 Tertio ista limitatio habet locum † quando testa-
tor ignorauit rem esse alienam. Bart. *in leg. cum pater,
§. cunctis num.* 3. *ff. de leg.* 2. sed in casu proposito scie-
bat testatrix tenutam esse suam, & in dotem datam
cum retentione vsus fructus, & pariter sciebat vsum
fructum post eius mortem ad maritum pertinere ex
Statuto, supponẽdo prout fuit pręsuppositum, quod
ei debetur: quia vltra generalem pręsumptionem,
20 † quòd quilibet pręsumitur scire Leges, & statuta
ciuitatis propriæ, *leg. leges sacratissimæ*, & ibi *Paul. nu.
3. Cod. de leg.* 6. de scientia constat ex assertione facta
in testamento: ideò non applicatur.

Non obstat, quòd cum hæres sit æquè cõiunctus,
cessat ratio coniunctionis; & nisi probetur scientia
testatricis legati rei alienæ, non debetur æstimatio,
21 vt per Soccin. Iun. *dict. consil.* 74. *num.* 20. Quia, vt †
inquit Caccialup. in dicta leg. cum alienam, in lectu-
ra manuscripta, quæ est penes me, istã opinionem
22 transit sine dubio: Cùm, † quantum ad rem legatam
legatarius sit magis dilectus, vt bene deduxit R. P. D.
Mantica *de coniect. lib.* 6. *tit.* 11. *num.* 23.

Preterea hoc pendet ex coniecturis verisimilis mẽ
tis testatricis, glos. *in dict. leg. cum alienam, vers. vel
vxori*; quæ hic concurrunt ad fauorem Illustrissimæ
D. Olympiæ.

VERONEN. PENSIONIS.

Mercurij 1. *Iulij* 1592.

ARGVMENTVM.

Agitur de reseruatione pensionis, cum decreto,
quòd si ante expeditas Literas pensio exigatur,
reseruatio sit nulla ipso iure.

SVMMARIVM.

1 *Clausula annullatiua inducit formam.*
2 *Forma non seruata, actus est nullus.*

7 *Quan-*

3 *Quando est inducta forma nihil dicitur actum, si aliquid deest.*

4 *Literæ Apostolicæ non dicuntur expeditæ, nisi postquam sunt plumbatæ.*

5 *Regula Cancellariæ,* De non vtendo dispensatione, nisi Literis expeditis, *non annullat gratiam, sed disponit, quòd non suffragetur ante expeditionem Literarum.*

6 *Verbum,* eo ipso, *in decreto appositum, annullat ipso iure.*

7 *Expeditio Literarum facta post pensionem exactam non suffragatur.*

8 *Literæ expeditæ in forma,* Rationi congruit, *non tribuunt ius de nouo.*

DECISIO XX.

IN literis reseruationis pensionis ad fauorem Ascanij erat appositum decretum, quòd si ante expeditionem Literarum pensio exigeretur, esset ipso iure nulla. Ascanius exegit pensionem, & postea expediuit literas. Dubitaui, An pensio esset nulla? Et fuit resolutum esse nullam.

Ratio decisionis fuit; quia in decreto est apposi-
1 ta clausula † annullatiua, quæ inducit formam. Bald.
in leg. 1. ff. de lib. & posthum. Soccin. Iun. *consil. 71. num.*
2 23. *lib. 1.* Ideò cum forma non † fuerit seruata, pensio est nulla, *leg. 1. §. si quis ita ff. de verb. oblig. leg. cum his §. si pictor ff. de transact.* Cassad. *dec. 10. de rescript.* Et in similibus terminis, stante decreto, quòd prouisus teneretur literas expedire infra duos menses, alias prouisio esset nullius valoris, & momenti, fuit alias resolutum prouisionem esse nullam literis non expeditis infra duos menses. *dec. 142. inter collectas à Cardinali Chiroga.*

Nec obstat, quòd literæ fuerunt ceptæ expediri.
3 Quia quando est inducta † forma, nihil dicitur actũ, si aliquid deficit, *cap. 1. de baptism.* Bald. *in leg. 2. num. 64. Cod. de seruit. & aq.* Sarnen. *in reg. de idiom. quæst.*
4 8. & literæ † non dicuntur expeditæ, nisi postea quam sunt plumbatæ, glo. fat. *in reg. 53.* Sarn. *in reg. de non indic. quæst. 1.*

Non obstat, quòd decretum concernit vtilitatem officialium Cancellariæ: ideò sufficit quòd Antonius postea expediuerit, Soccin. *cons. 41. vol. 3.* Cassad. *dec. 35. & 36. super reg.* Quia Soccin. & Cassad. loquũtur in terminis regulæ de non vtendo dispensatione
5 nisi literis expeditis: quæ †, vt inquit Soccin. *in dict. cons. 41. sub num. 2. vol. 2. etiam,* non annullat gratiam, sed disponit quod non suffragetur ante expeditionem literarum. Sed in isto casu decretum inducit formam præcisam, & annullat ipso iure: quia est ap-
6 positum illud verbum, *eo ipso.* Anchar. *cons. 387.* Tiraquel. *in leg. si vnquam in versic. reuertatur num. 118. Cod.*
7 *de reuoc. don.* ideo expeditio subsequens † post pensionem exactam non potest suffragari.

Non obstat expeditio literarum in forma, Ratio-
8 ni congruit: quia † non tribuit ius de nouo Rebuff. *tit. de gratia rationi congruit, num. 19.*

Reseruarunt tamen Domini quod particulariter videatur, An sit locus excusationi ob legitima impedimenta.

MEDIOLANEN. PECVNIARIA.

Mercurij 1. Iulij 1592.

ARGVMENTVM.

Contractus continens promissionem solutionis in futurum, propter dilationem temporis non est validus.

SVMMARIVM.

1 *Dilatio temporis non recipit certam æstimationem:*

2 *Interesse certum pro tempore futuro taxatum, est illicitum.*

3 *Pactum de stando assertioni creditoris cum iuramento, quo ad damna, & interesse valet: dummodo sit simplex, & non contineat certum interesse. Secus, si contineat interesse certum, & num. 6.*

4 *Tale pactum intelligitur arbitrio boni viri, & iuxta dispositionem Iuris.*

5 *Stante hoc pacto, non statur declarationi damnum passi, nisi verè constet de damno illato.*

DECISIO XXI.

FVit resolutum, contractum anni 1586. non posse substineri, ob eam potissimè rationem: quia continet pro promissione solutionis damnorum in futurũ propter dilationem temporis, cui dilationi, vt in instrumento legitur, alias D. Andreas absque ista pro
1 missione non consensisset: & dilatio temporis † non recipit certam æstimationem Io: Andr. & Card. *in ca. salubriter, de vsur.* cum alijs per Rolan. à Vall. *cons. 55. nu. 20. vol. 2.*

Tanto magis, quia est taxatum interesse certum
2 pro tempore futuro: quod † est illicitum, Bald. *in le. rogasti, §. si tibi ff. si cert. petat.* Dec. *cons. 119. num. 3. & cons. 183. num. 3.* & fuit pluries resolutum, *in Romana Societatis coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto Romana secundum coram. Cotta, Mediolanen. Cambiorum coram Santissimo Domino Nostro,* & alias sæpissimè.

Nec obstat quod valet illud pactum de stando assertioni creditoris cum iuramento. Quia Bar. & alij, quos refert, & sequitur Cagnol. *in leg. vnica, num. 114. Cod. de sent. quo: pro eo quod int.* citatus per informan-
3 tes pro D. Andrea, loquuntur in † simplici pacto non
4 continente certum interesse, & putant valere: quia † intelligitur arbitrio boni viri, & iuxta dispositionem
5 iuris: adeo quod stante isto † pacto, non statur declarationi damnum passi, nisi constet verè de damno illato, Natta *cons. 450. num. 12.* Et fuit resolutum 19. mẽsis preteriti coram me, *in vna Romana Cambiorum de Gradis.* In casu autem isto excluditur arbitrium boni viri; & non est necessaria probatio damni; quia pactum est clarum, quòd præcedente iuramento, damnum possit liquidari ab Andrea, ad rationem
6 quinque pro centum: Ideò † est illicitum.

ROMANA SECRETARIATVS.

Veneris 20. Nouembris 1592.

ARGVMENTVM.

Statutum Vrbis *lib. 1. capit. 178.* an compræhendat Collegia. Multa de Protestatione.

SVMMARIVM.

1 *Collegium ibi dicitur habitare, vbi congregari consueuit; vel vbi residet illius Caput.*
2 *Collegium dicatur Ciuis.*
3 *Statutum loquens de Ciuibus, intelligitur de veris ciuibus, non de fictis.*
4 *Statutum prohibens appellationem, est odiosum, & strictè intelligendum.*
5 *Collegium est persona ficta.*
6 *Quod per fictionem est tale, non est propriè tale.*
7 *Incolatus contrahitur per habitationem; & sic non potest referri ad personam fictam.*
8 *Statutum est intelligendum verè & propriè.*
9 *Aegidianæ est locus in duabus sententijs latis in spolio inter priuatos.*
10 *Protestatio, neminem audiri, nisi docta de legitimo mandato, operatur vt sit necessaria realis productio mandati in actis.*
11 *Protestationis effectus semper durat, donec sit factus aliquis actus contrarius, parte non contradicente.*
12 *Protestatio facta respectu Causæ & litis, durat donec duret lis.*
13 *Protestatio censetur repetita, quando omnia acta prioris instantiæ fuerunt repetita in secunda.*
14 *Opponens generalia contra, intelligitur præseruare protestationem præcedentem.*
15 *Reuocatio mandati probat mandatum præcessisse.*
16 *Reuocatio procuratoris non præiudicat Parti, quando illi non fuit intimata.*

DECISIO XXII.

DVbitaui, An esset locus executioni sententiarum
latarum ad fauorem D. Cæsaris: Et quantum
ad illud caput, quo nitebantur informantes pro D.
Cæsare, quod esset locus executioni propter Statutum *cap. 178. lib. 1.* quod duæ conformes habeant vim
trium inter ciues & incolas, Doctores non fuerunt
concordes, an compræhenderet collegium. Aliqui
enim tenebant quod sic; & mouebantur ex illis ver-
1 bis generalibus, *In nulla causa, seu casu* Rursus, † ex
eo quòd Collegium dicitur ibi habitare, vbi congre-
gari consueuit, vel vbi residet illius caput, Bald. *in*
auth. sed cum testator num. 5. Cod. ad falcidiam, & dicitur
2 † Ciuis, Bart. *in leg. 1. num. 12. ff. ad Municip.* Alij verò
contrarium tenebant, & mouebantur: quia Statutum
3 loquens † de Ciuibus intelligitur de veris Ciuibus,
& non fictis, Bald. *cons. 456. num. 6. lib. 1.* Quod tanto
4 magis dicebant procedere, quia hoc † Statutum pro
hibens appellationem, est odiosum, & strictè intelli-
5 gendum Aim. *cons. 153. num. 4. in fin.* Vnde, † cùm Col-
legium sit persona ficta Rom. *cons. 436. num. 3. & 4.*
6 verè, & propriè ciuis dici non potest: quia quod †
per fictionem est tale, non est propriè tale *l. lege Cor-*
nelia, in fin. ff. de testam. l. 2. in princ. ff. de vsufruct. earum
rerum §. constituuntur, in fin. inst. de vsufr.
Quod etiam affirmabant de incolatu, qui non po-
test referri verè, & propriè ad Collegium, vti perso-
7 nam fictam; cùm † incolatus per habitationem con-
trahatur *leg. 2.* & ibi Doct. *Cod. de incol. &c.*
Nec dicebant obstare, quod Collegium dicitur
habitare, & esse Ciuis, vt per Doctores supra citatos:
Quia hoc non potest intelligi verè, & propriè cùm
8 Collegium sit persona ficta; & Statutum † est intelli-
gendum verè, & propriè, per præallegata, &c.
Sed licet in hoc capite Domini non fuerint con-
cordes; ex alijs tamen duobus fundamentis conclu-
serunt esse locum executioni sententiarum ad fauorē
D. Cæsaris. Et prima ratio, quæ mouit Dominos,
9 fuit: quia istæ sententiæ sunt † latæ in spolio inter
priuatos, & non continent mixturam: ideò licet sint
latæ duæ sententiæ, est locus Aegidianæ Peregr. *dec.*
201. lib. 2.
Secundo. Placuit Dominis aliud fundamentum
de defectu mandati D. Hortensij, qui appellauit á se-
cunda sententia. Nam licèt ex præsumptionibus hic
deductis per informantes pro Collegio præsumatur,
mandatum; tamen cùm esset oppositum á procura-
10 tore D. Cæsaris, † neminem audiri, nisi doctum de
legitimo mādato, ad effectum vt acta subsecuta sub-
stineantur, erat necessaria realis productio mandati
in actis Guidob. *decis. 208.* Aim. *cons. 108.*
Nec placebat Dominis responsio, quod illa pro-
testatio fuit facta in prima instantia, & non in secun-
11 da. Cùm † effectus protestationis semper duret, do-
nec sit factus aliquis actus contrarius, non contradi-
cente parte: Præsertim, cum protestatio non sit facta
12 respectu instrumenti, sed causæ, & litis: ideò † durat
donec durat lis, Felin. *in cap. cum M. num. 69. & 70.*
de const.
Præterea, omnia acta prioris instantiæ fuerunt re-
13 petita in secūda †: ideò censetur etiam repetita ista
protestatio.
Minus etiam placebat, quod D. Hortensius post
istam protestationem fecit plures actus in causa.
Quia citauit solum D. Cæsarem ad dicendum contra
iura producta; & procurator D. Cæsaris opposuit
14 generalia contra per quam † oppositionem fuit
præseruata protestatio præcedens, Caputaq. *dec. 330.*
num. 4. par. 1.
Non obstat quod cum de mandato D. Caroli non
constet, istæ sententiæ sunt nullæ: Quia instrumen-
15 tum fuit ostensum; & † reuocatio; quæ est in actis,
satis illud probat *leg. decem ff. de verb. obligat.* & licet
16 fuerit reuocatus; tamen cum † reuocatio non fue-
rit intimata D. Cæsari, non præiudicat, quia non fuit
sibi intimata Castad. *dec. 2. num. 15. de appell.* Vant. *tit.*
de null. sent. ex def. mand. num. 160. & 161.

BRIXIEN. PAROCHIALIS.

Mercurij 2. Decembris 1592.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum an tollat effectum executionis rei iudicatæ.

SVMMARIVM.

1 *Aduersus rem iudicatam nemo potest audiri, nisi obtenta restitutione in integrum ex gratia Principis.*
2 *Et nisi in ea expressè sit restitutus aduersus rem iudicatam.*
3 *Restitutio gratiosa non tollit effectum executionis rei iudicatæ: sed tantùm efficit, vt restitutus audiatur aduersus rem iudicatam, & num. 4.*
5 *Nec priuat quem commodo suæ possessionis, ante quàm restitutus doceat de suo bono iure.*

DE-

DECISIO XXIII.

Claudius Rosa obtinuit rem iudicatam ad sui fauorem super ista Parochiali, cuius vigore fuit reuocatum sequestrum prius appositum. Postea Io: Baptista Poltranga obtinuit à Santissimo Domino Nostro restitutionem in integrum gratiosam aduersus rem iudicatam, & omnia inde secuta; & petebat coram me nouam appositionem sequestri. Ideò dubitaui, An sequestrum esset reapponendum? Et Domini sub die 8. Iunij concluserunt, sequestrum esse reapponendum, propter naturam restitutionis, quæ omnia reponit in pristinum statum; & propter vniuersalitatem illorum verborum, *aduersus rē iudicatam, & omnia inde secuta*. Verum quia aliqua de nouo deducebantur ab informantibus pro Claudio, volui iterum dubitare super eisdem. Et Dubio à me proposito, Domini pro maiori parte recesserunt à resolutione facta.

Moti fuerunt ex eo, quòd ad fauorem Claudij adest res iudicata, aduersus † quam Io: Baptistam, non probata causa, non poterat audiri, nisi obtinuisset restitutionem in integrum ex gratia Principis, *leg. 1. §. vltimo*, vbi Bart. *num. 2. vers. ideo die ff. de quæst. leg. diui ff. de pæn.* Abb. *in cap. 2. circa fin. versic. tamen doct.*
2 *de purgat. vulg.* Et † nisi in ea expresse fuisset restitutus aduersus rem iudicatā, *leg. causas*, vbi Ias. *nu. 4. Co: de transact.* Idem Ias. *in leg. vltima num. 7. Cod. vt lit.*
3 *pendent.* Illa autem † restitutio gratiosa non tollit effectum executionis rei iudicatæ, Afflict. *dec. 341.* sed efficit solum quod Io: Baptista, qui antea ab[illegible];
ista restitutione gratiosa aduersus rem iudicatam,
4 non poterat audiri, † nunc ea obtenta audiatur. Vnde cum per istam restitutionem non tollatur effectus rei iudicatæ, non potest apponi sequestrum, quod vigore rei iudicatæ fuit reuocatum.

Nec mouebant Dominos illa verba, *aduersus rem iudicatam, & omnia inde secuta*. Quia cùm illa restitutio non tollat effectum rei iudicatæ, sed sit concessa ad effectum; vt adhibita causæ cognitione, videatur de iustitia rei iudicatæ; antequam Io: Baptista iusti-
5 ficet suam gratiam, & doceat de suo bono iure, † nō operatur illum effectum, quòd Claudius priuetur commodo suæ possessionis. Peregr. *dec. 18. in causa Calaguritana Archidiaconatus, lib. 1.*

COMEN. HOSPITALIS.

Veneris 4. Decembris 1592.

ARGVMENTVM.

De probatione valoris Beneficij expressi negatiuè per non excessum.

SVMMARIVM.

1 *Gratia non censetur iustificata, quando narratur non excessus valoris, & probatur contrarium.*
2 *Testes in materia obiectiua debent probare ex certa scientia, de tempore decem annorum.*

DECISIO XXIV.

Domini dixerunt, gratiam D. Nicolai Sorefini non esse iustificatam: Quia narrat non excessum
1 † valoris 750. auri; & ex articulis ab eo datis, & testibus examinatis probatur contrarium.

Addebant Domini quod non probatur excessus
2 valoris per Lucinum expressi: quia sumus † in materia obiectiua, & testes non probant ex certa scientia de tempore decem annorum; prout requiritur Samen. *in reg. de val. quæst. vlt.* Achil. *dec. 2. de valor.*

ROMANA CAMBIORVM.

Veneris 4. Decembris 1592.

ARGVMENTVM.

Statutum Vrbis, De duabus conformibus, non comprehendit Incolas, qui in Vrbe domicilium non contraxerunt.

SVMMARIVM.

1 *Domicilium, ad effectum incolatus in Vrbe, non contrahitur per habitationem decem annorum, quando habitatio fit non animo permanendi, sed alia de causa.*
2 *Domicilium non contrahens, non dicitur incola.*
3 *Priuilegium Ciuilitatis est personale, & non transit ad hæredes.*
4 *Hæres repræsentat personam defuncti in iure actiuo, & passiuo, creato, & formato in persona defuncti aliàs, secus.*
5 *Statutum Vrbis*, De duabus conformibus, *se restringit inter Ciues, Incolas, & Districtuales.*
6 *Qualitas adiecta verbo, intelligitur secundum tempus verbi.*
7 *Qualitas personæ non transit ad hæredem.*
8 *Statutum Vrbis*, De duabus conformibus, *non debet extendi de persona ad personam, in qua non reperitur qualitas expressa.*
9 *Processus executiuus quare habeat executionem paratam contra hæredem.*
10 *Domicilij effectus transit ad hæredes; ad hoc solum, vt hæres non possit declinare forum defuncti.*

DECISIO XXV.

Prætendebat D. Fracifcus Cintius esse locum executioni duarum conformium contra Antonium Mariam, vigore Statuti, ex duplici capite. Primo, quia Antonius Maria erat Incola, cum habitauerit in Vrbe per decem annos, & vltra. Secundo, quia Petrus Ioannes, ex cuius persona, vti illius hæres, egit Antonius Maria, fuit effectus Ciuis Romanus ex priuilegio. Ideò dubitaui An esset locus executioni duarum conformium, vigore Statuti. Et Domini concluserunt non esse locum executioni. Et ratio, quæ mouit Dominos, fuit: quia licet Antonius Maria
1 habitauerit in Vrbe vltra decem annos; tamē † cum ad vrbem se contulerit pro exigendis creditis Patri Ioannis cuius est hæres, & pro terminandis litibus, quas habet occasione illius hæreditatis; per istam habitationem non contraxit domicilium Vrbe, Abb. *cons. 62. num. 10. & cons. 100. lib. 2.* Felin. *in cap. cum dilectus num. 29. de rescript.* Alcia. *resp. 3. num. 16. lib. 2.*
2 & consequenter † cū in Vrbe domiciliū non contraxerit, non potest dici Incola *leg. pupillus* §. *incola ff. de verb. signif.*

Nec mouebat Dominos Priuilegium Ciuilitatis tributum Petro Ioanni. Quia est personale, & non transit ad hæredes, Bald. *in l. 1. vers. & eodem modo, Cod. de patrib. qui fil. destrax.* Dec. *cons. 661. sub num. 10. vers. & ad hoc facit*, Bero. *cons. 155. num. 39. volum. 2.*

 Tiber.

Tiber. Decian. *resp. 2. num. 119. volu. 2.*

Non obstat, quod hæres est eadem persona, & repræsentat defunctum, §. 1. *in authent. de iur. à mor. præst.* Bald. & Imol. *in leg. si constitut. §. vltimo ff. solut. matri.*
4 Quia † hæres repræsentat personam defuncti in iure actiuo, & passiuo, creato, & formato in persona defuncti; alias secus Aretin. *consil. 123. num. 4.* Roland. à Vall. *consil. 6. num. 15. vol. 3.* Vnde cum hoc ius non fuerit creatum, & formatum in persona Petri Ioannis defuncti, quia sententiæ sunt latæ contra Antonium Mariam eius hæredem; res iudicata contra hæredem non facit esse locum executioni contra eum ex persona defuncti.

Non obstat quòd Petrus Ioannes cœpit agere contra Dom. Franciscum. Quia Statutum disponit, quod duæ sententiæ conformes faciant rem iudicatam;
5 & † se restringit inter Ciues, incolas, & districtuales: ideò non attenditur principium; sed, an ij, contra quos sunt latæ sententiæ, sint ciues incolæ, vel districtuales; quia tunc Statutum producit istum effe-
6 ctum: & † qualitas adiecta verbo intelligitur secundùm tempus verbi, *leg. non solum, §. si damnum ff. de noxal. act. leg. Titius ff. de milit. testam.*

Præterea fuit consideratum, quòd licet hæres sit
7 eadem persona cum defuncto; tamen qualitas † personæ non transit ad hæredem, Sam. *in regul. de trienn. quæst. 33. num. 6.* Tanto magis, quia hoc Statutum est
8 strictè intelligendum, Aim. *consil. 153. num. 4.* ideò † non debet extendi de persona ad personam, in quam non reperitur qualitas expressa.

9 Non obstat quòd † processus executiuus habet executionem paratam contra hæredes. Quia hoc prouenit ex eo quod huiusmodi obligatio ex persona hæredis immutari non potest, *leg. 2. §. ex his ff. de verb. oblig.* Sed cum sententiæ non sint latæ contra defunctum, sed contra hæredem, & inspiciatur finis iudicij, & non initium; hoc non potest applicari in ista specie.

Non obstat quod licet domicilium non transeat
10 ad hæredes, tamen † transit effectus; vt ex illo text. notat Paul. *in leg. hæres absens in princ. ff. de iudic.* Quia vltra quod ille textus non procedit in his, quæ cohærent personæ defuncti, vt declarat *ibi*, Curt. Iun. *sub nu. 5.* procedit solum ad effectum, vt hæres non possit declinare forum defuncti.

BONONIEN. DOMVS DE BLANCHETTIS, ET ARIOSTIS.

Mercurij 9. Decembris 1592.

ARGVMENTVM.

Promissio euictionis secundùm stilum Notariorum Bononiæ, & secundùm formam Statutorum, an comprehendat euictionem prouenientem ex natura rei. Vide Decis. 1. & 3.

SVMMARIVM.

1 *Clausula apposita in Instrumento contra verisimilem mentem contrahentium, censetur apposita ex stilo Notariorum, præter voluntatem contrahentium.*
2 *Transactionis contractus nihil transfert in possessorem in re dimissa.*
3 *Quando contractui transactionis non potest conuenire forma tradita à Statutis, remanet simplex obligatio.*
4 *In contractibus attenditur nominatio facta à contrahentibus, quando pacta non repugnent.*

DECISIO XXVI.

Fverat resolutum in ista Causa, non esse locum limitationibus, quæ per informantes pro D. Achille afferebantur, ad regulam, quòd euictio non debetur quando prouenit ex natura rei. Verum, quia faciebant præcipuum fundamentum in ea limitatione, quòd in instrumento transactionis fuit permissa euictio secundùm stilum, & cursum Notariorum Bononiæ, & secundùm formam Statutorum in quibus affirmabant contineri clausulas tam prægnantes, & vniuersales, quæ faciebant venire etiam euictionem, quæ prouenit ex natura rei: Volui iterum proponere causam strictè super applicationem huius limitationis. Et fuit conclusum non esse recedendum à decisione facta.

Et primo considerabant Domini istius clausulæ relatiuæ non esse habendam rationem; quia cum ex verbis contractus non intelligatur promissa euictio, & mens quoque contrahentium repugnet, quòd intellexerint de euictione domus, ex eodem met capite quo ipsi voluerunt restitutionem esse faciendam vocatis ex fideicommisso Iacobi, vt in alia positione
1 fuit dictum; ista † clausula, quæ contra verisimilem mentem contrahentium induceret promissionem de euictione, censetur apposita ex stilo Notariorum præter voluntatē contrahentium, Couar. *in Rubr. de test. 2. part. num. 14.* Andr. Gaill. *pract. obseruat. lib. 2. obseru. 114. num. 10.*

Præterea tres formæ prouisionum ad sunt, in Statutis diuisionis, permutationis, & venditionis primis duobus formis partes erant concordes non conuenire relationem; tertiam autem venditionis existimabant Domini minus posse applicari: Quia præsupponitur in ea aliquid esse traditū ab vna parte alteri, cum in principio ponatur pactum constituti, & postea promissio de euictione. In casu autem isto nulla secuta est traditio; quia Carolus possidebat domum, & Achilles penes eum possidentem illam
2 dimisit ex contractu transactionis, qui † nihil transfert in possessorem in re dimissa, Alex. *consil. 41. num. 2. & 3. lib. 6.*

Pariter in ea formula promittitur rem esse liberam ab omni onere, & grauamine: & in casu isto domus fuit dimissa penes Carolum pro restitutione, & satisfactione fideicommissi Iacobi de Blanchettis, &
3 sic cum onere, & grauamine. Vnde cùm forma † tradita in istis statutis non possit conuenire contractui transactionis, in quo res dimittitur, remanet simplex obligatio, perinde ac si non esset facta relatio. Emil. Feret. *resp. 27. num. 1.* Crescen. *dec. 139.*

Non obstat quod formæ prouisionum non se restringunt ad venditionem, sed loquuntur de tradente seu quouis titulo alienante, vel assignante bona. Quia cum in illis ponatur in principio pactum constituti, præsupponitur necessario quod is qui constituit se possidere nomine alterius, debeat tradere: ideò non applicatur.

Non obstat quod iste contractus magis accedit ad naturam venditionis cùm in ea sit facta datio in solutum pro certo pretio. Quia à contrahentibus nomina-

4 minatur transactio: & attenditur † nominatio contrahentium quando pacta non repugnant Oldrad. *consil.* 159. *in princip. dub.* Aim. *consil.* 20. Et licet Carolus promiserit soluere certam pecuniarum quantitatem; tamen promissio non fuit facta propter domum dimissam pro restitutione fideicommissi, sed pro alijs bonis vltra domum Carolo traditis, & pro renunciatione damnorum, & interesse per Carolum debitorum, occasione cuiusdam euictionis secutæ.

MEDIOLANEN. PECVNIARIA.

Mercurij 9. Decembris 1592.

ARGVMENTVM.

Interesse lucri cessantis an possit deduci in pactum, dilatione pendente.

SVMMARIVM.

1 *Pactum, quòd damnum, & interesse possit taxari præcedente iuramento, vsque ad summam quinque pro centenario, & non vltra, non est illicitum.*
2 *Per tale pactum debitor non est obligatus, nisi verè interesse probetur.*
3 *Et, si interesse excederet summam taxatam, non esset obligatus præstare maiorem quantitatem.*
4 *Interesse quinque pro centenario, est proportionabile, & non excessiuum; & ideo non illicitum.*
5 *Mercatori solito negociari conceditur non solùm interesse damni emergentis, sed etiam lucri cessantis.*
6 *Interesse lucri cessantis potest deduci in pactum, quando non est taxatum certum.*
7 *Promissio solutionis damnorum, & interesse, intelligi debet de interesse damni emergentis, & non lucri cessantis, vt contractus valeat.*

DECISIO XXVII.

Domini in ista secunda propositione Dubij recesserunt à decisione facta. Moti fuerunt ex
1 eo, quòd † pactum, quòd damnum, & interesse possit taxari præcedente iuramento D. Andreæ vsque ad summam librarum quinque pro singulo centenario, & anno, & non vltra, non est illicitum, cum non contineat taxationem certam, & vniformem, & concer-
2 nat commodum debitoris, qui † ad præstationem huius summæ non est obligatus, nisi vere interesse probetur, Natta *consil.* 450. *num.* 12. & fuit resolutum *coram me in vna Romana cambiorum de Gradis 19. Iunij*
3 *huius anni*, & † si interesse excederet istam summam, non esset obligatus præstare maiorem quantitatem vltra istam summam, *authen. post ius iurandum, Cod. de iudic.*

Præterea considerabant Domini, quòd interesse est limitatum ad rationem quinque pro centenario:
4 ideò † contractus non est illicitus cum interesse sit proportionabile, & non excessiuum Neuiz. *consil.* 25. *num.* 5. Couar. *variar. resol. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Et fuit resolutum *in vna Placentina pecuniæ.* 15. *Martij* 1574. & *in vna Tiburtina Castri S. Angeli* 19. *Martij eiusdem anni coram bon. mem. D. Cæsare de Grassis.*

Tanto magis, quia Andreas est mercator, & soli-
5 tus negociari: & † mercatori solito negociari conceditur non solum interesse damni emergentis, sed etiam lucri cessantis *leg. si conuenisti ff. rem rat. hab. le.* 3. *§. vlt. ff. de eo quod certo loc.* Dec. *consil.* 441. *num.* 13. & 14. Marc. Salom. *de pact. consil.* 49.

Nec videbatur Dominis, obstare, quòd pendente
6 dilatione, non possit deduci † in pactum interesse lucri cessantis, nisi mora præcesserit. Quia hoc non procedit quando non est taxatũ interesse certum, Couar. *sub dict. num.* 5. In hoc speciale pactum non continet taxationem certam, & est adiectum ad fauorem debitoris, ne sit obligatus vltra istam summam: ideò non est illicitus.

Præterea (etiam si præsuponeretur contractum esse illicitum, si pactum intelligeretur de interesse
7 lucri cessantis) fuit dictum, † istam promissionem solutionis damnorum, & interesse, vt contractus valeat, esse intelligendam de interesse damni emergentis, & non lucri cessantis *leg. quoties ff. de reb. dub. leg. in ambiguo ff. de legib.*

FIRMANA PENSIONIS.

Lunæ 14. Decembris 1592.

ARGVMENTVM.

Executio obligationis Cameralis, in quo casu non habet locum.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis in Literis reseruationis pensionis, est accessoria ad formam earundem Literarum, & recipit omnes conditiones earum.*
2 *Et subintelligitur in ea, clausula*, Si preces veritate nitantur.
3 *Pensio, per promotionem ad Episcopatum extinguitur, de stilo Curiæ: Et eiusdem retentio est noua gratia.*
4 *Nullitas proposita per viam exceptionis; de qua Iudici cõstet; impedit executionem obligationis.*
5 *Pro sententia, à qua fuit appellatum, licèt non præsumatur præsumptione Iuris, & de Iure; præsumitur tamen præsumptionis Iuris simpliciter.*

DECISIO XXVIII.

Episcopo Sibinicensi ante promotionem ad Episcopatum fuerat reseruata annua Pensio scutorum 50. super fructibus, & distributionibus quotidianis Canonicatus, & Præben. in Ecclesia Cathedrali: de quibus fuit prouisus Leander Bonioannes, qui ad solutionem huius pensionis se obligauit in forma Cameræ, & soluit aliquos terminos, relaxato prius contra eum mandato. Sed postea cum Episcopus instaret coram A.C. pro solutione aliorum terminorum decursorum: Leander obtenta absolutione à iuramento, ad effectum agendi, & excipiendi, opposuit de nullitate pensionis sub prætextu quod fructus & distributiones, propter exiguitatem non essent capaces pensionis: & locum tenens A. C. pronuntiauit non esse locum executioni literarum reseruationis pensionis, & à solutione Leandrum absoluit. Causa per appellationem coram me introducta, dubitaui, præsupposita sententia A.C. An esset locus executioni obligationis Cameralis? Et fuit resolutum, non
1 esse locum executioni: Quia forma Cameræ † est accessoria ad formam literarum reseruationis pensionis, & recipit omnes conditiones literarum, Sarmien. *select. interpret. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. & fuit resolutum *in vna Asculana pensionis* 7. *Februarij* 1585. *coram R. P. D.*

2 Pamphilo, & † subintelligitur in ea, clausula, Si preces veritate nitantur, vti fuit resolutum in vna Compostellana pensionis 30. Maij 1585. coram R. P. D. Serapheno. Vnde cum ista obligatio pendeat ex validitate literarum Apostolicarum, & A.C. pronuntiauerit eas non esse exequendas, & Leandrum absoluerit; antequam constet de iniustitia huius sententiæ, non potest esse locus executioni vigore obligationis in forma Cameræ.

3 Addebant aliqui, quod † pensio de stilo Curiæ per promotionē ad Episcopatum extinguitur, & retentionem esse nouam gratiam; cui cùm Leander non consenserit, & Episcopus antea non esset in quasi possessione exigendi, istam gratiam ante executionem ab Episcopo esse iustificandam.

Non obstat, quòd litis pendentia super nullitate literarum non impedit executionem obligationis, in forma Cameræ. Quia nullitas fuit proposita à Leandro per viam exceptionis, cum Episcopus peteret

4 executionem obligationis: & † nullitas proposita per viam exceptionis, de qua iudici constitit, impedit executionem obligationis, Franc. in cap. dilecto col. 18. versic. circa secundum, & col. 23. versic. sed aduerte, de appell. præsertim, cùm per sententiam sit vulnerata obligatio.

Non obstat quòd non præsumitur pro sententia.

5 Quia licet non præsumatur † pro sententia, à qua fuit appellatum, præsumptione iuris, & de iure, sicut præsumitur pro re iudicata; tamen præsumptione iuris simpliciter præsumitur pro sententia pendente appellatione, cap. in præsentia, & ibi Imol. de renunt. cap. bonæ il 1. de elect. Bald. & Paul. in leg. si instituta, §. de inofficioso ff. de inofficios. testam. Imol. in clem. 1. num. 11. de seq. poss. & fruct. Dec. in rubr. de appell. num. 8.

Cętera, quæ concernunt iniustitiam A.C. Domini dixerunt esse particulariter discutienda.

MEDIOLANEN. PECVNIARIA.

Mercurij 27. Ianuarij 1593.

ARGVMENTVM.

Contractus dationis in solutum, quando censeatur pignoratitius, & simulatus.

SVMMARIVM.

1 *Contractus, talis regulariter iudicatus, qualis à contrahentibus nominatur: Nisi pacta repugnent, & num. 2.*

3 *In contractibus potius attēditur qualitas pactorum, quàm denominatio contrahentium.*

4 *Pactum redimendi infra tantum tempus, repugnat dationi in solutum.*

5 *Datio in solutum obtinet vim emptionis; & omne eius cōmodum, & incommodum spectat ad emptorem.*

6 *Si bona data in solutum remaneant in æstimo venditoris; tunc non censetur datio in solutum.*

7 *Item, quando venditor remanet in possessione bonorum.*

8 *Quando venditor remanet in possessione, ex titulo locationis, non arguitur simulatio: nisi aliud suadeant coniecturæ: quas vide num. 9. 10. 11. & 12.*

13 *In datione in solutum præsumitur simulatio, quando concurrunt coniecturæ.*

14 *Rationes, quibus præsumitur emptio simulata, militant etiam in datione in solutum.*

15 *Simulatio præsumitur, etiam sine modicitate precij, quando adsunt aliæ coniecturæ.*

16 *Per dationem in solutum obligatio præcedens extinguitur: & sic post eam, nulla mora considerari potest.*

DECISIO XXIX.

Domini, perpensis diligenter omnibus clausulis huius contractus, censuerunt in eo simulatè fuisse appositum nomen dationis in solutum, & fuisse pignoratitium, & illicitum. Moti fuerunt: Quia

1 licet regulariter † contractus iudicetur talis qualis à contrahentibus nominatur, Bart. in leg. cotem, §. qui maximos ff. de public. & vectig. Oldrad. consi. 159. in 1.

2 dub. Aret. cons. 55. in princ. tamen hoc † non procedit quando pacta repugnāt leg. vbi ita donat. ff. de donat. caus. mort. cap. constitutus de relig. domib. & ibi Abb. num. 22. Rom. cons. 509. Dec. cons. 304. num. 2. Atten-

3 ditur enim † potius qualitas pactorum, quam denominatio contrahentium, Bald. in rubr. Cod. de iur. emphyt. num. 10. Ias. in leg. 1. num. 45. Cod. de iur. emphit. Afflict. dec. 72. num. 9. & 10. Tiraq. de retract. lignag. §. 30. glos. 1. num. 11. Bellon. cons. 21. num. 5. & 6.

In hoc autem contractu Dominis videbātur multa concurrere, quæ repugnant dationi in solutum, & illum arguunt pignoratitium. Et primo considerabant pactum redimendi infra sex annos; quod non est appositum in fauorem venditorum vti regulariter apponitur: quia venditores coguntur redimere

4 quod arguit simulationem, & † repugnat dationi in solutum Sum. Ang. in vers. Vsura il 1. nu. 66. Siluestr. in versic. Vsura il 2. quæst. 15. versic. 3. Couar. lib. 3. variar. resolut. cap. 9. sub num. 3. versic. 4. ex pronotatis. Et in simili pacto apposito in contractu census fuit pluries resolutum, & nouissimè in vna Vrbeuetana census coram R. P. D. Seraphino.

Considerabant etiam Domini quod Andreas reseruat sibi facultatem cogendi venditores ad reemēdum bona data in solutum; &, si post denunciationem venditores essent negligentes, vel recusarent comparere, & soluere pretium, succedit aliud pactū, quod liceat emptori vendere plus offerenti, & si minus vendantur eo pretio, quo ipse emit, possit petere residuum. Quod pactum ostendit Andream non habuisse animum emendi, & est contra substantiam

5 dationis in solutum, in qua, cum † obtineat vim emptionis, l. eleganter. ff. de pig. act. commodum, & incommodum spectant ad emptorem leg. 1. & 2. ff. de peric. & com. rei vend. Siluestr. in loco citato versic. 2. Angel. num. 68.

Placebat quoq; Dominis alia coniectura similis,

6 quod † bona data in solutum semper remanserunt in æstimo venditorum Bald. consil. 438. vol. 2. volu. 5. Rol. à Vall. consil. 40. num. 35. vol. 2.

7 Præterea fuit considerata alia coniectura, quod † venditores remanserunt in possessione bonorum in solutum datorum, leg. ficut. §. superuacuum ff. quibus modis pign. vel hypoth. solu.

8 Et licet non arguatur † simulatio quando venditores remanserunt in possessione ex titulo locationis Rom. consil. 304. num. 3. Imol. in cap. illo vos num. 17. de pign. Et fuit decisum in vna Neapolitana census 4. Decembris 1579. coram bon. memor. D. Episcopo Lauretano; Tamen ista limitatio sublimitatur, nisi aliud suadeāt coniecturæ, Rol. dict. consil. 40. num. 44. Quæ hic plures concurrunt. Nam isti contractus dationis in so-

lu-

lutum, & locationis fuerunt initi 4. Februarij; & ad-
9 est pactum, quod † locatio, & solutio pensionis inci-
piant à die Sancti Martini 11. Nouembris præceden-
tis. Quod non conuenit contractui locationis: quia
conductor pro eo tempore quo erat Dominus,
non tenetur ad solutionē pensionis *leg. si quis fundum,*
§. vlt. ff. loc. Paris. cons. 54. n. 76. vol. 1. Secundo Pensio
10 † non est proportionabilis ad fructus bonorum lo-
catorum, sed potius est correspectiua ad interesse
pecuniarum ad rationem quatuor pro centum, An-
char. *cons. 257. col. vlt.* Io. de Anan. *cons. 58. col. 2.* Natta
cons. 198. n. 14. Plot. *cons. 83. n. 7.* Tertius Adest pacti,
11 quòd † conductores non possint petere remissionem
mercedis ex causa belli, pestis, tempestatis, vel alte-
rius casus fortuiti: quod est contra naturam contra-
ctus locationis, *leg. ex conducto §. 1. ff. loc. leg. licet, &*
leg. excepto. Cod. eod. titul. Bellon. *dict. consil. 21. numer.* 8.
12 Quarto Conductores soluerunt † onera, quorum
solutio spectat ad Dominum, & non ad conducto-
rem *leg. ædiles ff. de via public.* Bald. *in leg. 1. sub num. 4.*
Cod. de iur. emphyt. Alexan. *cons. 4. num. 3. vol.* 5. Ruin.
cons. 77. num. 6. vol. 1. Bero. *cons. 146. num. 15. volu.* 1.
Natta *dict. cons. 198. num. 11. & 13.*

Non obstat quod in datione in solutum non est lo-
cus simulationi, Fulgos. *cons. 133. sub n. 1.* Dec. *cons.*
167. sub num. 2. cum alijs allegatis: Quia dominis ma-
13 gis placebat † contraria opinio quando concurrunt
14 coniecturæ: cum † eædem rationes, ex quibus præ-
sumitur emptio simulata, militent etiam in datione
in solutum, Cassad. *dec. 2. de vsur.* Paris. *dict. consil.* 54.
num. 82. Couar. *lib. 3. var. resol. cap. 8. nu.* 5.

Non obstat quòd absque modicitate pretij non
15 est locus simulationi: Quia licet † ex modicitate
pretij sumatur vrgens præsumptio simulationis; ta-
men etiam sine modicitate aliæ coniecturæ sufficiunt
Rol. *dict. consil. 40. num. 42.* Mod. Eugub. *consil. 74. nu.*
5. & 13. lib. 1.

Non obstat quod propter moram debitorum po-
tuit taxari interesse. Quia post dationem in solutum
16 non potest considerari mora; cum per dationem †
in solutum obligatio præcedens sit extincta *leg. si quis*
aliam, ff. de solut. leg. eleganter ff. de pignor. act. Dec. *cons.*
307. sub num. 9.

ROMANA REDDITIONIS COMPVTORVM.

Veneris 29. Ianuarij 1593.

Summarium seruit loco Argumenti.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum est exequendum, quando iustificatur ex con-*
fessione eiusdem Rei, & relatione calculatoris.

DECISIO XXX.

FVit resolutum, mandatum ab A. C. relaxatum, esse exequendum contra bona Franciscæ: Quia de illius iustitia constat ex confessione eiusdem Franciscæ, & relatione calculatoris; nec de executione potest dubitari, stante obligatione Camerali.

Verum, quia pro parte Pomponij Racani dicebatur, mandatum non posse exequi contra bona ab eo possessa; Domini dixerunt, quod si petitur executio contra ista bona, particulariter dubitetur.

ROMANA HÆREDITATIS.

Lunæ 1. Februarij 1593.

ARGVMENTVM.

Pactum, quòd in casu restitutionis dotis, dos restituatur absque alia donatione, quarto dotali, &c. an habeat locum, extantibus filijs communis matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Vxore decedente cum liberis communis matrimonij, maritus, ex Statuto Vrbis* lib. 1. cap. 131. *lucratur totam dotem; quam liberis reseruare debet.*

2 *Renunciatio donationi propter nuptias, lucro dotali, &c. in euentum restitutionis dotis, non habet locum in casu, quo vxor decedat cum filijs communis matrimonij. Et intelligitur facta in casu quo liberi non supersint. Et num. 6.*

3 *Verba,* Quod Deus auertat, *non referuntur ad casum necessarium, sed ad contingentem.*

4 *Liberis extantibus, non fit restitutio dotis, ex opinione magis communi.*

5 *Pactum debet intelligi iuxta verisimilem mentem contrahentium.*

DECISIO XXXI.

DOmini concorditer censuerunt, vsumfructum
dotis deberi Illustrissimo D. Marchioni, ex Sta-
1 tuto Vrbis *cap. 131. lib. 1.* quod disponit, vt † vxore de-
cedente, extantibus liberis communis matrimonij,
maritus lucretur totam dotem; & illam liberis secun
dum ius commune debeat reseruare.

Nec mouebat Dominos, quòd in euentum restitu-
tionis dotis adest pactum de dote restituenda, absq;
aliqua donatione, & augmento propter nuptias, lu-
cro quarti donationis, & alterius portionis, quæ vi-
gore Statutorum deberetur. Quia pactum est restri-
2 ctum in euentum restitutionis dotis sed † extanti-
bus liberis communis matrimonij non fit restitutio
dotis, Corn. *cons. 224. numer. 6. lib.* 3. ideò renunciatio
non porrigitur ad illum casum, vt in terminis tradūt
Bald. Paul. & alij allegati per informantes pro D.
Marchione: quibus fuerunt additi Rimin. Sen. *cons.*
314. num. 61. lib. 2. Vinc. Max. *in cons. Bart. tit. de iur. dot.*
§. dos à Patre, num. 6. Paul. de Monte Pic. *cons.* 52.

Addebant Domini, quòd renunciatio facta est in
euentum restitutionis dotis additis illis verbis, *Quòd*
3 *Deus auertat*; quæ verba † nam referuntur ad eum
casum, qui est necessarius, sed ad eum qui potest ac-
cidere, & non accidere: casus autem restitutionis
dotis, liberis extantibus, vel non extantibus, omni-
no debet accidere: quia per mortem, matrimonium
solui necesse est. Ideò debet intelligi facta renun-
ciatio in eum casum, quo vxor sine liberis communis
matrimonij decesserit, qui est contra votum ipsorum
coniugum, *leg. 1. ff. solut. matrim. leg. 2. Cod. de indiuid.*
toll. Et consequentur cum vxor decesserit filio ex eo
dem matrimonio suscepto, superstite, non intelligi-
tur venisse casum dotis restituendæ in quo facta fuit
renunciatio.

Non obstat quod etiam liberis extantibus sit lo-
cus restitutioni dotis. Quia vltra quod ista opinio
est controuersa, cum contrarium teneant Petr. de
Bella pertic. Salic. Paul. & Soccinus; quorum opinio-

nem vti veriorem sequuntur Vinc. Max. *in loco citato*,
& Soccin. Iun. *consil.* 35 *numer.* 12. *lib.* 1. vsu prçualuit
4 opinio Martini, quòd liberis † extantibus non fiat
restitutio dotis: ideò promissio intelligitur liberis
non extantibus; vt per Doctores supracitatos.

Præterea ex illis verbis, *quod Deus auertat* colligi-
tur contrahentes non sensisse de huiusmodi restitu-
5 tione, & pactum debet intelligi † iuxta verisimilem
mentem contrahentium, glos. *in leg. sale pactum in fin. ff. de pact.*

Non obstat quod fuit renunciatum lucro quartæ
partis, & alij portioni, quæ ex statuto deberetur.
6 Quia renunciatio † intelligitur facta in casu, quo li-
beri non supersint, secus si supersint. Paul. de Monte
pic. *dict. consil.* 52. *num.* 7.

ABVLEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 1. *Februarij* 1593.

ARGVMENTVM.

Regula, quòd Capitulum, Sede vacante non possit Beneficia conferre, an habeat locum in collatione necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Regula, quòd Capitulum, Sede vacante non possit Beneficia conferre, non procedit, ex Rebuffo, in collatione necessaria. Contrarium num.* 5.
2 *Potestas instituendi, & confirmandi, transit in Capitulum & num.* 7.
3 *Collatio facienda magis idoneo, est de iustitia, & necessaria.*
4 *In collationibus Beneficiorum nunquam succedit Capitulum, Sede vacante, nisi in casibus à Iure expressis.*
5 *Ex Decreto Congregationis Concilij, Capitulum Sede vacante, non solum non potest conferre Parochiales; sed neque potest conferre in commendam.*

DECISIO XXXII.

Regulæ, quòd Capitulum Sede vacante non po-
test beneficia conferre, *cap.* 2. *ne Sed. vac. c. vnico*
§. si vero eod. tit. in 6. Gemin. *in cap.* 1. *sub num.* 4. *de*
maior. & obed. in 6. afferebatur limitatio ex Rebuff. *in*
prax. tit. de deuol. num. 85. & *in tract. nomin. quæst.* 8. *nu.*
1 30. vt † non procedat in collatione necessaria. Et ad-
ducebatur simile de potestate instituendi, & confir-
2 mandi, quæ † transit in Capitulum, vti necessaria,
Abb. *in cap. cum olim, sub num.* 2. *vers. sed, in confes. &*
inst. de maior. & obed. Arch. Gemin. Anchar. Franc. &
alij *in cap.* 1. *de inst. in* 6. Et ex ista limitatione dedu-
cebatur, cùm parochiales ex dispositione Sacri Con-
cilij Tridentini, *sess.* 24. *cap.* 18. & constitutione Sanctę
memoriæ Pij V. sint conferendæ magis idoneis reper
3 tis, collectam esse † de iustitia, & necessariam, & con-
sequenter Capitulum Sede vacante potuisse confer-
re, vt denominatis, & graduatis quibus ex Concor-
dantis beneficia debentur, tradit Rebuff. *in locis cita-*
tis.

His tamen non obstantibus Domini censuerunt
collationem factam Nicolao Garsiæ à Capitulo, fuis-
se inualidam. Ratio potissima fuit: quia iste casus in
4 Iure non reperitur expressus; & in † collationibus be
neficiorum nunquam Sede vacante succedit Capitu-
lum, nisi in casibus à iure expressis, *cap. illa, ne Sede*
vacan. Lambert. *de iur. patron. lib.* 1. *q. art.* 2. *quæst. prin.*
primæ partis primi libri num. 2. Per quam rationem in
5 proprijs terminis, quod Capitulum Sede vacante †
non possit facere collationem necessariam, contra
opinionem Rebuffi tenet Io. Coras. *in tract. de Sacerd.*
1. *par. cap.* 7. *sub num.* 4. & 5.

6 Mouebat etiam maximè Dominos declaratio †
congregationis Cardinalium Sacri Concil. Tridentin.
interpretum, quæ censuit Capitulum non solùm non
posse conferre parochiales Sede vacante, sed neque
etiam posse conferre in commendam; quod Capitu-
lo erat permissum *cap. bona*, vbi Abb. *num.* 14. *de appel-*
lat. cap. vlt. de stat. Monach. Abb. *in cap. illa num.* 4. *ne*
Sede vacan. aliquid inou.

Nec obstat, opinio Rebuffi: quia Dominis magis
placebat opinio contraria: præsertim stante resolu-
tione Congregationis. Nec placebat simile de in-
stitutione, & confirmatione, cùm Capitulum habeat
7 istam potestatem: quia † hoc est in iure expressum,
Abb. *in dict. cap. illa num.* 6. Lamb. *in loco citato, versic.*
similiter videmus.

PLACENTINA VSVRARVM.

Veneris 12. *Februarij* 1593.

ARGVMENTVM.

Examen testium, post quadriennium, in quo casu sit validum.

SVMMARIVM.

1 *Examen absque præuia citatione, ad videndum iurare testes, est nullum.*
2 *Citatio pro certa die ad dandum interrogatoria, non sanat defectum citationis ad viden. iurare testes.*
3 *Quadriennium, in materia examinis testium, non currit quando impedimentum prouenit ob moram Iudicis, & propter impedimenta Partis.*
4 *Iudex non potest prorogare fatalia: potest tamen ea suspendere, & num.* 6.
5 *Mora Iudicis propter factum Partis, non debet nocere alteri Parti, quæ non fuit negligens.*

DECISIO XXXIII.

Fvit resolutum, examen coram Vicario Cremo-
1 nensi fuisse nullum, ex defectu † citationis ad vi-
dendum iurare testes *leg. si quando Cod. de testib. cap.*
20. *eod. tit.*

Hoc placuit Dominis quod fuit facta citatio pro
2 certa die ad dandum interrogatoria. Quia † ista ci-
tatio non sanat defectum citationis ad videndum iu-
rare testes.

Examen verò coram Præposito Placentino, Do-
mini censuerunt esse validum. Quia licet testes sint
examinati post quadriennium; tamen cùm longe an-
te lapsum quadriennij Antonia produxerit articu-
los, & fecerit instantiam pro examine testium, &
Caterina, & litis consortes semper impediuerint ad-
missionem, & examen; & iudex, qui propter istam
oppositionem dubitabat, An articuli essent admit-
tendi, pluries prorogauerit monitiones factas, cum
declaratione, quod interim tempus non curreret;
Domini dixerunt, tempore examinis quadriennium
3 non fuisse lapsum: quia istud † tempus prorogatio-
num est subducendum cùm impedimentum proue-
nerit

nerit ob moram Iudicis, & propter factum partis, &
Antoniæ non possit imputari negligentia *auth. si appellatione, Cod. de tempore appell.* Andr. Gaill. *pract. obseru. lib. 1. obser.* 141. *num.* 10.

4 Nec mouebat Dominos, quòd † iudex non potest
prorogare fatalia, *clem. sicut, de appell.* Quia hic non
adest prorogatio neque suspensio fatalium, sed solũ
iudex prorogauit monitiones, cùm suspensione temporis, propter exceptiones oppositas à Catharina,
5 & difficultatem, quam ipse habebat: & † mora Iudicis propter factum partis non debet nocere Antoniæ, quæ non fuit negligens *dict. authent. si appell.*

Præterea, licet iudex non possit prorogare fata-
6 lia, potest † tamen suspendere Alex. *consil.* 24. *num.* 13. *lib.* 4. Purpur. *consil.* 169. Vant. *in tractat. de nullit. tit. de nullit. sent. ex defectu iurisd. ordin. num.* 127. Præsertim, quando suspensio fit propter exceptiones oppositas ab appellato, Bero. *consil.* 36 *num.* 2. *&* 3. *& cons.* 115. *num.* 3. *volu.* 3. & propter difficultatem quam habet iudex, Castad. *dec.* 9 *num.* 9. *&* 10. *de appellat.*

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS.

Veneris 19. Februarij 1593.

ARGVMENTVM.

Iura extracta ex Archiuio, cuius custodia sit penes Capitulum, an probent contra Episcopum.

SVMMARIVM.

1 *Iura non dicuntur esse in forma probanti, quando sunt extracta ex Archiuio Capituli, contra non subditum.*
2 *Vt iura extracta ex Archiuio probent, requiritur quòd custos Archiuij non sit suspectus.*
3 *Scriptura extracta ex Archiuio, cuius custodia sit penes Capitulum non probat contra Episcopum, cum quo Capitulum litigat.*
4 *Vt iura extracta ex Archiuio probent, debet constare, de tempore repositionis ante motam litem.*
5 *Scripturis Archiuij, si sint authenticæ, datur fides; non ratione Archiuij, sed quia sunt authenticæ.*
6 *Consuetudinis probatio non releuat, si non probetur præcisè in terminis casus, de quo agatur.*
7 *Ad hoc vt Scripturæ Archiuij probent, debet præcedere citatio ad videndum collationari iura cum originalibus.*

DECISIO XXXIV.

Domini concorditer censuerunt, iura non esse in
1 forma probanti: quia sunt † extracta ex Archiuio Capituli, Put. *decis.* 26. *de fid. instrum.* & Episcopus non est subditus Caputaq. *dec.* 42. *lib.* 1.

Tanto magis, quia eius custodia residet penes
2 Capitulum: & inter alia substantialia, vt iura † extracta ex Archiuio probent, hoc quoq; est necessarium, quòd custos non sit suspectus Ant. Gabr. *in titu. de probat. conclus.* 5. *num.* 18. Quia, vt inquit Cornel. *in cons.* 142. *colu.* 3. *volu.* 3. facile posset committi fraus, ponendo in eo scripturas falsas; vt postea ex auctoritate Archiuij sumerent fidem: Præterquam rationem fuit decisum *in vna Gadicen. adiutoris fabricæ* 4.
3 *Maij* 1583. *coram Cardinali Lancellotto*, quòd † scriptura extracta ex Archiuio, cuius custodia erat penes Capitulum, non probabat contra Episcopum, cum quo Capitulum litigabat.
4 Addebant etiam Domini, quòd, vt † iura extracta ex Archiuio sint in forma probanti, debet constare de tempore repositionis ante motam litem, Caputaq. *decis.* 41. *lib.* 1. Quod tempus non percutiunt testes: quia lis mota fuit de anno 1513. & licet superuenerit Indultum Leonis de anno 1516. tamen lis postea fuit prosequuta, vt ex actis constat.

Non obstat quod in isto Archiuio sunt etiam repositę scripturæ non spectantes ad Capitulum: Quia etiam *in dicta causa Gadicen. aderant* in Archiuio Capituli scripturę pertinentes ad Episcopum: & quia custodia erat penes Capitulum, fuit decisum non probare.

Non obstat quod duo testes deponunt, scripturis extractis ex Archiuio fuisse adhibitam fidem: Quia vltra quod testes sunt singulares, & non deponunt de frequentia actuum, cum in Archiuio adsint etiam scripturæ authenticæ, potest esse quod illæ scripturę, de quibus testes deponunt; fuerint authenticæ, &
5 ideò fuerit illis adhibita fides; † non ratione Archiuij, sed quia erant authenticæ, Corn. *cons.* 125. *colum.* 2. *vers. quod autem, vol.* 4.

Prętерea non probatur quod illis fuerit adhibita
6 fides contra non subditum: & non † releuat probatio consuetudinis, quando non probatur præcisè in terminis casus, de quo agitur Aim, *cons.* 96. *num.* 4.

Placuit quoque Dominis aliud caput, quod iura
7 non sunt in forma probanti: quia † deficit citatio ad videñ collationari iura cum originalibus, vt fuit resolutum *in vna Siracusana quartæ 29. Maij de anno prædicto coram R.P.D. Gypsio.*

ABVLEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 8. Martij 1593.

Vide pro Argumento Decisionem 32.

SVMMARIVM.

1 *Collatio Parochialium, Sede Episcopali vacante, spectat ad Papam, non ad Capitulum.*

DECISIO XXXV.

PRoposui iterum causam super eisdem, & Domini steterunt in decisis: quia ea quæ deducuntur per Nicolaũ Garsiã tolluntur ex resolutione Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, quæ censuit, Sede vacante Episcopali, collationem Parochialium spectare ad Papam, & non ad Capitulum.

PORTVEN. BONORVM.

Veneris 26. Martij 1593.

ARGVMENTVM.

Locatio restricta ad ius pascendi, an sit exclusiua omnis iuris præter ius pascendi.

SVMMARIVM.

1 *Verba,* Non aliud habeat, quàm ius pascendi, *sunt exclusiua omnis iuris, præter expressum.*
2 *Verba,* Prout est solitum, *sunt intelligenda causatiuè, & non relatiuè.*
3 *Declaratio facta lite pendente, non afficit.*
4 *Exceptio dominij non potest opponi à conductore.*

DECISIO XXXVI.

FVit resolutum, Ecclesiæ deberi responsiones per-
ceptas ex suis tertis, prout percipitur ex alijs ter
ris, quæ non fuerunt locatæ Corensibus. Ratio deci-
sionis fuit: quia in instrumento locationis adest Ca-
pitulum clarum, quod in 63. rubris terreni, quæ ha-
bet Ecclesia D. Marius conductor non habeat aliud
quàm ios pascendi. Vnde cum ista verba, *non aliud*
1 *habeat quam ius pascendi*, sint † exclusiua omnis iuris
præter ius pascendi expressum, Tib. Decian. *resp.57.*
num.60. lib.3. oon potest D. Marius inter 90. rubra
quæ debet locare Vassallis pro annua responsione
vnius ex oouem, connumerare ista 63. rubra terra-
rum Ecclesiæ, *leg. nam hoc, ff. de cond. indeb. leg. si me,*
& titium, ff. si cert. petat.
Nec obstat quod in dicto Capitulo subdatur, *pro-*
2 *ut est solitum*. Quia vltra quod † ista verba sunt in-
telligenda causatiuè, & non relatiuè; cum verba præ-
cedentia sint dispositiua, & clara, Bart. *in leg. eum qui*
§. Iulian. ff. de const. pecun. Paul. *cons.17. in 2.* Put. *dec.1.*
de confirmat, non probatur istud solitum ad rationem
voius pro nouem: quia testes Archipresbyteri con-
trarium deponunt & etiam secundus Testis D. Ma-
rij iuxta decimum, & vndecimum interrogatorium.
Non obstat declaratio Marchionissæ: Quia, omis-
3 sa disputatione super eius validitate, cùm sit † facta
lite pendente, & in præiudicium Ecclesiæ, fuit dictum
quòd nihil iuris tribuit D. Mario.
Non obstat quod Ecclesia non habeat dominium
istarum terrarum, sed Dominus Castri: Quia cùm
conductor in eis non habeat nisi solum ius pascendi,
4 † non potest refricare quæstionem domioij Ecclesiæ
ex persona Domini.

ROMANA CAMBIORVM.

Veneris 26. Martij 1593.

ARGVMENTVM.

Socius an possit soluere, vel ordinare quòd soluan-
tur debita leuiora societatis, omissis grauioribus.

SVMMARIVM.

1 *Socij habent solum mandatum ad faciendum ea, quæ sunt*
vtilia societati.
2 *Mandatum soluendi, restrictum in vno loco, non potest ex-*
tendi ad solutionem faciendam in alio loco.
3 *Dictio,* Prout, *restringit mandatum ad tenorem Instru-*
menti, ad quod habet relationem.
4 *Mandatum soluendi debita ex vna causa, non extenditur*
extra illam causam. Et num. 5.
6 *Statutum Vrbis,* De contractibus minorum sine cer-
ta solemnitate non valituris, *habet locum vbicunq;*
directè, vel indirectè remittitur aliquod ius.
7 *Procurator constitutus cum solemnitatibus Statutarijs ad*
faciendum certum actum pro minore, &c. potest illum
actum facere absque alia solemnitate. Secus, quando est
constitutus, non ad faciendum certum actum, sed gene-
raliter, & num.8.

DECISIO XXXVII.

DVbitaui, An Io: Maria, & Vincentius habentes
facoltatem, prout in Iostrumentis mandato-
rum, potuerint soluere vel ordinare Dominis de Bā-
dinis, vt soluerent debita extra causam Census, omis-
so debito ex causa census. Et Domini distinxerunt
dubium propositum in tres Difficultates. Prima
fuit, An potuerint soluere de iure Communi, circum
scriptis mandatis. Secunda, An vigore mandati Io.
Mariæ. Tertia, An vigore mandati Vincentij.
Circa primam Domini resoluerunt Io. Mariam, &
Vincentium, non potuisse soluere, neque ordinare
Dominis de Bandinis, quòd in damnum societatis
1 soluerent debita leuiora, omisso grauiori: quia † so-
cij habent solum mandatum ad faciendom ea, quæ
sunt vtilia societati, glos. *in leg. nemo ex socijs ff. pro so-*
cio, & in leg. de pupillo §. si plurium, ff. de nou. oper. nun-
ciatur, Rom. *cons.398. num.1.* Aim. *cons. 129. num 1. &*
cons.762. num. 28. Taoto magis cum in casu isto præ-
cederet conuentio, quòd istæ pecuniæ conuerteren-
tur in causam Census. Ideo non potuerunt aliqui ex
socijs in notabile damoum societatis, ob cambia, &
recambia, illas conuertere in alium vsum, & ordina-
re, quod soluerentur extra causam census.
Quantum vero ad secundam, Domini censuerunt
Io: Mariam non habuisse sufficiens mandatum ordi-
nandi Dominis de Bandinis, vt soluerent debita ex-
trà causam Census. Primo quia mandatum est restri-
ctum ad Statum, & Ciuitatem Camerini, vbi fuit de-
2 putatus Thesaurarius: & ideò † non potuit in Vrbe,
vbi residebant alij socij, ordinare Bandinis, quòd pe
cunias soluerent extra causam Census, Anchar. *cons.*
232. num.3. & 4.
Secundo quia in mandato Io: Maria ex pecunijs
Camerini promisit soluere Camerini, & in suo Statu
pecunias in Tabula Cameræ Apostolicæ descriptas,
& reliquas transmittere ad Vrbem consignandas in
Banco Dominorum de Bandinis; prout in Instrumen
to cum Bandinis celebrato continetur. Vnde cum il-
3 la dictio, prout, † restringat mandatum ad tenorem
Instrumenti celebrati cum Bandinis, ad quod habet
relationem, *leg. edita, & ibi* Bart. *num.28.* & Dec. *num.*
85. Cod. de edendo, & Instrumentum celebratum cum
Bandinis contineat quod reliquæ pecuniæ debeant
transmitti ad Bancum Dominorum de Bandinis, pro
soluendo debito ex causa Census, non potuit Io: Ma-
4 ria † vigore dicti mandati soluere, nec ordinare
Bandinis, vt ex pecunijs transmissis soluerent debi-
tum extra causam Census, omisso debito Census, Gu
liel. Mayner. *in leg. si in duabus num.20. ff. de regu. iur.*
Nō obstat quod destinatio fuit facta ad fauorem
Dominorum de Bandinis, vt ipsi essent magis cau-
ti: Quia non solum respicit fauorem Dominorum
de Bādinis, sed etiam commodom Thesaurariorum:
qooniam pro Censo soluendo, Bandini poterant ac-
cipere pecunias ad cambia, & recambia; vt io Instru
mento fuit conuentum: sed pro soluendis alijs debi-
tis extra causam Census, ipsi non poterant accipere
pecunias ad cambium; vt fuit resolutum: & ideo mul
tum interrerat Thesaurariorum, quod ex pecunijs
transmissis in primis solueretur debitum Census; &
consequenter, cùm destinatio concerneret, etiā fauo
rem thesaurariorum, non potuit Io: Maria ordinare
5 quòd pecuniæ † soluerentur in aliam causam, neque
Bandini debebant sequi in hoc eius ordinationes,
cum non haberet sufficientem facultatem, Anchar.
dict. cons.232. num.5.
Non obstat, quòd non omnes pecuniæ erant de-
stina-

stinatæ ad solemnem census, sedquæ tempore solutionis Census fuissent repertæ in Banco; vt colligitur ex illis verbis, *tunc extantibus*, & fuit resolutum coram *bon.mem. D.Bubalo*: Quia si pecuniæ transmissæ ad Bancum in primis erant destinatæ pro solutione census, à Bandinis non debuerunt conuerti in aliam causam; alioquin huiusmodi destinatio redderetur inutilis, si Bandini poterant sibi ex illis pecunijs transmissis satisfacere pro debitis solutis extra causam Census: &, si pecuniæ tempore solutionis non extabant in Bãco, hoc euenit facto ipsorum; quia non debebant soluere in aliam causam.

Quantum autem ad tertiam difficultatem, aliqui ex Dominis dubitabant, An mandatum Vincentij esset sufficiens; quia eis videbatur restrictum ad Ciuitatem Camerini: & quia debet intelligi secundum naturam, & qualitatem negocij, & conuentiones initas. Sed ceteri Domini contrarium existimabant: quoniam datum est Vincentio plenissimum, & liberum mandatum, & plenissima, & libera administratio: Ideònon dubitabant Vincentium potuisse ordinare Bandinis, vt soluerent extra causam census.

Sed placuit Dominis caput nullitatis mandati ex
6 defectu solemnitatum Statuti, quòd † locum habet
vbicumque directè vel indirectè remittitur aliquod
ius, Cresc. *dec.*199. Cotta *dec.*211.

Non obstat quod cum D. Verginia esset tutrix testamentaria, & fuerit ei solemniter per iudicem decreta tutela, potuit non adhibita solemnitate statuti constituere procuratorem ad faciendum contractum super rebus minorum, Federic. de Sen. *consil.*
210. *cum alijs allegatis*: Quia Domini distinguebant
7 duos casus. Primus est, quando procurator fuit †
constitutus cum decreto iudicis ad faciendum certum actum; in quibus terminis loquuntur Federicus,
& alij hic citati; & Domini admittebant absque
aliqua solemnitate posse illum actum facere. Secun-
8 dus verò casus est, quando fuit † constitutus procurator cum decreto, non ad faciendum certum actum,
sed generaliter, vt in casu isto: & in hoc casu in actibus subsequentibus requiruntur solemnitates, Ias. *in leg.1.§.item aquirimus num.13.& 18.ff.de acqu. poss.* Tiraq. *de legibus connubial.glos.5.nu.*198. Lamberteng. *de contract.glos.20.num.* 4.

CALAGVRITANA DIMIDIARVM PORTIONVM DEL BVRGO.

Luna 5. Aprilis 1593.

ARGVMENTVM.

Diuersitas causæ, & diuersitas personarum, quomodo probentur. Compulsatio, & citatio partis, quando non sint necessariæ.

SVMMARIVM.

1 *Diuersitas causæ petitionis, & diuersitas personarum, faciunt causam esse diuersam, & num. 3.*

2 *Petitiones contrarias, & incompatibiles inter se, faciunt resultare causam diuersam.*

4 *Causa non habens connexionem cum altera, non impedit eius cognitionem.*

5 *Compulsatio, & citatio partis, non sunt necessariæ, quando Notarius, qui in prima compulsatione fuit rogatus, de ea fidem facit.*

DECISIO XXXVIII.

BEneficiati integri Ecclesiæ oppidi del Burgo petebant suppressionem duarum dimidiarum portionum vacantium: & quoniam filij patrimoniales se opposuerunt, lis fuit introducta coram Ordinario; qui declarauit non esse locum suppressioni. Ab ista sententia Beneficiati appellauerunt ad Metropolitanum: Ordinarius vero processit ad edictorum propositionem: Et inter alios se opposuerunt Ioannes, & Nicolaus della Rea, & Hieronymus de Larinzar, & Thomas Gartias: sed Ordinarius Hieronymum, & Thomam instituit, & in possessionem induxit. Ab ista sententia Ioannes, & Nicolaus appellauerunt; & Causa fuit mihi commissa. Et quia pro parte Hieronymi, & Thomæ allegabatur, acta non fuisse integrè transportata, quia deficiebat processus factus in causa suppressionis, dubitaui, An constaret de integra transportatione actorum. Quod fuit affirmatiuè resolutum, cum præsupposito, quòd causæ suppressionis, & prouisionis dimidiarũ portionum sint diuersæ; Et quod constet de legitimo mandato Hieronymi, & Thomæ. Ideò dedi dubium super veritate præsuppositorum; quod pariter fuit affirmatiuè resolutum.

Moti fuerunt Domini: Quia diuersa † est causa
1 petitionis, & personæ etiam sunt diuersæ, ideo non
potest esse eadem causa, *leg. cum quæritur, cum sequ. ff. de except. rei iud.* Dec. *cons.*96. *sub num.* 1. Paris. *cons.* 87. *num.*50. *lib.*3. Soccin Iun. *consil.* 181. *num.*83. *volum.*2.
Nam inter filios patrimoniales, & beneficiatos dubitatur, an sit locus suppressioni; Et in ista quæritur, an Ioannes, & Nicolaus sint magis habiles Hieronymo, & Thoma, ad effectum vt istis præferri debeant
in collatione. Et istæ pretensiones sunt non solum
2 diuersæ, † sed etiam contrariæ, & incompatibiles in-
ter se: quia non potest stare quod qui sunt in possessione, & defendunt collationem eis factam esse validam, dicant illam esse supprimendam. *leg.1. Cod. de furt.*

Pariter personæ sunt diuersæ: quia ista causa prouisionis dimidiarum portionum agitur inter Ioannẽ, & Nicolaum ex vna, & Hieronymum, & Thomam ex altera: causa vero suppressionis agitur inter filios patrimoniales ex vna, & beneficiatos ex altera: &
3 ex † diuersitate personarum resultat diuersitas causæ, *leg. & an eandem ff. de except. rei iud. leg. si vnus §. ante omnia ff. de pact.* Soccin. Iun. *dict. conf.* 181. *num.*83.

Non obstat quod causa suppressionis sit preiudicialis isti causæ; & ideo debeat prius terminari. Quia
4 cum ista causa suppressionis † non habeat connexitatem cum causa prouisionis, non impedit eius cognitionem, Afflict. *dec.*30. *num.*2. Bero. *cons.*210. *num.*13. *lib.* 2. Tanto magis quia ex terminatione huius causæ non fit præiudicium causæ suppressionis: quia in ista causa quæritur solum, qui sint habiliores, & eius decisio non affert præiudicium suppressioni, si declarabitur eam esse faciendam.

Quantum autem ad secundam partem Dubij, ea non habuit difficultatem apud Dominos: Quia Notarius compulsoris, qui in prima compulsatione fuit rogatus de substitutione procuratoris, de ea fidem
5 facit in secunda, & in isto casu † non est necessaria
compulsatio, neque citatio partis. Rot. *dec.* 1. *de fid. instrum. in nou.*

EGI-

EGITANEN. ARCHIDIACONATVS.

Luna 5. Aprilis 1593.

ARGVMENTVM.

Gratiæ iustificatio probatur ex multis, vt hic.

SVMMARIVM.

1 *Confessio probat contra confitentem.*

2 *Beneficium requirens personalem residentiam, vacare dicitur per assecutionem alterius Beneficij, personalem residentiam similiter requirentis.*

3 *Valor Beneficij probatur per testes de publica voce, & fama.*

DECISIO XXXIX.

FVit resolutum, gratiam D. Michaelis esse iustificatam. Nam primo fuit narratum, Aluarum, qui obtinebat hunc Archidiaconatum, fuisse assecutum Parochialem de Penello; quod bene probatur ex testibus super secundo: quorum duo deponunt de publica voce, & fama, reliqui vero de auditu à pluribus, & ex literis diuersorum.

Concurrit etiam confessio ipsius Aluari in literis scriptis ad Michaelem, in quibus fatetur assecutionem huius Parochialis, postea quam habuit Archidiaconatum: licet asserat quòd poterat vtrunq; retinere, quia non sunt incompatibilia. Sed in hoc ei non est credendum: quia hoc pendet ex Iuris dispo-
1 sitione: & ista † confessio probat contra ipsum, Put. *decis.52.lib.2.* & in his terminis fuit dictum *in causa Toletana Capellania de Zaratas 10. Iunij 1587. & 13. Maij 1589. coram R.P.D. Mantica.*

Secundo fuit narratum, Archidiaconatum vacare
2 per assecutionem Parochialis: & ista vacatio † non recipit dubitationem, quia vtrunque beneficium requirit personalem residentiam, ex Sacro Concil. Tridentino *cap.12. §. preterea sess.24. & cap.4. sess.7.* & fuit pluries resolutum à Sacra Congregatione Cardinalium eiusdem concilij interpretum.

Tertio fuit narratum; Michaelem esse presbyterum Portugallensem: quod ex communi reputatione probatur per testes super sexto.

Quarto fuit narratum, quod valor trium obtentorum non excedit ducatos ducentos de Camera:
3 quod † probatur per testes super quinto de publica voce, & fama.

Quintò, quòd valor Archidiaconatus non excedat 300. ducatos de Camera, vt fuit dictum, probatur ex duobus etiam testibus de publica voce, & fama super quarto, & alio teste ex literis Aluari.

Sextò, quod iste Archidiaconatus sit dignitas, sed non maior post pontificalem, vt fuit dictum, probatur etiam ex testibus super tertio.

BONONIEN. PENSIONIS.

Luna 17. Maij 1593.

ARGVMENTVM.

Narrata in reseruatione pensionis, quando presumantur iustificata.

SVMMARIVM.

1 *Cessionarius pensionarij potest agere executiue pro terminis decursis, sicut ipsemet pensionarius.*

2 *Trãslatario datur clausula, sine retardatione solutionis pensionis, etiamsi non exegerit, quando transferens fuit in quasi possessione exigendi.*

3 *Non debet magis grauari translatarius, quàm transferẽs, si viueret.*

4 *Narrata in reseruatione pensionis presumuntur iustificata ex lapsu temporis.*

5 *Pensionarius, stante reseruatione multi temporis, & exactione de presenti, presumitur quòd pensionem semper exegerit.*

6 *Petitio solorum terminorum currentium facit presumere solutionem integram omnium terminorum precedentium.*

7 *Narratiua*, Ne ex cessione nimium dispendium patiaris, *sufficienter iustificatur, quando constat de dimissione pensionis.*

8 *Translatio intelligitur facta cum suis qualitatibus.*

DECISIO XL.

FVit resolutum cessionario, & translatarijs concedendam esse executionem contra collegium Mõtis Alti Abbatiæ possessorem.

Quãtum ad cessionarium, ratio Dominorum fuit:
1 quòd † sicut bon. me. D. Risius poterat agere executiuè pro terminis decursis, cum esset in quasi possessione exigendi, ita & eius cessionarius Rom. *cons.38.nu.1.* Paril. *cons.107.num.90.lib.3.* Bero. *cons.187.nu.29. lib.1.*

Quantum autem ad translatarios, moti fuerunt
2 Domini: quia quando transferens † fuit in quasi possessione exigendi, translatarijs, etiam quod non exegerint, datur clausula, sine retardatione solutionis pensionis Antonius Augustinus *in Epit. de pension. in tit. de translat. pens. vers. clausula sine retardatione.* Et vi-
3 debatur eis inconueniens, quòd magis † debeant grauari translatarij, qui sunt omnium rerum suorum Antecessorum ignari, quàm transferens, *si viueret reg. qui in alterius, de regul. iur. in 6.* Simonet. *dec.85.* Achil. *dec.374.*

Addebant etiam, quòd bon. mem. D. Risius exegit istam pensionem per spacium 35. Annorum: ideò
4 † ex cursu tanti temporis narrata in reseruatione præsumuntur iustificata, vt fuit resolutum *in causa Lucana Decanatus coram S. D. Nostro, in causa portugalen. Parochialis: coram R. P. D. Orano, & in causa Romana domus 11. Maij de anno preterito, coram me.*

Et licèt non ostendatur ista solutio continuata per spacium tanti temporis; tamen, stante reseruatione pensionis de anno 1555. & exactione de pre-
5 senti, † presumitur quòd eam semper exegerit, Alciat. *de presumpt. reg.2. presumpt.21. num.15. vers. limitatur 7.* Presertim, quia si non fuisset facta solutio in-
6 tegra † omnium terminorum precedentium, D. Risius non petijsset solum terminos currentes *leg. cum de indebito ff. de probat.*

Non obstat quod stante narratiua, *Ne ex cessione nimium dispendium patiaris*, est necessaria iustificatio.
7 Quia sufficit † ad illum effectum quòd constet de dimissione pensionis, Gambar. *in tract. de off. & potestat. lib.6. tit. de pens. num. 150. cum seqq.* vbi affirmat ita Rotam consueuisse iudicare.

Non obstat quod hæc est noua pẽsio, & ideò quasi possessio non sit continuata, cum sit res diuersa, &

alia

8 alia persona: Quia translatio † intelligitur facta,
cum suis qualitatibus *l. Translatio,& le. Caio,ff.adim.
leg.*& fuit dictum *in causa Asculana Pensionis coram R.
P. D. Pamphylio.* Ideo translatarij debent vti eodem
iure, & priuilegio, nec debent in plus grauari quàm
esset grauatus transferens, &c.

SALAMANTINA PENSIONIS.

Lunæ 17. Maij 1593.

ARGVMENTVM.

Agitur de Titulari obligato in forma Cameræ ad solutionem pensionis, habita, vel non habita possessione Beneficij.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus in forma Cameræ soluere pensionem, habita, vel non habita possessione, si non doceat se fecisse diligentiam pro assequenda possessione, non excusatur à solutione pensionis.*

2 *Prouisus à Capitulo non potest agnoscere bonam fidem, contra prouisum à Papa, nisi probetur concludenter facultas Capituli conferendi, & quòd vacatio obtigerit in turno Capituli.*

DECISIO XLI.

FVit resolutum, inhibitionem esse moderandam,
& pensionem soluendam, donec constet de non
1 iure Antonij. Ratio decisionis fuit; quia se † obli-
gauit in forma Cameræ soluere pensionem, habita,
vel non habita possessione, & cùm non doceat, se fe-
cisse aliquam diligentiam pro assequenda possessio-
ne huius dimidię portionis, non potest excusari à so-
lutione pensionis; vt fuit pluries resolutum.

Nec placuit Dominis, quòd cùm pręcederet pro-
uisio Capituli ordinarij collatoris, Antonius, qui
fuit prouisus à Sancta memor. Gregorio XIV. de illa
dimidia portione, vti reseruata per regulam; quia
nõ fuerat antea dispositum, potuit agnoscere bonam
fidem Lap. *alleg.* 120. Put. *dec.* 178. 23. Quia non pro-
2 batur † concludenter facultas Capituli conferendi,
& quòd ista vocatio obtigerit in eius turno: ideò
non potest agnoscere bonam fidem Achil. *dec. vnica
de euictioni.*

AVXIMANA IVRISPATRONATVS.

Veneris 28. Maij 1593.

ARGVMENTVM.

Probatur in casu Decisionis, non constare de Iurepatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Præsentationes, si non sint antiquissimæ, non inducunt præsumptionẽ Iurispatronatus ex fundatione, & dotatione.*

2 *Concilium Tridentinum sustulit Patronatus, quorum titulus non probatur ex fundatione, & dotatione, per multiplicatas antiquissimas pręsentationes.*

3 *Et hoc Decretum Concilij habet locum, tam in petitorio, quàm in possessorio.*

DECISIO XLII.

DOmini concorditer censuerunt, non constare,
de iure patronatus. Quia pręsentationes, cùm
1 † non sint antiquissimæ, non inducunt pręsumptio-
nem iuris patronatus ex dotatione, & fundatione,
Ant. Aug. *in tit. de iur. patron. ex fundatione, & dotatio-*
2 *ne cum alijs allegatis.* Et Sacrum † Concilium Triden-
tinum *sess. 25. cap. 9.* sustulit patronatus, quorum
titulus non probatur ex fundatione vel dotatione, s-
per authenticum documentum, vel per multiplica-
tas antiquissimas pręsentationes, aut alias iuxta iu-
ris communis dispositionem. Quod Decretum Con-
gregatio Cardinalium concilij interpretum decla-
3 rauit locum habere † tam in petitorio, quàm in pos-
sessorio. Ideò Domini dixerunt sententiam A. C.
esse infirmandam, & esse confirmandam sententiam
Vicarij, qui declarauit beneficium esse liberum, &
non constare de iure patronatus.

GERVNDEN. FONTIS.

Lunæ 14. Iunij 1593.

ARGVMENTVM.

Aquæ diuersitas ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Aquæ diuersitas probatur ex diuersitate loci: & ex diuerso transitu, & num. 2.*

3 *Positiones possunt reuocari, quando constat de errore: & præsertim, si datæ sint à procuratore.*

DECISIO XLIII.

DOmini censuerunt, aquam esse diuersam, sed
comprędhendi in priuilegio.

Diuersitatem autem aquæ deducebant ex duabus
potissimum rationibus: quarum prima fuit, quòd
aqua Indulti sumit initium à Monte Sancti Michae-
lis; hæc vero, quàm prætendit Capitulum, ducitur à
Monte Caluario; vt probatur ex depositionibus te-
stium hic examinatorum, quibus adminiculum fa-
ciunt alij testes examinati de anno 1527. & ex verifi-
1 catione plantæ. Vnde † ex illa diuersitate loci pro-
batur diuersitas aquæ, Ang. & alij *in leg. si quis fundi
vocabulo, ff. de leg. 1.* Hieron. de Mont. *de fin capit. 22.
num. 1.*

Alia ratio Dominorum fuit quod ista aqua, quam
2 prętendit Capitulum, non † transit supra vel infra,
riuum Gallicantis, sicut transit aqua indulti: ideò
non potest esse eadem aqua, *leg. forma, de censib.* Socc.
cons. 89. num. 1 lib. 1.

Non obstat, quòd ex positionibus Capituli proba
tur, quòd ista aqua ab immemorabili tempore per-
3 cipiebatur in Monte Caluario. Quia, cum † constet
de errore, istæ positiones potuerunt reuocari, Rim.
Sen. *cons. 372. lib. 2.* Præsertim cum fuerint datæ à pro
curatore, Rot. *decis. 32. de testibus in antiq. &c.*

Præterea, testes super positionibus examinatos E-
piscopus impugnauit: ideo neq; in positionibus ne-
que in testibus potest se fundare, *cap. cum olim, de cen-
sibus, cap. ex eo, de reg. iur. in 6.*

Sed cum Priuilegium non sit restrictum ad certam
aquam, in specie Domini existimarunt istam aquam,
licet sit diuersa, in eo comprędhendi: quia verba
sunt generalia, & valde ampla, & tribuunt facultatem
immiscendi, & aggregandi quascunque aquas.

RO-

ROMANA CASALIS,

Veneris 18. Iunij 1593.

ARGVMENTVM.

Aditio hæreditatis, ex quibus actibus pręsumatur.

SVMMARIVM.

1 *Hæres quis probatur esse, ex possessione bonorum defuncti; & ex perceptione fructuum, & nu. 2, Etiamsi esset creditor, & num. 5.*
3 *Item, ex communi reputatione, & de auditu ab ipsomet hærede.*
4 *Creditor pręsumitur sibi satisfecisse de suo credito in vita defuncti, si eius bona administrabat.*
6 *Fideicommissarius non potest propria auctoritate ingredi possessionem.*
7 *Capiens possessionem propria auctoritate, non Iudicis, pręsumitur possidere, & exigere vti hæres.*

DECISIO XLIV.

DOmini dixerunt constare, quòd D. Marius fuit
1 hæres D. Iacobi: Quia † possedit eius bona,
Bartol. *in leg. pro hærede, in princ. ff. de acquir. hæred.* &
2 fructus † exegit, *leg. pro hærede, §. Papiensis ff. de acqu. hæredit.*
Accedunt depositiones duorum testium: quorum
3 vnus deponit † de communi reputatione; & alius de
auditu ab ipsò Mario, quòd remanserat hæres Troi-
li, Bartol. *in leg. si filius famil. num. 2. ff. de tut.* R. P. D.
Mantica, *de coniecturis vlt. vol. lib. 12. tit. 11. num. 75.*
Non obstat, quod cum D. Marius esset creditor
Troili, exegit vti creditor, & non vti hæres: Quia vl-
4 tra quod D. Marius † præsumitur sibi satisfecisse de
suo credito in vita Troili, cuius bona administrabat,
5 Aim. *cons. 129. num. 5.* etiam quod esset creditor, ex †
ista exactione inducitur aditio, Put. *decis. 447. lib. 1.*
Præsertim cum eius creditum, non fuerit canoniza-
tum per sententiam, vt bene deducunt informantes.
Non obstat quod cum D. Marius potuerit possi-
dere, & exigere vti fideicommissarius, ex ista posses-
sione, & exactione non inducitur aditio. Quia fidei-
6 commissarius non potest † propria auctoritate ingre-
di possessionem, Put. *decis. 3. de testam.* Ant. August. *in tit. de testam.* Vnde cùm D. Marius non ceperit posses-
7 sionẽ auctoritate Iudicis, præsumitur † possedisse, &
exegisse vti hæres, & nõ vti fideicommissarius Rom.
cons. 247. Tanto magis, cùm hic concurrant admini-
cula, quod fuit hæres Troili.

FIRMANA PENSIONIS,

Lunæ 21. Iunij 1593.

ARGVMENTVM.

Pensiones quando, contra stilum, non censeantur extinctæ per promotionem ad Episcopatum.

SVMMARIVM.

1 *Pensiones, secundùm Ius commune, sunt compatibiles cum Episcopatu.*
2 *Pensiones, de stilo Curiæ, extinguuntur per promotionem ad Episcopatum. Intellige vt num. 3. & 9.*
4 *Titularis non habet ius, nisi extincta pensione.*
5 *Subreptio cessat, quando gratia non est noua, neque præiudicialis titulari.*
6 *Retentio concessa post promotionem, non facta mentione Iurispatronatus laicorum, an sit subreptitia.*
7 *Papa, concedendo retentionem pensionis, vult pręiudicare titularibus, eis auferendo istud lucrum.*
8 *Ad inducendam vacationem Beneficij, debent concurrere adeptio possessionis, & consecratio, vel lapsus trium mensium ad consecrationem præstitutorum.*

DECISIO XLV.

DOmini censuerunt, pensionem non fuisse extin-
1 ctam per promotionem D. Vincentij ad Epis-
copatum, & consequenter ex isto capite sententiam
A. C. non posse substineri.
Fundamentum Dominorum fuit, quòd in promo-
tione ad Episcopatum, ei fuit concessa retentio om-
nium compatibilium: per quam fuit sublatum obsta-
culum stili, & res redacta ad dispositionem iuris cõ-
1 munis, secundum quam † pensiones sunt compatibi-
les cum Episcopatu, Gulielm. de Mont. Laud. *in clem. 1. §. eadem vers. 4. quid si pensionarius,* & *ibi* Card. *num. 5. de supplend. neglig. prælat.* Imol. *in clem. gratiæ num. 20. de rescript.* Caccialup. *de pension. quæst. 15.*
Non obstat quod cum retentio sit noua gratia,
2 quia † pensiones *de stilo* extinguuntur per promotio-
nem, Gi. *de pens. quæst. 56.* & in ea non sit facta men-
tio quod pensio consistebat in distributionibus quo-
tidianis, sit subreptitia. Quoniam respondebant
3 Domini, quòd quando † Papa dat retentionem eo-
dem contextu cum promotione ad Episcopatum,
non facit nouam gratiam, quia non est concessa re-
tentio post vacationem, Ias. *in leg. vltima sub num. 3. ff. quod quisq. iur.* Sed tantum remouet obstaculum,
quod impedit quominus pensionarius possit donec
viuat retinere pensionem: & ista remotio obstaculi
4 ante extinctionem non affert præiudicium titulari, †
qui non habet ius nisi extincta pensione Lambertin.
de iur. patron. 3. par. 2. lib. quæst. 9. art. 19. circa fin. pagin. 373. Staphil. *de liter. grat. & inst. tit. de modo, & for-*
5 *ma impetr. vers. 3. & vlt. pro nunc.* Vnde cùm † ista gra-
tia non sit noua, neque præiudicialis titulari, cessat
subreptio. Et in hoc placuit Dominis dictum Felin.
in tract. quando literæ Apostolicæ in 5. limit. vers. considera duos casus, quem sequitur Lambertin. *in loco cit.*
Et licet retentionem prioratus cõcessam post pro-
motionem, non facta mentione de iurepatronatus
Laicorum, subreptitiam existimauerit olim maior
pars Dominorum, vt refert Ægid. *in dec. 752.* Tamen
6 † ipse tenuit contrariam, & eiusdem opinionis fuit
Collector decisionum *in decis. 21. de præbend. in nouiss.*
quæ est in eodem casu. Et istam opinionem quando
retentio est concessa ante vacationem, sequuntur, Fe-
linus, Lambert. & Staphil.
Præterea, in ea specie retentio fuit concessa post
promotionem, & Papa ignorauit præiudicium Pa-
tronorum, quod etat de præsenti. Et in casu isto v-
trumque cessat, quia retentio est concessa eodem
7 contextu cùm promotione. Et Papa † concedendo
retentionem voluit præiudicare titularibus, eis au-
ferendo istud lucrum, Cassad. *decis. 1. de priuileg.*
8 Vnus etiam ex Dominis considerabat, quòd ad †
inducendam vacationem beneficiorum, & pensio-
num, duo debent concurrere, adeptio possessionis,
& consecratio vel lapsus trium mensium ad conse-
cra-

crationem præstitutorum Innoc. *in cap. cum in cunctis, num.4.* Abb. *in dict. cap. §. cùm vero num. 6. de elect.* Et ita dicebat fuisse decisum *in vna Panormitana beneficiorum 9. Iunij 1548. coram Accorambono, & in vna Veglen. Pensionis coram R.P.D.Decano. Et in vna Toletana scholastriæ 22. Iunij præteriti coram R.P.D.Orano:* in quibus fuit dictum, contrariam opinionem glossæ *in dict. §. cum vero*; quam multi sequuntur; & inter re-
9 centiores Gigas *d. dict. quæst. 56.* & stilum † curiæ posse
solum habere locum quando in promotione Papa
decernit beneficia, & pensiones vacare, iuxta Decis. Cassad. *2. de constit.* Vnde cum Episcopo ante adeptionem possessionis, consecrationem, & lapsum triũ mensium; & sic ante extinctionem pensionis fuerit concessa retentio, cessant ferè omnia deducta per informantes pro Leandro: quia si non datur extinctio præcedens, retentio non est noua gratia, non potest impugnari vti subreptitia, neque erat necessaria derogatio reg. de non tollendo iure quæsito.

TARVISINA PLEBIS DE MELDVLO.

Lunæ 21. Iunij 1593.

ARGVMENTVM.

Vnio in quo casu sit inualida, etiam facta à Papa.

SVMMARIVM.

1 *Vnio est inualida; si in eius literis non est facta specialis mentio iuris tertij.*
2 *Cassadori Decis.* 1. de priuileg. *declaratur.*
3 *Papa præsumitur habere scientiam eorum, quæ competunt de iure: non autem ex priuilegio speciali.*
4 *Clausula,* Quorum tenores, *non operetur vt in literis Apostolicis possit extendi totus tenor, cum derogatione expressa.*

DECIISO XLVI.

DOmini concorditer censuerunt, vnionem esse inualidam: Quia in Statuto Ecclesiæ Taruisinæ de anno 1342. quod fuit factum cum præsentia, & consensu Episcopi Taruisij, & postea Apostolica auctoritate confirmatum, expressè disponitur, istam Parochialem spectare, & pertinere ad collationem, & dispositionem Capituli: per quod Statutum fuit resolutum, Ius conferendi istam Parochialem spectare ad Capitulum.

1 Vnde, cum † de hoc iure Capituli in litteris vnio-
nis non sit facta mentio specialis, vnio est inualida, Abb. *cons.* 101 *num.4. & 7. par.1.* Rebuff. *in 3. par. sing. in clausula cum derogatione Statutorum, num.20. & in tit. de renon. glos. 11. num.6.*

Non obstat quòd vnio non potest dici inualida, quia Papa vniendo sciebat collationem huius Parochialis ad aliquem pertinere, Castad. *dec. 1. de priuil.* Quoniam, vt fuit dictum *in causa Toletana annatarum*
2 *23. Ianuarij 1589. coram R.P.D. Orano,* Decisio † Cas-
3 sadori procedit in his, quæ competunt de iure, † cu-
ius Papa præsumitur habere scientiam, & non in priuilegio speciali, cuius in Papa præsumitur ignorãtia, nisi de illo fecerit mentionem.

Non obstat quod propter prægnãtiam clausurarũ derogatoriarum appositarum in supplicatione, & clausulam, *Quorum tenores,* in literis possit extendi to-
4 tus tenor Statuti cum derogatione expressa. Quia †

Domini Abbreuiatores de maiori Præsidentia consulti à me de ordinatione Dominorum ad instãtiam fratrum, contrarium responderunt, & eorum rationes placuerunt Dominis.

TIBVRTINA BENEFICII.

Lunæ 28. Iunij 1593.

ARGVMENTVM.

Quando quis prętendit Ius conferendi ad se pertinere; interim, donec hoc probetur, prouisus ab Ordinario est præferendus.

SVMMARIVM.

1 *Collatio effectuata constituit collatorem in quasi possessione conferendi.*

DECISIO XLVII.

DVbitaui, An probetur sufficienter, collationem beneficij, de quo agitur, pertinere ad Abbatem Farfensem. Effectus autem huius dubij erat, An Torquatus Vitorius prouisus ab Abbate deberet prę ferri Fabio Blasio prouiso ab Ordinatio. Quod dubium fuerat aliàs propositum à bon. mem. D. de Rubeis, & negatiuè resolutum. In qua resolutione Domini etiam in ista positione concorditer perstiterunt.

Principale fundamentum fuit: quia vltima colla-
1 tio fuit facta ab Ordinario cuius † effectuatio non
potest controuertij; cum per obitum eius, cui fuit facta collatio, Torquatus impetrauerit. Old. *cons. 229.* de qua etiam deponit 5. testis iuxta 13. Vnde cum per istum vltimum statum Ordinarius fuerit constitutus in quasi possessione conferendi, glos. *in cap. cum Ecclesia Sutrina,* & *ibi* Ripa, *num.90. de caus. poss. & propr.* Put. *dec.192. num.3. lib.1.* sequitur quòd Fabius ab eo prouisus sit præferendus Torquato, *cap. consultationibus de iur. patr.* & consequenter non probatur sufficienter pertinentia collationis ad Abbatem.

Non obstat quòd prouisus ab Ordinario de anno 1550. fuerit postea de anno 1567. deputatus Capellanus à procuratore constituto à Vicario Abbatis. Quia vltra quod non constat de facultatibus Vicarij, ista deputatio in Capellanum non habuit effectũ, cum prouisus continuauerit vti rector; vt probatur ex testibus, & confessione Torquati, qui impetrauit per obitum Augustini vltimi rectoris.

Enunciatiuis bullarum Innocentij, & Vrbani, de positionibus testium, & collationi factæ per Cardinalem Vrsinum, placuerunt Dominis responsiones datæ per informantes pro D. Fabio.

Prętereà fuit responsum, quòd ex eis non probatur saltim ita clare ius conferendi spectare ad Abbatem, quin interim stante vltimo statu collationis Ordinarij, prouisus ab eo sit pręferendus, *dict. cap. consultationibus.*

Non obstant Decisiones quæ allegantur; quia in eis non aderat vltimus status pacificus ad fauorem Ordinarij.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS DE TVDELA,

Lunæ 5. Iulij 1593.

ARGVMENTVM.

Decanus, & Capitulũ Tirasonense, an sint exempti à iurisdictione Episcopi; & priuatiuè quoad ipsum eis competat iurisdictio ordinaria.

SVMMARIVM.

1 *Bulla confirmationis in modum nouæ concessionis, non eget alia iustificatione.*
2 *Exemptio non probatur ex receptione in protectionem.*
3 *Legatus de Latere non potest eximere à iurisdictione Episcopi.*
4 *Exemptio Capituli ab Ordinario, non infert quòd sit illi adempta iurisdictio Ordinaria in non exemptos.*
5 *Ordinarij, ex dispositione Concilij Tridentini, possunt visitare, corrigere, & punire exemptos, quacunque consuetudine, &c. non obstante. Declara vt num. 16.*
6 *Priuilegium vsus Mitræ, & Baculi datur in honorem Ecclesiarum, & non in amplitudinem iurisdictionis.*
7 *Sententia plures defectus patiens, non coadiuuatur antiquitate temporis,*
8 *Sententia lata propter falsam causam, est notoriè iniusta.*
9 *Immemorabile tempus non est, cuius datur initium.*
10 *Immemorabilis cessat, quando dantur actus contrarij,*
11 *Sententia, quæ non habuit effectum, non habetur in consideratione,*
12 *Sententia lata in petitorio absorbet possessorium,*
13 *Laudum non attenditur, quando constat de contrario vsu.*
14 *Laudum in re Ecclesia, si non sit confirmatam à Papa, non transit ad successores.*
15 *Vicarij confessio sine mandato speciali, non præiudicat Episcopo,*
17 *Diœcesis est territorium Episcopi,*

DECISIO XLVIII.

IN ista causa fuerat resolutum, iura pro parte Decani producta non esse in forma probanti: & quia petebantur a me literæ compulsoriales pro illis formiter extrahendis, volui prius videre de releuantia, Ideo dedi dubium, An iura producta pro parte Decani releuent in casu, de quo agitur. Effectus autem huius Dubij est, An ex istis iuribus probetur, Decanum, & Capitulum esse exemptos à iurisdictione Episcopi, & iurisdictionem ordinariam eis competere priuatiue ad Episcopum, vt prætendunt. Et pro parte Decani plura deducuntur.

Et primo bulla Cardinalis Sancti Angeli Legati de latere de anno 1193. in qua recipiuntur Decanus, & Ecclesia, sua ac illius bona, sub Beati Petri, & sua protectione, & confirmatur libertas, & consuetudo, quam dicta Ecclesia hactenus habuit,

Secundò adducitur Bulla Innocent. Tertij, in qua suscipitur persona Decani cum omnibus bonis, quæ possidebat, aut in futurum possideret, in sua protectione, & specialiter prioratus Tudellanus.

Tertio adducitur Bulla Alexandri Quarti, In qua ad instantiam Regis Nauarræ concessit Decano, vti Prælato, dictæ Ecclesiæ vsum Mitræ, & Anuli Pastoralis.

Quarto adducitur sententia lata de anno 1311. in qua declaratur, cognitionem omnium causarum, exceptis matrimonialibus, & vsurarijs, spectare ad Decanum, & in ista quasi possessione fuisse à tempore immemorabili.

Quinto adducitur laudum latum de anno 1370. ab Episcopo Pampilonens. in quo declaratur, quòd Episcopus Tirasonensis solus possit visitare personam Decani, vel eius Vicarij, & quod possit procedere in causis matrimonialibus, & vsurarijs: Decanus vero, tam ante quàm post visitationem Episcopi, possit visitare solus dictam Ecclesiam, & personas.

Sexto adducitur protestatio de anno 1338. in qua Vicarius Episcopi narrat, quod à creatione facta per Decanum trium Portionariorum, absque consensu Canonicorum, Canonici ad Episcopum appellauerunt; à quo ipse Vicarius fuit deputatus Iudex, & cum essent examinandi quidam testes infirmi, & valetudinarij existentes in Ciuitate Tudelæ, accessit ad examinandum: sed quod per istud examen non intendebat facere præiudicium iurisdictioni Decani; quia erat iustum quod posteaquam causa erat deuoluta per appellationem ad Episcopum, & lis verteba tur inter Decanum, & Canonicos, quod Episcopus, & non Decanus, illam cognosceret: & protestatus fuit de impedimento sibi illato in recipiendis dictis testibus. Ex qua protestatione deducitur effectuatio sententiæ, & quasi possessio Decani: quia Vicarius Iudex deputatus non potuit testes examinare; & resultat confessio quod iurisdictio erat Decani in prima instantia,

Septimo adducitur edictum generale per Decanum, vti Ordinarium, & quosdam Inquisitores generales hæreticæ prauitatis ad instantiam Procuratoris Sancti Officij.

Octauo adducitur Bulla Iulij Secundi, in qua Pontifex confirmat exemptiones, & priuilegia Decani, & Capituli; & propotiori cautela illa de nouo concessit; additis etiam quibusdam nouis priuilegijs: & istam Bullam dicitur non egere iustificatione; quia Papa de nouo concessit, vt fuit resolutum *coram bon. mem. Lauret. in causa Caurien. Iurisdictionis.*

Nono adducitur Bulla Leonis Decimi, in qua Episcopus supplicauit Papæ, vt priuilegium Iulij Secundi, quoad per ipsum nouiter concessa, reuocaret; remanentibus antiquis priuilegijs in suo robore: Papa vero quod quædam tantum nouiter concessa moderatus fuit: ideo remanent firma Priuilegia Iulij Secundi, præterquam quo ad reuocata per Leonem.

Decimo adducuntur literæ subsidiales emanatæ ab Episcopo, in quibus petit à Decano, vt, si ei placet, dignetur illas exequi; ex quo personæ ibi expressę accesserunt ad habitandum in iurisdictione ipsius Decani. Et è contra adducuntur literæ Decani Episcopo directæ pro executione sententiarum per ipsum Decanum latatum; quas literas Episcopus executus fuit.

Vndecimo adducuntur articuli, & commissiones de anno 1454. in quibus Episcopus fatetur quod ipse, & sui prædecessores non potuerunt per multa tempora ante iurisdictionem exercere in dicta Ciuitate Tudelæ: & licet addat, hoc euenisse propter bella, tamen ex testibus hoc probatur esse falsum.

Duodecimo, & vltimo adducitur quædam inhibitio facta Decano de anno 1520. ad instantiam Episcopi; in qua inhibetur, ne Decanus cognoscat de causis

causis matrimonialibus, & vsurarijs; & ista inhibitio
arguit effectuationem sententiæ: quia in illa reser-
uatur cognitio Episcopi in istis duobus casibus tan-
tum, sed his omnibus maturè consideratis, Domini
censuerunt non releuare: & ad ea sigillatim, prout
infra, responderunt.

Ad primum de Bulla Cardinalis Sãcti Angeli fuit
2 per Dominos responsum, quod ex † receptione in
protectione non probatur exemptio, *cap. recepimus de
priuileg. cap. si Papa eodem titulo in 6.* Presertim cum sit
3 facta à Legato, † qui non potest eximere, Io. Andr.
Domin. & alij *in cap. 1. de priuileg. in 6.* Gamba *in tract.
de offic. & potestat. Legati de latere, lib. 2. num.* 180.

Et, si non probatur ex ista receptione exemptio propria Decani, & Capituli à iurisdictione Episcopi; multo minus probatur quod ipse Decanus, & Capitulum habeat iurisdictionem ordinariam.

Ad secundum de Bulla Innocentij, dicebant Do-
mini, quod si illius verba importarent exemptionem
Decani, & Capituli, nõ tamen ex hoc infertur quòd
sit adempta iurisdictio ordinaria Episcopo in non
exemptos, & tributa Decano, Bero. *cõs. 24. n. 24. vol.* 1.
Quantum autem ad ipsos exemptos, existimabant
5 Domini, † Episcopum posse eos visitare, corrigere,
& punire ex Decretis Concilij Tridentini *cap. 4. sess.
6. & cap. 6. sess.* 25. quæ habent locum in Collegiatis
non solum exemptis sed etiam habentibus consuetu-
dines, sententias, iuramenta, & concordias; vt fuit
resolutum *in vna Gadicen. Adiunctorum* 14. *Februarij
83. coram bon. mem. D. Decano.*

Ad tertium de Bulla Alexandri Quarti fuit dictũ,
6 quod † ex priuilegio vsus Mitræ, & Anuli Pastoralis
non infertur ad iurisdictionem: quia, vt inquit Ioan.
Andreas, quem alij sequuntur, *in cap. vt Apostolica,
de priuileg. in 6.* hoc priuilegium datur in honorem
Ecclesiarum; & non in amplitudinem officij.

Ad quartum de sententia lata de anno 1311. fuit
responsum, Primò, quòd ista sententia patitur plures
defectus: quia non constat de delegatione, neque de
processu primæ instantiæ, & causa fuit commissa tri-
bus iudicibus; vt in sententia enunciatur, & fuit la-
7 ta per duos: & † tot defectus non potest supplere
antiquitas temporis, Corn. *consil. 24. num. 16. vol.* 4.

Secundo fuit dictum quod ista sententia fuit lata
8 propter falsam causam in ea expressam: ideò † est
notoriè iniusta, Innoc. *in cap. cum Bertoldus col. 2. de
re iud.* Felin. *in cap. sicut num. 25. eod. tit.* Nam est funda-
ta super quasi possessione exercendi iurisdictionem
ab immemorabili tempore; & impossibile est quod
præcesserit ista quasi possessio immemorabilis: quia
ista Ecclesia fuit Regularis, & Canonici tenebantur
promittere, & exhibere obedientiam Episcopo, &
de anno 1244. adhuc erat Regularis cũ Priore: ideo
Dignitas Decanatus fuit erecta post illud tempus,
9 & † ab anno 1244. vsq; ad annum 1311. non potest
dici ab immemorabili tempore Decanum iurisdictio
nem ordinariam exercuisse Alex. *cons. 16. nu. 16. lib.* 5.

Constat etiam Episcopum ante istam sententiam
10 exercuisse suam iurisdictionem ordinariam: & † im-
memorabilis cessat, quando dantur actus contrarij,
Soccin. *cons. 7. num. 11. vol.* 1. Put. *dec. 436. lib.* 2.

Tertio fuit responsum quod ista sententia non ha
buit effectum quia constat Episcopum postea suam
iurisdictionem ordinariam exercuisse; neque proba-
tur Decanum fecisse aliquem actum vsq; ad annum
11 1358. Ideo † de ea non est habenda ratio, Aim. *cons.
10. num. 5.* Nattà *cons. 456. nu.* 12.

Præterea, per sentẽtias Rotales ante annum 1395.
Episcopus fuit restitutus ad suam pristinam posses-
sionem exercendi ordinariam iurisdictionem, quod
fieri non potuisset, si sententia lata in petitorio de
12 anno 1311. fuisset iusta: quia † sententia lata in peti-
torio absorbet possessorium, Alexand. *in leg. naturali-
ter § nihil commune sub num. 15. ff. de acquir. poss.* Anton.
August. *in epit. in tit. de impeditis restitutionis.*

Ad quintum de laudo fuit responsum, quod non
habuit effectum, vt constat ex sententijs Rotalibus
postea latis, quæ ei repugnant: & quia post laudum
apparet Episcopum exercuisse suam ordinariam iu-
13 risdictionem. Et laudum † non attenditur, quando
constat de contrario vsu, Aim. *cons. 266. num. 9. & in
fin.* Nec potest sustineri in vim pacti: quia non fuit
14 confirmatum à Sede Apostolica. Ideò † non transit
ad successores, *cap. veritas de transact.*

Ad sextum de protestatione fuit dictum, quantum
ad effectuationem sententiæ, quod ex illo actu colli-
gi non potest: quia ex alijs actibus apparet, Episco-
pum exercuisse suam ordinariam iurisdictionem;
licet quandoque de facto fuerit impeditus. Quan-
15 tum autem ad confessionem Vicarij, quod † non po-
tuit præiudicare Episcopo sine mandato speciali,
Put. *decis. 53. lib.* 3. Vltra quod iste actus non est con-
formis sententiæ: quia in sententia tribuitur iurisdi-
ctio Decano priuatiuè ad Episcopum in qualibet in-
stantia; & in ista protestatione dicitur Episcopum
debere cognoscere, quia causa erat deuoluta per ap-
pellationem.

Præterea fuit responsum quod Concilium sustulit priuilegia, consuetudines, & exemptiones: ideò non potest impediri Episcopo exercitium suæ iurisdictionis.

Et ita pariter fuit responsum ad septimum de edicto generali: quia iste actus est turbatiuus, & propter dictum Decretum Concilij non potest suffragari Decano.

Ad octauum de Bulla Iulij Secundi fuit respõsum, quod ista Bulla fuit declarata subreptitia, quia non fuerunt verificata narrata: neque potest substineri in vim nouæ concessionis, & fuit resolutum *coram R. P. D. Blanchetto 1. Aprilis* 1591. non obstante Decisione *in causa Caurien.* quæ tunc fuit allegata. Fuit etiam dictum, quod Concilium substulit priuilegia.

Ad nonum de Bulla Leonis Decimi, vltra quod ista priuilegia sunt sublata ex dictis Decretis Concilij, fuit responsum, quòd licet Decanus supplicauerit Papæ, non tamen acquieuit concessioni postea secutæ; quia Bulla Leonis habet datam de anno 1514. & de anno 1515. ad instantiam Episcopi causa fuit commissa in Rota, quæ etiam probatur prosecuta ex pluribus commissionibus de anno 1526. 1530. 1531. & 1532.

Ad decimum de literis subsidialibus vndecimum de articulis, & commissionibus, & duodecimum de inhibitione fuit responsum, quod cum causam habeant à priuilegijs exemptione sententia, & laudo non præstant impedimentum Episcopo quo minus possit vti sua iurisdictione, ex dictis Decretis Concilij.

16 Non † obstat quod per Decretum Concilij *capit.*
20. sess. 24. fuit sublata solum iurisdictio inferiorum,
qui non habent neque immemorabilem, neque ter-
ritorium separatum, & non sunt ordinarij in eorum
territorio. Quia præter id quod Episcopus non se
fundat in isto Decreto, non probatur immemorabi-
lis neque docetur quod Decanus habeat iurisdictio-
nem ordinariam, & territorium separatum: immo
potius probatur contrarium: quia in commissioni-
bus, in quibus ipse est orator, & in priuilegijs ei con-
cessis, asseritur quod Tudela est diœcesis Tirasonen.
17 & † diœcesis est territorium Episcopi *ca. Episcopum,*
& *ibi* Archid. 7. *quæst.* 1. Felin. *in cap. Rodulfus col. 6.*
vers. est autem diœcesis territorium Episcopi, de rescript.
Ideò si opus esset, locus esset etiam huic Decreto ad
fauorem Episcopi.

BVRGEN. QVARTÆ FVNERALIVM.

Lunæ 11. Octobris 1593.

A R G V M E N T V M.

Agitur de iure percipiendi quartam funeralium, competente Rectoribus Ecclesiarum.

S V M M A R I V M.

1 *Ius quartæ funeralis competit Rectoribus, ex dispositione Iuris communis, & num. 3.*

2 *Priuilegia, per non vsum quadraginta annorum; vel non fuerunt vsu recepta; vel spatio tanti temporis censentur præscripta.*

3 *Titulus non requiritur, quando assistit Ius commune.*

4 *Præscriptio quadragenaria interrumpi amplius non potest.*

D E C I S I O XLIX.

DOmini censuerunt, priuilegia nō suffragari Fra-
1 tribus contra istos Rectores habentes † fun-
datam intentionem de iure communi super quarta
funeralium *Clem. dudum §. huiusmodi quoque Statut. de*
sepult. Nam aut fuerunt concessa intra 40. annos im-
mediate præcedentes publicationem Concilij Tri-
dentini, & à Conc. *cap. 13. sess. 25. de reform.* sunt abro-
gata vt visum fuit in plurib. alijs causis; Aut fuerunt
concessa ante 40. annos; & stante possessione qua-
dragenaria, Rectorum percipiendi istam quartam à
Monasterijs ante litem; quam benè probant secundū
Dominos, quintus, octauus, & nonus testis examina-
ti de anno 1507. ista † priuilegia vel non fuerunt vsu
2 recepta, Gozzad. *cons. 23. num. 9.* Felin. *in cap. cum ac-*
cessissent sub num. 25. de const. vel spatio tanti tempo-
ris fuerunt præscripta, *cap. de 4. de præscript.*

Nec in isto casu requiritur titulus. Quia Rectores
3 † habent assistentiam iuris communis, Doct. *in cap.*
si diligenti de præscript. Et fratres prætendunt ius ex
priuilegijs, Balb. *de præscript. 1. par. 5. par. principalis qu.*
8. num. 6.

Non obstat lis. Quia de tempore, quo fuit mo-
ta iam erant elapsi 40. anni, & sic cōpleta præ-
4 scriptio; quæ † amplius interrumpi non poterat: sed
requirebatur contraria præscriptio, quæ stante lite,
& quasi possessione Rectorum, hic non adest.

ROMANA PECVNIARIA.

Mercurij 20. Octobris 1593.

A R G V M E N T V M.

Contractu Societatis Officij detecto simulato an remaneat obligatus Officialis, ita vt possit contra eum relaxari, & exequi Mandatum.

S V M M A R I V M.

1 *Confessio Officialis non dicitur simulata in contractu Societatis Officij.*

2 *Officialis ex sua obligatione tenetur, licèt pecuniæ ad ipsum non peruenerint.*

3 *Obligati omnes, respectu creditoris, dicuntur principales.*

4 *Sententia inter alios lata, non nocet tertio.*

5 *Confessio non potest dici simulata, si absit causa simulandi.*

6 *Recognitio bonæ fidei facta per mulierem absque solemnitatibus, dicitur simulata.*

7 *Contractus dicitur simulatus, quando qui asserit se recepisse pecunias, eas non recepit, sed ad manus alterius peruenerunt.*

8 *Exceptio cedendarum non obstat in casu, de quo in Decisione.*

D E C I S I O L.

FRanciscus Belgius accepit ad societatem super eius officio scuta 200. monetæ à Saluarore della Porta; cui societati accesserunt Tarquinia Rosmatina, quæ recognouit bonam fidem erga officialem, & Iulius Cæsar de Grandis, qui recognouit bonam fidem erga Tarquiniam; & tam eam quam officialem promisit releuare indemnes. Saluator disdicta societate egit contra Belgium, & contra eum fuit relaxatum mandatum Belgius pro releuatione indemnitatis egit contra Tarquiniam, & postea, ipsa defuncta, contra eius heredes, & obtinuit mandatum executiuum. Sed quia hæredes prætendebant obligationem Tarquiniæ esse nullam, quia ipsa non receperat pecunias, & non erant adhibitæ solemnitates statutariæ, cœperunt agere criminaliter contra Mattiajem, qui stipulatus fuerat contractum societatis, & fideiussorem Tarquiniæ, & in isto judicio Saluator examinatus deposuit, pecunias non fuisse solutas Tarquiniæ, sed Iulio Cæsari; & A.C. declarauit mandatum executiuum, relaxatum ad instantiam Bèlgij contra hæredes Tarquiniæ fuisse, nullum ex capite simulationis, & ex alijs causis. Propter istam confessionem Saluatoris, & sententiam A. C. Opponebat Belgius, non posse contra eum exequi mandatum relaxatum: quia contractus societatis fuit simulatus, cum ipse non acceperit, neque Tarquinia, quæ erga eum bonam fidem recognouit, & Iulio Cæsari sine eius mandato non potuit solui. Ideò proposui dubium, An Belgius sit obligatus Saluatori vigore suæ obligationis, & contra eum possit exequi mandatum relaxatum. Et Domini resoluerunt Belgium teneri, & mandatum contra eum relaxatum esse exequendum.

1 Fundamentum decisionis fuit, quod † in societa-
tibus officiorum, licet officialis confiteatur accepisse
pecunias, quæ verè non ipsi soluuntur, sed recogno-
scenti bonam fidem; non tamen ideo confessio dici-
tur

tur simulata, ad annullandam obligationem; quia propter præsumptum mandatum officialis, quòd soluantur ei, qui recognoscit bonam fidem, solutio dicitur facta officiali: licet cautius fiat si accipiatur ordo officialis de soluendo ei, qui recognoscit bonam fidem.

Tanto magis: quia in isto casu concurrunt duæ recognitiones bonæ fidei: altera Tarquiniæ erga officialem ex eo, quod per manus Martialis habuit pecunias ab officiali, quod ostēdit primam solutionem fuisse factam officiali. Alia vero eodem contextu Iulij Cæsaris erga Tarquiniam ex eo, quod habuit pecunias ab ea, & licet pecuniæ non fuerint numeratę, sufficit quod sint pręsentes, & breui manu censentur solutæ Tarquiniæ; & per eam Iulio Cæsari apud quem debebant remanere propter vltimam eius re-
2 cognitionem bonæ fidei. Vnde † cum Saluator soluerit, officialis ex sua obligatione tenetur, etiam, quod pecuniæ ad ipsum non peruenerint: quia licet inter ipsos obligatos Iulius Cæsar sit principalis, ad
3 quem pecuniæ peruenerunt: Tamen † respectu creditoris omnes dicuntur principales, Paul. *in leg. sed, & Iulianus num. 3. ff. ad Macedon.* & fuit resolutum in causa Romana repetitionis indebiti 9. Martij 1575. coram D. Episcopo Oriolen.

Non obstat quod obligatio Tarquiniæ fuit decla-
4 rata simulata: Quia, vltra quod illa sententia † est res inter alios acta, ideo non nocet Saluatori; ex ea non infertur præiudicium obligationi officialis;
5 quæ † non potest dici simulata, quia nulla aderat in eo causa simulandi, Bart. *conf. 65. Petrus nicolæ*, Rot. *dec. 1. de donat. in nou.* Quæ causa secundum aliquos
6 ex Dominis in Tarquinia aderat: quia † cùm vigore Statuti non posset obligare se sine solemnitatibus, & nec etiam de iure communi fideiubere; fuit simulatum, quòd ipsa recognosceret bonam fidem, & reciperet pecunias, vt teneretur eius obligatio, Rom. *cons. 394. num. 4.*

Et in hac recognitione consistit simulatio: quia
7 verè † ipsa pecunias non recipiebat, cùm eodem instanti deberent peruenire ad manus Iulij Cęsaris, *leg. qui sit solut. ff. de solut.*

Non obstat quòd Saluator potest excludi per exceptionem cedendarum, cum non possit cedere Belgio actiones validas contra Tarquiniam, propter simulationem detectam, facto. & confessione Saluatoris. Quia ista simulatio detegitur ex lectura instrumenti recognitionis bonæ fidei, eodem contextu factæ per Iulium Cæsarem erga Tarquiniam; quæ ostēdit pecunias verè non spectasse ad ipsam, quæ incontinenti illas soluit Iulio Cæsari. Vnde cum Saluator non possit cedere auctoritates validas ex natura obli-
8 gationis, quia Tarquinia non potuit se obligare; † non potest repelli exceptione cedendarum, Neguf. *de pignor. 1. membr. 5. par. num. 36. vers. fallit modo.*

Non obstat, quod istæ recognitiones fuerunt factæ inscio, & absente Belgio. Quia cum sciret in ista obligatione esse accessuros Iulium Cæsarem, & Tarquiniam, de quibus fit mentio in apoca societatis per eum subscripta, debet sibi imputare, si non curauit habere releuationem indemnitatis Tarquiniæ, cum solemnitatibus requisitis, & non fuit solicitus, ad quem pecuniæ deberent peruenire: de quo non debebat esse solicitus Saluator, cui per obligationem Belgij erat sufficienter promissum, etiam quod obligatio Tarquiniæ non sustineretur.

FLORENTINA BONORVM.

Veneris 29. Octobri 1593.

ARGVMENTVM.

Exhibitio librorum in quo casu non sit facienda.

SVMMARIVM.

1 *Exhibitio libri vt validè petatur, est probanda concludenter existentia illius apud eum, à quo petitur.*
2 *Hæres non tenetur ad exhibendum libros defuncti: sed sufficit quòd iuret, se illos non habere.*
3 *Exhibitio non datur, nisi constito de interesse petentis.*

DECISIO LI.

FVit resolutam, Iacobum non teneri ad exhibitionem librorum: quia non probatur quod ipse illos
1 habeat: & ad † istum effectum exhibitionis, existentia librorum penes illos, à quibus exhibitio petitur, concludenter est probanda, *leg. 3. in princ. & ibi* Glos. *in §. sciendum in vers. summatim, prope fin. ff. ad exhib.* & fuit resolutum *in causa Esina bonor.* 11. *Martij* 1583. *coram R. P. D. Blanchetto.* Tanto magis quia petitur
2 exhibitio ab hærede Bernardi; & † in isto casu sufficit, quòd hæres iuret se non habere; vt fuit dictum *in causa Clusina Grani, 14. Decembris 1526. coram Episcopo Oriolen.*

Addebant Domini, quod non constat de interes-
3 se Rectoris; sine † quo non datur exhibitio *d. leg. 3. §. sciendū ff. ad exhib.* Nam aut vult ostendere depositum non fuisse factum, ad effectum nullitatis alienationis; & non potest: quia emptores in Instrumento vocant se depositarios: quod sufficit, propter Decretum executorum, vt fuit dictum 17. Aprilis anni pręteriti. Aut petit exhibitionem pro recuperando deposito; & Iacobus non negat eius restitutionem.

Non obstat quod Iacobus est hæres Bernardi, vnius ex Dominis rationis Bancariæ. Quia cum adessent alij socij: non sequitur, quod libri potius ad hæredem Bernardini, quàm ad alios Socios peruenerint.

BVRGEN. FVNERALIVM,

Veneris 29. Octobris 1593.

Hæc Decisio non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Ad iurandum Iudicem suspectum, requiritur mandatum speciale.*

DECISIO LII.

DOmini dixerunt, testes esse validè examinatos, ex deductis per informantes pro Rectoribus Addiderunt solum, quod non probatur mandatum speciale eius qui fecit protestationem quod requiritur ad iurandum iudicem suspectum Caputaqu, *dec. 168. num. 1. par. 1.*

MAIORICEN. CANONICATVS.

Luna 15. Nouembris 1593.

ARGVMENTVM.

Agitur de acceptatione alternatiuæ, & residentia Episcopi.

SVMMARIVM.

1 *Residentia Episcopi probatur ex prouisione facta in domo Capituli.*
2 *Absentia Episcopi priuat illum commodo alternatiuæ, sed non præiudicat Papæ.*
3 *Collatio in Cathedralibus est communis Episcopo, & Capitulo.*
4 *Collatio Præbendæ ad eum pertinet, ad quem spectat electio personæ Pœnitentiarij.*
5 *Vnitorum eadem esse debet dispositio.*
6 *Impetrans Ecclesiam, cui altera est vnita, non potest vnam possidere sine alia.*

DECISIO LIII.

DOmini concorditer resoluerunt, non constare de bono iure Matthæi. Moti fuerunt; quia Episcopus acceptauit alternatiuam, & vacatio successit in mense Septembris: ideò prouisio spectabat ad Papam, & non ad Episcopum, & Capitulum, à quibus ipse fuit prouisus.

Nec potest reuocari in dubium acceptatio alternatiuæ, & residentia Episcopi; quia de acceptatione
constat in actis, & ex confessione Episcopi. Residen-
1 tia verò probatur ex prouisione Matthæi quæ † est
facta ab Episcopo in Domo Capitulari Ecclesiæ Ma
ioricen. die sequenti post vacationem.
2 Vltra quod, absentia † Episcopi priuat ipsum commodo alternatiuæ, sed non præiudicat Papæ; vt fuit resolutum *in causa Fauentina Canonicatus 16. Decembris 85. coram R.P.D. Blanchetto.*

Non obstat, quod alternatiua est restricta ad beneficia, quæ spectant ad liberam collationem solius
3 Episcopi; & † collatio, in Cathedralibus est com-
munis Episcopi, & Capituli, Cassad. *dec. 22. de preben.* Et licet electio personæ Pœnitentiarij spectet ad Episcopum; tamen collatio præbendæ pertinet ad eos, ad quos ante Concilium spectabat; vt in ista causa Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Sacri Concilij interpretum censuit. Quoniam respondebant Domini, hoc procedere, quando electio pertinet ad Episcopum, non autem quando vacatio contingit in mense Apostolico; prout eadem Congregatio censuit *in causa Salamantina, & Tirasonen. nominationis Pœnitentiarij*: quia cum præbenda sit vnita of-
4 ficio Pœnitentiarij, † collatio Præbendæ vti sequela
officij Pœnitentiarij spectat ad Papam, ad quem pertinet electio personæ pœnitentiarij Glos. *in cap. vltimo in verb. dat. de rescriptis in 6.* Peregrin. *dec. 40. lib. 1.* Anton. Augu. *in tit. de vnion. §. 3.* alias si collatio præbendæ spectaret ad Episcopum, & Capitulum, quando electio Pœnitentiarij pertinet ad Papam, sequerentur plura absurda secundum Dominos. Primum, quòd prouisio Papæ redderetur elusoria, si Episcopus, & Capitulum alteri conferrent præbendam, quia electus à Papa ex collatione nullum commodū consequeretur. Secundum quod esset necessarius duplex titulus: vnus a Papa, alius ab inferiori. Tertium, quòd prebenda est vnita officio Pœnitentiarij, & Penitentiarius haberet solum officium sine prebenda.
5 Et tamen † vnitorum eadem debet esse dispositio,
Ang. *in leg. sed si plures §. filio num. 1.* & *ibi* Imol. *in princip. ff. de vulg. & pupill. substit.* qui ex hoc inferunt
6 † ad eum qui impetrauit Ecclesiam, cui alia est vni-
ta, vt non possit vnam sine alia possidere, &c.

CONIMBRICEN. DECANATVS.

Veneris 19. Nouembris 1593.

ARGVMENTVM.

Agitur de nullitate sententiæ ex incertitudine Monitorij, & ex alijs defectibus, de quibus in Decisione.

SVMMARIVM.

1 *Monitorium incertum, & generale, sine specificatione criminum, reddit sententiam nullam.*
2 *Item redditur nulla sententia, si reus longè absit a loco, vbi fuit citatus; & multò magis, si agatur de graui eius præiudicio. Et num. 4.*
3 *Item quando in Monitorio non est inserta copia facultatis Iudicis, neque subdelegationis ab eo facta.*
5 *Testis vnicus, & inimicus, nihil probat.*
6 *Testes examinati pro informatione Curiæ, non probant delicta.*
7 *Testes examinati contra Clericum à Iudice laico, non probant.*
8 *Sententia quando dicatur contumatialis.*
9 *Contumacia resoluitur per comparitionem ipsius contumacis.*

DECISIO LIV.

DOmini concorditer censuerunt, sententiam latam contra Decanum esse nullam, & iniustam, & consequenter reuocandam.

Fundamentum nullitatis fuit; quod Decanus fuit monitus per ædictū, vt personaliter compareat ad se defendendum super criminibus, de quibus volebat
1 eum accusare Promotor fiscalis. Vnde cùm † illud
monitorium sit incertum, & generale sine specificatione criminum sententia est nulla, Rot. *decis. num. 2.*
2 *de re iud. in nou.* Præsertim cùm Decanus longè † abes-
set à loco in quo erat citatus *cap. si primatis 5. quæst. 2.* Abb. *in cap. præterea sub num. 8. vers. ego satis puto, de dilat.*

Aliqui etiam existimabant sententiam esse nullam
3 ex alio capite; quia in † monitorio non fuit inserta
copia facultatis tributæ Cardinali Legato per Breue, neque subdelegationis postea ab eo factæ. Ang. *cons. 8. sub num. 2. vers. 2. quia* Put. *dec. 1. de consuetudini-*
4 *bus.* Maxime, quia † erat probata absentia Decani,
& agebatur de graui eius præindicio. Rolan. à Vall. *consil. 39. num. 22. cum seqq. lib. 1.*

Iniustitia Dominis visa est clara. Quia delicta, quæ in sententia sunt expressa, non probantur. Nam de eis deponit solum tertius testis, examinatus in hoc
5 iudicio; qui non probat, quia † est vnicus, & quia af-
firmat se odio persequi Decanum, propter causas ab eo expressas. Tib. Decian. *resp. 72. num. 21. lib. 3.* Alij
6 verò testes examinati pro informatione Curiæ, † nō
probant delicta, Bart. *in leg. vltima in fin. ff. de quæst.*

Abb.

Abb. in cap. grauē sub num. 9. verſ. & aduerte, de prębendis. Et fuit reſolutum *in cauſa Ciuitatis caſtelli de Vitellis* 10. *Decembris* 1577. *coram R.P.D. Decano*. Tan-
7 to magis, quia † ſunt examinati contra clericos à
Iudice laico, & de mandato Ducis de Alua, *cap. at ſi clerici de iudic.* Abb. *in c.* 2. *n.* 12. *ne cleric. vel Monachi*.
Addebant Domini, quòd iſta ſententia fuit con-
8 tumacialis: quia † iudex priuauit Decanum propter
eius abſentiam; & quoniam non ſe defendit, & in
actis non adeſt clara, & concludens probatio delictorum; vt fuit dictum *in dicta cauſa Ciuitatis Caſtelli*,
9 *& in cauſa Romana Secretariatus*. Ideo † per comparitionem ipſius fuit reſoluta contumacia, & debet ei
reſtitui ſuus Decanatus, Antonio collatus Achill. *dec. vnic. de abſolut.* & fuit reſolutum *in cauſa Romana Canonicatus Sancti Angeli* 28. *Februarij* 1567. *coram Cotta, &c.*

ÆSINA BONORVM.

Mercurij 24. Nouembris 1593.

ARGVMENTVM.

Recenſentur multa adminicula, ex quibus probatur ſolutio dotis.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura dicitur ſufficienter recognita, quando, concurrentibus adminiculis, teſtes recognoſcentes deponunt ſe habere notam manum ſcribentis. Et recenſentur aliqua adminicula, num. 3. & 4.*

2 *Dos veriſimiliter ſoluta cenſetur, quando adeſt promiſſio præcedens.*

DECISIO LV.

Reſolutum, ſententias eſſe confirmandas: quia
1 conſtat de ſolutione ex quietantijs. Et licet teſtes non viderint eas ſcribi à Bartholomeo; tamen concurrentibus adminiculis, ſufficit recognitio teſtiũ deponentium ſe habere notam eius manum; vt fuit pluries reſolutum, *in cauſa Toletana matrimonij de Pegnaroſtro; in cauſa Parmen. ſtatus*, & *in cauſa Romana hæreditatis de Marrochis*, 9. *Martij* 1580. *coram bo. me. D. Lauretano*.
Adminicula hic plura concurrunt. Nam præcedit promiſſio dotis: & veriſimile eſt quod fuerit ſoluta,
2 † ſtante promiſſione præcedenti, Aim. *conſ.* 40. *num.* 2.
Tanto magis quia teſtes probãt ſolutionem in genere, quartus ſuper octauo: ſextus ſuper ſecundo.
3 Secundò concurrit † confeſſio ipſius Bartholomei
in teſtamento, affirmantis dotem ei in parte fuiſſe
ſolutam, & de ſolutione conſtare ex quietantijs.
Tertiò viſum eſt Dominis vrgens adminiculum, quòd D. Io. Baptiſta frater, & hæres Bartholomei,
4 qui de veritate ſolutionum erat informatus, † voluit
ſoluere, & non fecit difficultatem in quantitate, ſed
in qualitate monetæ, vt deponunt ſextus, & ſeptimus ſuper nono.

VALENTINA PENSIONIS.

Veneris 3. Decembris 1593.

ARGVMENTVM.

Ex quibus conſtet, penſionem reſeruatam eſſe ad fauorem alterius, quam ſupplicantis.

SVMMARIVM.

1 *Reſeruatio penſionis ad fauorem alicuius benè deducitur, quando ille eſt conſtitutus procurator irreuocabilis ad exigendum, transferendum, & extinguendum.*

2 *Penſio transferri nequit ſine conſenſu illius, ad cuius fauorem verè reſeruata exiſtit.*

3 *Conſtituens procuratorem, vti in rem propriam, tenetur ad iſtud mandatum ex neceſſitate: & actiones directæ remanent penes eum inutiles, & inefficaces, & num. 4.*

5 *Verba ſupplicationis in reſeruatione penſionis non attenduntur, quando conſtat, penſionem fuiſſe reſeruatam ad fauorem alterius, quàm ſupplicantis.*

6 *Habens facultatem transferendi penſionem, cuius commodum ſpectat ad alium, non poteſt eam ſine illius conſenſu transferre.*

7 *Declaratur deciſio Mohedani* 28. de renunciat.

DECISIO LVI.

Domini diſtinxerũt Dubiũ in duas difficultates: Prima An translatio fuerit valida ſine conſenſu D. Nicolai. Secunda, An in translatione interuenerit conſenſus ipſius? Et iſta fuit reſeruata, vt particulariter videatur.
Quantum ad primam, Domini fuerunt concordes, quòd translatio non potuit fieri à Vincentio ſine conſenſu D. Nicolai. Quia licet in ſupplicatione penſio fuerit reſeruata ad fauorem Vincentij, tamẽ verè fuit reſeruata contemplatione Nicolai, & ad eius vtilitatem: Quod clarè oſtendit obſeruantia ſubſequuta: quia Vincentius conſtituit Nicolaum Procuratorem irreuocabilem, & vti in rem propriam, ad exigendum, extinguendum, & transferendum iſtam penſionem, & permiſit ſemper Nicolaum exigere.
1 Certò enim † ſi penſio ab initio non fuiſſet reſerua-
ta ad fauorem Nicolai, Vincentius non dediſſet ei
hoc mandatum, neque permiſiſſet illum exigere,
2 Ruin. *conſil.* 170. *num.* 4. *lib.* 4. Vnde, cum penſio † eſ-
ſet reſeruata ad fauorem Nicolai, non potuit Vincentius ſine ipſius conſenſu eam transferre, *leg. in concedendo*, & *leg. ſequen. ff. de acq. plur. areen. leg. id quod noſtrum eſt, de reg. iur. leg. de pupillo §. ſi plurium ff. de nou. oper. nunc.*
Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quòd
Nicolaus fuit conſtitutus procurator vti in rem pro-
3 priam, ad transferendum; & † ad iſtud mandatum
2 Vincẽtius tenebatur ex neceſſitate, vt fuit reſolutum
in Cauſa Toletan. penſionis 19. *Iunij* 1583. *coram R.P.D. Decano*. Ideò Vincentius non potuit poſtea facere
4 translationem validam: quia † actiones directæ pe-
nes eum remanſerunt inefficaces, & inutiles, *leg.* 1. *§.* 1. *ff. ad Senat. conſult. trebell.* Paul. *in leg. facta §. ſi hæres ſub num.* 4. *verſ. idem ſi tibi, eod. tit.* Aufrer. *ad Cap. Tholoſ. q.* 119. *num.* 3. & fuit dictum *in Bononien. bonorum de Luparis* 11. *Aprilis* 1578. *coram S.D.N.*
Non obſtat quod in cauſa Hiſpalen. penſionis *coram D. Epiſcopo Oriolen.* fuit dictum non eſſe recedendum à verbis ſupplicationis, quãdo ſumus in dubio, ad cuius fauorem ſit reſeruata penſio. Quia quando
5 † conſtat penſionem fuiſſe reſeruatã ad fauorem al-
terius, vt in caſu iſto, non attenduntur verba ſupplicationis, *leg. ſi quis decedens, §. vlt. ff. de lib. leg. fideicommiſſa, §. interdum, ff. de leg.* 3. Bart. *in leg. ſi conſtante num.* 68. *ff. ſolut. matrim.* Imol. *in leg. filio famil. num.* 2. *ff. de cond.*

cond.& demonstr. Ruin. dict. cons. 170. num. 4.

6 Præterea, etiamsi † ius pensionis esset radicatum in persona Vincentij; cùm commodum pertineat ad Nicolaum, Vincentius sine ipsius consensu non potuit eam transferre: quia licet habeat facultatem transferendi, tamen ista facultas ei fuit concessa ad commodum ipsius Nicolai, cuius contemplatione pensio est reseruata.

Non obstat, quòd cũ Nicolaus nõ sit capax pẽsionis in persona sua, non potest eam in alium transferre. Quia vltra quod sufficit ad effectum validitatis translationis, quòd Nicolaus sit capax ex dispositione iuris communis, cessat difficultas: quia Nicolaus habet mandatum ad transferendum à Vincentio, & nihil impedit quod Italus in vim mandati sibi dati ab Hispano, non posset pensionem transferre in alium Hispanum.

Non obstat decisio Mohed. 28. de renunciat. Quia

7 in eo † casu ius pensionis residebat penes eum, qui constituerat simpliciter procuratorem ad transferendam pensionem. Ideò non applicatur casui nostro: quia pensio residet penes Nicolaum, & à Vincentio fuit constitutus procurator, vt in rem propriam, &c.

AESINA RESTITVTIONIS DOTIS.

Veneris 10. Decembri 1593.

ARGVMENTVM.

Probatio plena solutionis dotis resultat ex quietantijs recognitis, & ex adminiculis.

SVMMARIVM.

1 *Iniuria verbalis valde leuis, & præsertim inter consanguineos, non repellit testem à testificando.*

2 *Relatio quando est certa, non alterat confessionem præcedentem.*

DECISIO LVII.

Domini steterunt in decisis, quòd sententiæ sint confirmandæ. Quia constat de solutione ex quietantijs, quæ sunt recognitæ per duos testes; primum, & secundum, & concurrunt adminicula, ex quibus perficitur plena probatio solutionis, vt pluries fuit resolutum.

Non obstat quod secundus testis est inimicus Io;

1 Baptistæ. Quia † iniuria est verbalis, & valdè leuis ideo non repellitur, Alex. cons. 188. num. 7. & 8. lib. 7. Præsertim inter consanguineos, Bartol. in leg. vt vim, num. 4. ff. de iust. & iure.

Non obstat quod tertius testis deponit sibi non videri quod quietantiæ sint scriptæ manu Bartholomæi. Quia deponit dubitatiuè, & ratio, quam reddit, quod vidit illum scribere, quando erat scholaris, non placuit Dominis: quia facilè potuit esse oblitus spatio tanti temporis, & manus Batholomæi potuit mutari: & magis placuit depositiò duorum testium, qui sunt melius informati, & deponunt magis concludenter.

Non obstat quod quartus recognouit solum duas quietantias. Quia non negat eam, quam non recognouit, non fuisse scriptam manu Bartholomæi.

Non obstat quod confessio solutionis Bartho-

2 lomæi non est certa, sed relatiua. Quia † relatio non alterat confessionem præcedentem, quado est certa. Mohed. dec. 9. Peregr. dec. 28. lib. 1. Put. dec. 325. lib. 2. Natta cons. 403. num. 7. & 8. & cons. 404. num. 6.

CALAGVRITANA DIMIDIARVM PORTIONVM DEL BVRGO.

Lunæ 20. Decembris 1593.

ARGVMENTVM.

In quo casu sit locus subrogationi gratiosæ, alio existente in possessione; ita vt non sit necesse agere via ordinaria.

SVMMARIVM.

1 *In Beneficio litigioso non requiritur iustificatio.*

2 *Reseruatio, licet non sit notoria, operatur, vt nec Ordinarius, neque alius, possit se intromittere.*

3 *Subrogatus gratiosè præfertur prouiso ab Ordinario.*

DECISIO LVIII.

Domini, cum præsupposito, quòd iura sint in forma probanti, resoluerunt esse locum subroga-

1 tioni gratiosæ quò ad possessionem. Quia sicut † in beneficio litigioso non requiritur iustificatio, ex eo quod non infertur præiudicium Ordinario, nec alteri, cùm non possit fieri prouisio, stante lite Ita pariter dicendum est vbi adest reseruatio; quæ eundem

2 effectum operatur, licet non sit notoria; cùm †, stante reseruatione, nec Ordinarius, neque alius possit se intromittere.

Non obstat, quòd cùm Hieronymus, & Thomas existant in possessione, non est locus subrogationi gratiosæ: sed agendum est via ordinaria: Quia hoc procederet, si ipsi essent prouisi à Papa, & haberent

3 similem titulum: sed cum sint † prouisi ab Ordinario, & non habeant parem titulum, subrogatis gratiose est danda immissio, vt fuit resolutum in causa Senen. Canonicat. 13. Maij 1588. coram bon. mem. D. Bubalo, & in causa Recanaten. beneficij Sancti Ant. 25. Maij de anno præterito, coram me.

Non obstat Bulla Alexandri. Quia vltra quod ei est sufficienter derogatum, non est in forma probanti: ideo fuit reiecta in alijs Causis, Calaguritanis de Conizero, & de Archaia.

CREMONEN. CAPELLANIAE.

Veneris 14. Ianuarij 1594.

ARGVMENTVM.

Probatur existentia Iurispatronatus. Declaratur verba, *Pro se, & primogenitis masculis ab eo descendentibus.*

SVMMARIVM.

1 *Iurispatronatus reseruatio probatur per dotationem.*

2 *Multò magis, si cum antiquitate temporis concurrant plures præsentationes, quæ habuerint effectum.*

3 *Præsentatus venit instituendus, stante quasi possessione, cum cognitione Causæ adhibita ab Ordinario.*

4 *Titulus excludit timorem vsurpationis.*

5 *Verba, Pro se, & primogenitis masculis ab eo descendentibus, non stant taxatiuè, sed demonstratiuè.*

6 *Obseruantia subsecuta dat fidem scripturis, etiam non authenticis.*

DE-

DECISIO LIX.

Dubium fuit distinctum in tres difficultates. Prima, An constet de Iure patronatus in genere Dominorum de Pallauicinis. Secunda, An ius patronatus cessauerit, extinctis omnibus descendentibus Pallauicinis; vel transierit ad extraneos hæredes. Tertia, An iura sint in forma probanti.

Quantum ad primam, censuerunt Domini constare de iure patronatus Dominorum de Pallauicinis: Quia licet non probetur reseruatio facta à Preposito, cui fuerat cõmissum à Io. Baptista Cardinali Millino Legato, vt, veris existentibus narratis, post sufficientem dotationem factam à Pallauicino, ei & suis successoribus masculis primogenitis ex recta linea masculina descendentibus, iuspatronatus huius Ca-
1 pellæ reseruaret: Tamen †, cum Capella reperiatur dotata de Bubulcis 40. terræ; & Ordinarius in sua sententia attestetur vidisse testamentum Pallauicini, in quo dotauit Altare de Bubulcis 40. terræ, cum reseruatione iurispatronatus; Dominis visum est sufficienter cõstare de reseruatione iurispatronatus; Pre-
2 sertim, cùm concurrant † antiquitas temporis 125. annorum, & plures præsentationes, quæ habuerunt effectum, ab anno 1528. vsque ad annum 1575. & ita etiam fuit dictum *in causa Bononien. iurispatronatus 29. Martij 24. coram Reuerendiss. D. Episcopo Oriolen.*

Quod dicebant Domini procedere sine aliqua difficultate, ad effectum, vt Thomas presentatus sit
3 instituendus: Quia † stante quasi possessione, cùm causæ cognitione adhibita ab Ordinario, non potest ei denegari institutio, Aim. *consil.* 322. *num.* 5.

Non obstat quòd iuspatronatus presumatur, ex
4 vsurpatione. Quia † titulus excludit timorem vsurpationis: præsertim cum sit corroboratus ex sententia Ordinarij, & alijs adminiculis.

Non obstat, quod testamentum, in quo relinquitur dos, precedit supplicationẽ porrectam Cardinali Legato, in qua Pallauicinus dicit quòd volebat dotare. Quia sufficit, quod de tempore porrectæ supplicationis non esset acquisita dos Capellæ, cum Pallauicinus posset suum testamentum reuocare.

Quantum ad secundam, Domini retentis decisionibus factis *in causa Cremonen. iuris patronatus coram R. P. D. Decano.* & *Reuerendiss. Episcopo Oriolen.* & *in Causa Comend. Capellæ, coram R. P. D. Pegna*, dixerunt iuspatronatus non fuisse extinctum, sed extare ad fa-
5 uorem Domini Alexandri hæredis extranei. Quia † verba, *pro se, & primogenitis masculis ab eo descendentibus* non stant taxatiuè, ita quòd excludantur, qui non sunt primogeniti, & descendentes; sed stant demonstratiuè, vt non admittantur transuersales, & hæredes extranei, donec adsint primogeniti, vel descendentes, Anchara. *consil.* 81. Calderin. *consil. 4. de iur. patronat.*

Quantum ad tertiam, Domini resoluerunt, iura
6 esse in forma probanti, propter † obseruantiam subsequutam, quæ dat fidem scripturis, etiam non authenticis, Cin. *inter consilia Bald. cons.* 400. *num.* 3. *li.* 4. Aim. *cons.* 101. *num.* 4. *& cons.* 274. *nu.* 7. Tanto magis, cum Ordinarius, adhibita causa, cognitione, attestetur vidisse ea omnia.

ROMANA DOMVS.

Mercurij 19. Ianuarij 1594.

ARGVMENTVM.

Agitur de probatione idẽtitatis domus, ad effectum recognitionis, & solutionis Canonis.

SVMMARIVM.

1 *Identitas probatur coniecturis, & presumptionibus: & sufficit quòd conueniat maior pars qualitatum expressarum.*

2 *Præsertim, quando non agitur ad effectum caducitatis; sed ad effectum recognitionis, & solutionis Canonis.*

3 *In Probatione identitatis non requiritur quòd omnes demonstrationes conueniant.*

4 *Verba*, in conspectu, *in demonstratione confinium, quomodo intelligantur.*

5 *Confessio quando non constat de errore, & multò magis geminata, non potest reuocari, & nu. 6.*

DECISIO LX.

Domini concorditer resoluerunt, constare de
1 identitate domus: Quia identitas † probatur coniecturis, & presumptionibus, & sufficit, quod maior pars qualitatum, quæ fuerunt expressæ, conueniant, Paul. *in leg. in test. quidam ff. de cond. & demonstr.* Alex. *cons.* 73. *num.* 7. *lib.* 3. *& cons.* 38. *num.* 6. *lib.* 5. Pre-
2 sertim, cùm non † quæratur de idẽtitate, ad effectum caducitatis, sed ad effectum recognitionis, & solutionis Canonis: & hic verificantur ferè omnes demonstrationes appositæ in supplicatione, si in euidentem. Nam corrrespondent, locus, qui enunciatur intra Parochiam Sancti Laurentij in Damaso, iuxta viam publicam; Murus lateralis Capellę Sanctæ Margaritæ cuius vestigia extant: Canon, tam respectu quantitatis, quæ soluitur, quàm respectu temporis, quo soluitur. Concurrit etiam confessio Gerardi, qui dixit se habere istam domum ad tertiam generationem: & confessio Vrsolinæ, à qua isti filij causam habent, quæ affirmauit habere domum sub proprietate Capellæ Sanctæ Margaritæ, sub annua responsione scutorum tredecim, e conspectu domus habitationis suæ, in qua tunc inhabitabat: & ista domus est è conspectu domus, quam ipsa inhabitabat.

Non obstat quod vnus testis deponit, quòd in parte superiori domus, quam possidebat Gerardus, habitabat quidam Oliuerius, qui in ea ingrediebatur per quandam Portam, quæ est subtus arcum: Quia
3 vltra quod testis est vnicus, & † non requiritur quod omnes demonstrationes conueniant, Aim. *cons.* 198. *num.* 2. ista domus potest habere introitum per portam subtus arcum.

Non obstat quòd testes dicunt, quòd domus erat in conspectu hospitij del Turchetto. Quia addunt, & alterius domus, in qua aliàs inhabitabat Vrsolina: &
4 † ideò dicitur esse in conspectu: quia vtraque non potest esse in conspectu per rectam lineam.

Non obstat, quod confessio sit reuocata. Quia
5 quando non † constat de errore, non potest reuocari
6 Corn. *cons.* 90. *num.* 44. *vol.* 2. Maxime, quando † est geminata Curs. Sen. *cons.* 55. *num.* 5.

CRA-

CRACOVIEN. CAPELLANIÆ.

Lunæ 24. Ianuarij 1594.

Hæc Decisio ob sui breuitatem non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus non probatur, personæ identitate non probata.*
2 *Valor Beneficij quando censeatur non probatus.*

DECISIO LXI.

FVit resolutum, gratiam Hieronymi non fuisse iustificatam, quoad clericatum. Quia fides Clericatus non loquitur de Hieronymo Gorischi, sed de
1 Hieronymo Stanislai: ideo non † constat de identitate personæ; & pręterea Ordines fuerunt collati extra tempora, vigore Indulti; & de Indulto non constat.

Quoad valorem pariter dicebãt Domini gratiam non esse iustificatam. Quia secundus, & tertius iux-
2 ta 17. & super 4. deponunt † quod excedit summam narratam, ex quibus saltem redditur turbida depositio aliorum testium, Vltra quod secundus, & tertius non deponit de non excessu, & primus dicit se nescire alia bona dictę Capellę ideo non probat quia potest esse, quód Capella habeat alia bona, ex quibus alij fructus percipiantur.

RECANATEN. PECVNIARIA.

Lunæ 7. Februarij 1594.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Solutio debet probari ab eo, qui in illa intentionem suam fundat.*

DECISIO LXII.

FVerat resolutum in ista causa, attentata esse turbida, & videndum esse de bono iure. Ideo dubitaui, An Alphonsus teneretur restituere istis socijs summam scurorum 3539. Et Domini resoluerunt, eum teneri. Quia, etiam circumscriptis tribus partitis, in quibus fuit condemnatus ab A. C. pro interesse, quod Domini existimabant non deberi, est debitor maioris summæ in diuersis partitis; vt bene deducunt Informantes pro socijs, & de solutione
1 non constat † & ipse debet eam probare, cum sit fundamentum suæ intentionis *leg. quinquaginta ff. de solut.* Aim. *consil.* 313. *num.* 1.

CALAGVRITANA DIMIDIARVM PORTIONVM DEL BVRGO.

Veneris 4. Martij 1594.

ARGVMENTVM.

Iura quando dicantur non esse in forma probanti.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum non probat, quando non est recognita manus Notarij.*
2 *Fides simplex non probat.*
3 *Testes in causa beneficiali examinati à Iudice laico, non probant.*

DECISIO LXIII.

IN ista causa fuerat resolutum, esse locum subrogationi gratiosæ, cùm præsupposito, quòd iura, ex quibus probatur reseruatio, essent in forma probanti: ideo dedi super isto præsupposito Dubium particulare, quod fuit à Dominis resolutum pro negatiua. Quia instrumentum possessionis captæ de mense Iu-
1 lij non est in forma probanti, cùm † non sit recognita manus Notarij; vt fuit resolutum *in causa Burgen. de Carranza* 27. *Octobris* 1589. *coram bon. me. D. Bubalo.*

Non obstat attestatio Lucæ della Rea. Quia est
2 simplex fides, & suspecta, & † non est recognita eius manus.

Non obstat fides alterius Notarij: Quia pariter est simplex fides, & eius manus non est recognita.

Non obstant confessiones: Quia ex collationibus factis de mense Iulij non probatur concludenter, quod vacatio successerit de eodem mense.

3 Non obstant testes: Quia sunt † examinati à Iudice laico, sine citatione, & lite pendente in Rota.

ROMANA COMPVTORVM.

Veneris 18. Martij 1594.

ARGVMENTMV.

Executio non potest fieri contra bona tertij possessoris, quando fuit actum actione personali.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum exequi non potest contra tertium possessorem, quando fuit actum actione personali; etiamsi fuisset citatus: Dummodo ius ipsius non sit deductum in iudicio, & num. 2.*
3 *Obligatio Cameralis non afficit tertium possessorem.*
4 *Gallesij noua forma Obligationis Cameralis compręhendens tertium possessorem, non seruatur.*

DECISIO LXIV.

FVit resolutum, mandatum executiuum non esse relaxandum contra bona possessa per Pompo-
1 nium: Quia fuit actum † actione personali, ideo executio fieri non potest contra Pomponium tertium possessorem, Ruin. *cons.* 87. *num.* 1. *& seqq. lib.* 4. Bero. *cons.* 47. *num.* 6. *lib.* 1.

Non obstat quod Pomponius fuit citatus, ideò sententia lata contra Franciscum ei præiudicat. Quia
2 hoc procederet, si † ius ipsius fuisset deductum in iudicio, sed cum non fuerit deductum in iudicio, non potest contra eum fieri executio, Alex. *in leg. sæpe nu.* 6. *ff. de re iudicat.* Gozzad. *cons.* 103. *n.* 12.

Non obstat, quòd fuit actum in vim obligationis
3 Cameralis: Quia † non potest agi obligatione Camerali contra tertium possessorem. Et licet Gallesius det nouam firmam, quæ comprehendit tertium pos-
4 sessorem; tamen † illa non seruatur, sed antiqua.

MEDIOLANEN. BONORVM.

Lunæ 28. Martij 1594.

ARGVMENTVM.

Eugeniana cui competat. Declaratur Statutum Mediolanense, *De continuanda possessione defuncti in hæredem.*

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Eugeniana habet locum ad fauorem Curialis, solùm in Causis in quibus est reus.*

2 *Remedium Legis*, Diffamari, *non competit ei, qui non possidet.*

3 *Statutum Mediolanense*, De continuanda possessione Defuncti in hæredem, *non habet locum in bonis, quæ à defuncto possidebantur tantum naturaliter.*

4 *Neque, quando possessio est apud defunctum, ex causa de sui natura non transitoria ad hæredes.*

DECISIO LXV.

Domini resoluerunt, non esse locum constitutioni Eugenianæ, quantum ad fratres de Portis:
1 Quia Eugeniana † habet locum ad fauorem Curialis solum in causis, in quibus est reus: Et in isto iudicio D. Io. Baptista est actor, cùm petat manuteneri, & sibi restitui bona ablata.

Non obstat, quòd intentauit remedium, *Legis diffamari*, & consequenter dicitur reus: Quia ad illum
2 effectum debet docere de sua possessione; cùm † hoc remedium non competat ei, qui non possidet Bald. *in leg. 3. numer. 2. Cod. qui bon. ced. poss.* Boer. *dec.* 225. *num.* 10. Gabr. *de act. concl. 6. num.* 38. Et fuit resolutum *in causa Toletana Quintæ partis 27. Iunij 1584. coram bon. mem. D. Episcopo Lauretano*. Et de ista possessione non constat, immo probatur possessio fratrum.

Nec obstat Statutum Mediolanense, *de continuanda possessione defuncti in hæredem*; quia † non habet lo-
3 cum in bonis quæ à defuncto naturaliter tantum possidebantur, Imol. *cons. 16. col. 2.* Ias. *consil. 147. num. 3. lib. 2.* Et in terminis bonorum feudalium, & emphiteoticorum, tradunt Corn. *cons. 173. in vltimo dubio, lib. 2.* Ias. *cons. 152. circa princip. & col. vltim. lib. 4.* Rub. Alex. *cons. 121.* & fuit decisum *in causa Imolen. bonorum 10. Aprilis 1592. coram R. P. D. Pamphilio*. Et tanto magis, stante pacto apposito in instrumento locationis, quòd bona locata non transeant ad hæredes.
4 Vnde succedit alia limitatio, quod huiusmodi † statuto non est locus, quando possessio est apud defunctum, ex causa de sui natura non transitoria ad hæredes Alex. *cons. 153. num. 4. lib. 2. cùm alijs allegatis.*

MAIORICEN. CANONICATVS.

Lunæ 2. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

Agitur de restitutione fructuum perceptorum à Syndico Capituli.

SVMMARIVM.

1 *Grossa, & mensata, non sunt distributiones quotidianæ.*

2 *Nemo debet reportare maius commodum ex absentia, quàm ex residentia.*

3 *Protestatio, in materia restitutionis fructuum, non est necessaria pro fructibus perceptis.*

DECISIO LXVI.

Domini resoluerunt, non constare de paritione Breuis, & D. Ioanni Seguì dandum esse mandatum contra D. Matthæum Mallol, pro summa liquidata. Fundamentum decisionis fuit: quia ex libro Capituli, & depositionibus testium probatur, quòd fructus huius Canonicatus, & officij Pœnitentiarij,
1 consistunt in grossa, & mensata; quæ † non sunt distributiones quotidianæ, *cap. cum non ullæ. §. præterea de præbend. in extrauag. commun.* Vnde cum in Breui dicatur, quod D. Ioanni consignentur omnes, & quicumque fructus, redditus, & prouentus integre à die obitus; & Matthæus perceperit illos fructus liquidatos; debet eos restituere.

Non obstat quòd Matthæus eos percepit tãquam Syndicus, & procurator Capituli in Curia Regis.
2 Quoniam respondebant Domini, quòd † non debet reportare maius commodum ex absentia, quàm ex residentia. Ideò sicuti si fuisset præsens, teneretur fructus restituere, ita tenetur restituere illos, quos habuit ratione absentiæ.

Non obstat, quòd non fuit facta protestatio. Quia
3 † non est necessaria pro fructibus perceptis; vt fuit dictum *in causa Facen. beneficij 16. Ianuarij 1577. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.*

LEGIONEN. CANONICATVS.

Mercurij 4. Maij 1594.

Summarium est loco Argumenti.

SVMMARIVM.

1 *Fructus dicuntur percepti à Capitulo, quando sunt percepti à persona à Capitulo deputata.*

DECISIO LXVII.

Domini resoluerunt, constare quòd Capitulum fructus percepit: quia adest eius confessio explicita, quòd habet curam, & administrationem Hospitalis, & quòd administrator Hospitalis fructus percepit. Vnde sequitur, quòd Capitulum istos fructus percepit.

Non obstat quod fructus non fuerunt percepti à Capitulo, sed ab Administratore Hospitalis ab eo de-
1 putato. Quia † sufficit, quod fructus fuerint percepti à persona deputata à Capitulo, vt dicantur à Capitulo percepti, *leg. item eorum §. 1. ff. quod cuiusque vniuers. nom. leg. ita tamen, §. gessisse, ff. de admin. tut.*

Quantum ad quantitatem, Domini dixerũt, quod melius liquidetur.

ROMANA HÆREDITATIS.

Mercurij 4. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

Statuti Vrbis *lib. 1. cap. 141. & 145.* an habeat locum in hæreditate Auunculi.

SVMMARIVM.

1 *Statuta exclusiua excludunt solùm personas in eis expressas, ab hæreditate personarum expressarum.*

2 *Statutum non excludens fœminas à successione matris, multo minus censetur eas voluisse excludere à successione Auunculi.*

3 *Statutum excludens certam personam expressam, excludit pariter aliam non expressam remotiorem, quando vult succedere ex persona exclusa, vel deseruit lata verbi significatio.*

4 *Auunculus non continetur appellatione patris, nec aui, nec matris, nec auiæ.*

Sta-

5 Statutum in quo casu non censetur excludere à successione transuersalium, vel alterius personæ remotioris non expressæ.

6 Non valet illatio: Excluditur à successione proximioris; ergo excluditur à successione remotioris.

DECISIO LXVIII.

FVit resolutum, Statutum *c.* 141. *&* 145. *li.* 1. excludens filias, & neptes ab hęreditate patris, & aui, matris, & auię, non obstare istis sororibus quominus possint succedere simul cum fratribus in hæreditate Marsilij Auunculi iuxta dispositionem iuris communis.

Moti fuerunt Domini: quia Statutum eas expre-
1 se non excludit à successione Auunculi: & † statuta exclusiua excludunt solum personas in eis expressas ab hæreditate personarum expressarum. Bald. Aluarot. & Card. Alex. *in cap.* 1. §. *quin etiam in titulo Episc. vel Abb.* Bald. *in leg. illam, num.* 4. *& ibi* Paul. Alex. & alij, *Cod. de collat.* Cornel. *cons.* 82. *numer.* 9. *lib.* 4. Dec. *consil.* 625.

Considerabant etiam aliqui ex Dominis, quod mens Statuti fuit solum excludere in casibus expressis; quia Statutum, *capit.* 146. non excludit sorores propter fratres à successione fratrum in bonis
2 maternis; &, † si non excludit sorores à successione fratrum in bonis maternis, multo minus voluit excludere à successione Auunculi remotioris, qui eis coniungitur per lineam Maternam.

Nec mouit Dominos, quod statutum excludens proximiorem, intelligitur etiam excludere remotiorem, propter majoritatem rationis. Quia pro responsione distinxerunt duos casus. Primus est, quòd sta-
3 tutum † excludens certam personam expressam, pariter excludit aliam non expressam remotiorem, quando vult succedere ex persona exclusa, vel deseruit lata verbi significatio. Et in his terminis dicebant Domini loqui omnes ferè Doctoris, qui allegantur per informantes pro fratribus, & procedere decisionem *in causa Romana de Capranica*. Sed ille non est casus noster; quia istę sorores non succedunt ex persona exclusa, sed ex persona propria; neque lata ver-
4 bi significatio deseruit; quia † Auunculus non continetur appellatione patris, nec aui, nec matris, nec auiæ.

Secundus casus est, quòd Statutum excludit sorores propter fratres, vel aliam personam, à successione ascendentium, vel alterius personæ expressæ. Et
5 quæritur, an Statutum censeatur † excludere à successione transuersalium, vel alterius personæ remotioris non expressę, quæ non continetur appellatione personæ exclusæ, nec venit ad successionem ex persona exclusa. Et in isto casu dicebant Domini, quod persona non expressa, licèt sit remotior, & minus dilecta, non intelligitur exclusa Doct. *in dict. leg. illam,* vbi Alex. *num.* 6. *&* 7. Soccin. *cons.* 28. *num.* 24. *&* 25. *lib.* 4.

6 Nec valet argumentum. Excluditur † à successione proximioris, ergo excluditur à successione remotioris; vt per Fulgos. & Parisium, qui citantur per informantes pro sororibus; & inter recentiores plures congerit Bolognetr. *cons.* 10. *num.* 92. Alias, si hoc argumentũ procederet, exclusę ab hęreditate vnius, essent semper exclusæ ab hæreditate omnium.

PAPIEN. IVRISPATRONATVS.

Lunæ 9. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus quomodo probetur esse mixtum.

SVMMARIVM.

1 Iuspatronatus quado dicatur mixtum.

2 Iuspatronatus mixtum non præscribitur per præsentationes factas à Compatronis, præscribere alteram medietatem pratendẽtibus, nisi probentur facta animo priuandi alios Compatronos.

3 Ius præsentandi non amittitur per non vsum, si præsentationes non fuerint factæ animo priuandi Compatronum, qui non præsentauit.

DECISIO LXIX.

DVbitaui, An institutio D. Bartholomæi Araldi Ecclesiæ Parochialis Sancti Georgij Vellanterij, ad pręsentationem Dominorum de Lonatis, esset confirmanda, vel infirmanda? Et quia pro parte Dominorum Pręposĭti, & Canonicorum Regulariũ Sancti Petri in Cœlo Aureo, qui prętendunt ius patronatus esse mixtum, inter alia dicebatur sentẽtiam esse infirmandam: quia iuspatronatus erat mixtum, & in ista pręsentatione non fuit seruata forma requisita in pręsentatione Ecclesiarum Parochialium, quæ sunt iuris patronatus mixti; Placuit Dominis vt particulariter videretur; An istud iuspatronatus esset mixtum? Et dubio proposito, concorditer censuerũt, iuspatronatus esse mixtum.

1 Fundamentum decisionis fuit; quia † habemus initium clarum istius iurispatronatus mixti: cùm de annò 1207. Monasterium emerit totum Castrum Vellanterij cum omnibus iuribus, & actionibus, & cùm aduocatijs Ecclesiarum: Et in transactione postea inita de anno 1260. adest confessio explicita venditorum, quòd totum Castrum cum omnibus honoribus, & iurisdictionibus, spectabat, & spectare consueuerat in integrum ad Monasterium: Et promissio de non inquietando de tota Villa, honoribus, iurisdictionibus, & de medietate aduocatiæ Plebis Villanterij, & iurispatronatus, & Capellaniæ ipsius Castri, & Ecclesiæ, & Hospitalis della Gallera: Et postea Abbas eos inuestiuit de toto feudo, & de medietate Aduocatiæ, seu iurispatronatus. Vnde cùm Monasterium ostendat iuspatronatus esse mixtum, necesse est quod Domini de Lonatis doceant se pręscripsisse medietatem spectantem ad Monasterium.

Hoc autem dicebant Domini non probari: quia
2 † ad istum effectum est necessarium, quòd pręsentationes fuerint factæ animo priuandi Monasterium: quod in dubio non pręsumitur; vt bene deducunt Ruin. *cons.* 50. *num.* 10. *lib.* 5. Et sine isto animo, præsentationes vnius non præiudicant compatrono, sed ei pręseruant ius Feder. *cons.* 202. *in fin.* Abbas. *cons.* 54. *lib.* 1. Put. *decis.* 297. *lib.* 1. Stanil. *decis.* 97. Crescent. *decis.* 27.

Considerabant etiam Domini, quòd Monachi ad alias Ecclesias contentas sub eodem iurepatronatus præsentarunt sine contradictione Dominorum de Lonatis: & in specie per sententiam R. P. D. Blanchetti fuit declaratum, iuspatronatus clericatuum

Sancti

Sancti Aegidij, & Sancti Georgij, esse mixtum. Et ex hoc perspicuum fit, quòd Domini Lonati non habebant istam prętensionem, quòd iuspatronatus ad eos spectaret in totum, quia non permisissent Monasterium præsentare.

Non obstant sententię. Quia prima de anno 1428. fuit lata inter alios, & non citato monasterio: secunda vero de anno 1484. fuit lata, quia non constitit Monasterium esse in possessione presentandi, & ei com petere ius: ideò cùm hodie constet de contrario, ista sententia ei non præiudicat.

Præterea fuit responsum quod istæ sententiæ sunt iniustæ: quia constat, Monasterium habere medietatem iurispatronatus, & non probatur præscriptio.

3 Non obstat, quod per non vsum amittitur ius † præsentandi: quia non sufficit non vsus, si præsentationes non fuerunt factæ animo priuandi compatronum, qui non præsentauit, Feder. *dict. cons.* 202. Abb. *dict. cons.* 54. & fuit dictum *in causa Imolen. Iurispatronatus* 19. *Octobris* 1579. *coram bon. mem. D. Lauretano.*

ROMANA DE NARDONIBVS.

Veneris 13. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

Ius offerendi quomodo competat illi, qui emit sub hasta.

SVMMARIVM.

1 *Ementi sub hasta, vigore crediti canonizati, competit ius offerendi, vti creditori.*

DECISIO LXX.

QVantum ad primam partem Dubij, fuit resolutum, Angelo, vti creditori, competere in his bonis ius offerendi, exceptis duabus petijs terræ, de
1 quibus non controuertitur: quia ipse † emit ista bona per subhastationem, & creditum Antonij, ad cuius instantiam fuit facta venditio fuit canonizatum per mandatum A.C. Vnde cum Ang. succedat in ius Antonij, potest offerre vti creditor.

Quantum ad secundam partem Domini dixerunt, Angelum debere offerre credita anteriora: in quo Domini non dubitabant Angelum debere offerre rubra 64. grani, & alias duas partitas: quia de veritate crediti, & anterioritate constat. Difficultas solum fuit apud Dominos in partita Scutorum 460. quia de anno 1580. adest conuentio, quòd granum soluatur ad rationem scutorum quatuor; licet prius esset venditum ad rationem scutorum septem, & de anno 1588. D. Scipio affirmat, Ioannem remanere sibi debitorem, iuxta saldum de dicto anno 1580. in scutis 161. Ex quo apparet quod D. Scipio exegit ad rationem scutorum quatuor. Ideò Ioannes non potuit postea condemnari ad rationem scutorum septem.

Aliqui tamen ex Dominis contrarium sentiebant, propter reseruationes, quæ continentur in instrumentis de anno 1580. & 1588. Ideò fuit dictum, quod super hoc particulariter dubitetur.

MEDIOLANEN. LOCATIONIS.

Veneris 13. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

Commissio quando dicatur subreptitia in materia locationis.

SVMMARIVM.

1 *Commissio subreptitia est nulla.*
2 *Euidens Ecclesiæ vtilitas non iustificatur in alienationibus, ex sola consideratione calamitatem temporis præsentis.*

DECISIO LXXI.

FVit resolutum pro inualiditate locationis, ex defectu vtriusque requisiti, solemnitatis, & causæ.

Quantum ad defectum solemnitatis, moti fuerunt Domini: quia non constat de facultate Episcopi Verulani, Nuntij apud Ducem Mediolani, qui commisit confirmationem istius contractus, quatenus cederet in euidentem vtilitatem Ecclesiæ.

1 Secundo, quia commissio est subreptitia † & consequenter nulla Dec. *cons.* 142. *numer.* 5. Ruin. *consil.* 157. *num.* 4. *& num.* 11 *lib.* 1. Subreptionem autem deducebant Domini: quia Episcopo fuit expressum, quòd ista bona à pluribus annis erant inculta, & deserta; ita vt non posset reperiri, qui vellet ea conducere, vel recipere, etiam sine pretio: & tamen erant locata eidem Aloisio pro tribus solidis pro qualibet pertica.

Prӕterea fuit expressum, quòd erant perticæ 150. & constat de maiori quantitate: quia in concessione fuerunt expressæ 184.

Quantum vero ad defectum causæ euidentis vtilitatis, de eo clare constat: quia fuit solum habita consideratio præsentis temporis calamitosi, propter bellum, & pestem; ex quo non resultat iustum pretium, Paul. *cons.* 109. *col.* 1. *vers. nec obstant testes vol.* 2. Cuman. *in leg. pretia rerum num.* 5. *ff. ad leg. Falcid.* Fulgos. *cons.* 242. *post princip.* Et in his terminis fuit resolutum *in causa Rom. Casalis Turricellæ* 10. *Martij* 1578. *coram bon. mem. Episcopo Lauretano, & in causa Papien. bonorum prima Iulij* 1579. *coram Cardinali Lancellotto.*

PAPIEN. BONORVM.

Veneris 20. Maij 1594.

Hæc Decisio non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius, Sede vacante, habet facultatem absoluendi, ad effectum agendi. Neque est necessaria citatio, & numero 2.*
3 *Prælatus potest in vita sua venire contra transactionem iuratam, quando deducitur læsio enormissima.*

DECISIO LXXII.

DOmini resoluerunt, Io: Baptistam esse audiendum: Quia de iurisdictione non potest dubitari, cùm post latum laudum, & obtentam absolutionem, adsit noua Commissio. Absolutio autem est valida,
1 cùm † Vicarius, Sede Episcopali vacante habeat facultatem concedendi absolutionem, ad effectum

D agen-

agendi, Felin. *in cap. cum olim num. 9. de maior. & obed. & in cap. 1. num. 20. de iur. iur.*

Non obstat quod absolutio est nulla ex defectu
2 citationis. Quia † citatio non est necessaria; vt fuit resolutum *in causa Cesenaten. bonorum 23. Febr. 1573. coram R. P. D. Blanchetto.*

Non obstat quòd Prælatus in vita sua non potest
3 venire contra trãsactionem iuratam. Quia hoc † procedit, quando non deducitur enormissima læsio. Prěterquamquod transactio rescinditur, iuxta eam opinionem, quam Rota sequitur. Et licet ad huc non sit probata: tamen Io: Baptista debet audiri, vt possit de ea docere.

BRIXIEN. PENSIONIS.

Lunæ 23. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio transferentis non suffragatur translatario, ad effectum mandati de manutenendo.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio est facti, & sine facto non acquiritur, neque transfertur.*
2 *Translatario, qui nunquam exegit, non potest concedi mãdatum de manutenendo.*
3 *Translatio operatur, vt antiqua pensio extinguatur, & noua creetur.*
4 *Apprehensionis actus est necessarius, etiam in incorporalibus.*
5 *Declaratio Decisio 40. Auctoris.* in Causa Bononiensi Pensionis.

DECISIO LXXIII.

FVit resolutum contra informantem, quasi possessionem D. Scipionis transferentis non suffragari D. Federico translatario, ad effectum, vt ei debeat concedi mandatum de manutenendo. Ratio princi-
1 palis, Dominorum fuit: quia † quasi possessio est facti, & sine facto non acquiritur, neque transfertur, *leg. quemadmodum, leg. cum heredes, ff. de acquir. possess. leg. 1. §. Scæuola, ff. si quis testam. lib. esse iuss. fuer.* Vn-
2 de, cùm † D. Federicus translatarius nunquam exegerit, non potest ei dari mandatum de manutenendo, vt in his terminis inter recentiores bene deducit, Cesal. *cons. 479. num. 31. cum seqq.*

3 Tanto magis, quia † per translationem antiqua pensio extinguitur, & noua creatur, Ferret. *cons. 53. num. 10.* Gig. *de pension. quæst. 74. num. 1. & quæst. 88. nu. 8.* Ideo quasi possessio pensionis extinctæ non potest suffragari,

Nec placuit Dominis differentia inter possessionem rerum corporalium, & quasi possessionem incor
4 poralium. Quia † etiam in incorporalibus necessarius est actus appræhensionis Achil. *decis. 5. de possess.* Caputaq. *decis. 135. 152. & 420. par. 2.* Anton, August. *in tit. de quasi possessione prælegandi, §. vlt.*

Non obstat Decisio *in causa Bononien. pensionis co-*
5 *ram me*: Quia † non fuit resolutum, quod translatarijs esset dandum mandatum de manutenendo: sed quòd poterant agere pro executione literarum Apostolicarum, non iustificatis literis transferentis, ob eam potissimè rationem, quia concurrebat quasi possessio longissima transferentis, per quam præsumitur iustificatio narratorum in reseruatione. Ideò non applicatur.

PERVSINA DE ODDIS.

Veneris 27. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

Declaratur Statutum Perusinum. De successione patris in hæreditate filij, &c.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Perusinum disponens, quòd defuncto superstitibus patre, & matre, pater illi succedat in totum, præterquam in legitima, in qua succedat mater; intelligitur, quoad Legitimam, de tertia parte tantum eius portionis, in qua mater succederet, si Statutum eam non excluderet, & num. 5.*
Contraria opinio declaratur, num. 6.
2 *Quando Statutum vocat patrem ad successionem filij in totum, opinio communis est, quòd mater censeatur exclusa à Legitima.*
3 *Pater, & mater, de Iure communi, succedunt æqualiter in bonis filij.*
4 *Legitima est tertia pars illorum bonorum, in quibus ille, cui Legitima debetur, successurus fuisset ab intestato.*

DECISIO LXXIV.

IAcobus Restaurus decessit ab intestato, superstitibus Octauio patre, & Gentili de Oddis matre. Extat Statutum Perusij, quod si aliquis, vel aliqua, in quacunque ætate decesserit cum ascendentibus, superstite patre, & matre, pater succedat in bonis eius in totum; præterquam in legitima, in qua succedat mater. Dubitaui in terminis huius statuti; Quanta sit legitima Gentilis matris Iacobi. Et dubio per me proposito, Domini concluserunt contra informãtem,
1 quòd † legitima non sit tertia totius hæreditatis, sed tertia eius portionis, in qua Gentilis succederet, si Statutum illam non excluderet,

Mouebantur: quia quando Statutum vocat simpliciter patrem ad successionem filij in totum, est magna controuersia inter Doctores, an mater censeatur exclusa à legitima; vt per Tiraqu. *de iure primog. quæst. 15.* & Roland. à Vall. *cons. 62. num. 13. lib. 3.*
2 qui restatur † opinionem affirmatiuam esse communem. Et ideo illa exceptio Statuti; *prçter quam in legitima, in qua succedat mater*, remouet istam difficultatem, & operatur solum illum effectum, quòd matri præseruetur legitima debita de iure communi, Alex. *consil. 197. numer. 6. lib. 6.* In terminis verò iuris
3 communis, cùm † pater, & mater succedant æqualiter, *authent. defuncto, Cod. ad Tertill. §. si igitur defunctus in auth. de hæred. ab intest. versic. legitima matris est tertia suæ portionis*; & sic tertia medietatis, in qua successisset; & non tertia totius, in qua de iure communi non
4 successisset ab intestato quia notissimum est, † legitimam esse tertiam partem illorum bonorum, in quibus ille, cui legitima debetur, successurus fuisset ab intestato, si non fuisset exclusus, *leg. Papinianus, §. quoniam autem, ff. de inoff. testam. l. cum quæritur, Cod. eod. tit. cap. Raynutius, de testam.*
5 Et ita † in his terminis, quando mater excluditur vigore Statuti, vel testamenti, pręter quàm à legitima; & pater, qui concurrit in successione cum matre,

est

est vocatus, hanc opinionem firmauit Baldus, limitando opinionem Butrigarij *in conf.* 350. *vers. sed dicendum est, lib.* 4. & sequuntur Capra *conf.* 4. *numer.* 5. Corn. *conf.* 197. *lib.* 1. Gabr. *conf.* 94. *num.* 20. *& 21. lib.* 1. qui dicit, quòd in hoc casu sine vlla dubitatione ista opinio est vera, & communis, Thesaur. *dec.* 172. *num.* 9. *versic.* 3. *casus est*, Tiber. Decian. *respons.* 2. *num.* 128. *lib.* 5. Et in terminis similis Statuti vocantis fratrem ad successionem fratris, exclusa matre, præterquam à legitima; fuit resolutum *in causa Asculana legitimæ* 2. *Decembris* 1588. *coram bon. mem. Bubalo.*

Non obstat opinio Iacobi Butrig. *in* 6. *quæst. & conf.* Oldrad. 123. & decisiones *in causa Rom. de Minichellis coram bon. mem. Vicecomite*, & *in causa Rom. de*
6 *Vrsinis coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto*, quòd † legitima matris sit tertia totius hæreditatis. Quia opinio istorum Doctorum procedit, quando fratres fuerunt præteriti, & in totum exclusi: & in hoc casu loquuntur ferè omnes Doctores, qui eos sequuntur; vt per Bald. Capr. & Gabriel. *in dictis consil.* & Thesaur. *in dict. decis.* 172. *num.* 4. Nos autem versamur in casu contrario, in quo pater non solum non est exclusus, sed excludit matrem: & ideò cessant omnes rationes illius opinionis: Quia quando pater succedit, non potest haberi pro mortuo, neque inhabili, & necesse est vt faciat partem matri: si enim patet admittitur ad partem, cùm succedat æqualiter cùm matre, iuxta *dict. auth. defuncto*, propter istum concursum diminuitur successio matris, & consequenter diminuitur etiam legitima, quæ detrahitur de portione ei debita; vt benè deducit Bald. *in dict. conf.* 350. *num.* 2. Et ab ista opinione pauci reperiuntur, qui dissentiant præcisè in his terminis. Et multum placuerunt Dominis rationes illius Decisionis *in causa Asculana*, in qua distinguendo plures casus, conciliantur auctoritates Doctorum, & decisiones factæ in Rota in hac materia.

PAPIEN. MATRIMONII.

Mercurij 1. *Iunij* 1594.

ARGVMENTVM.

Matrimonium fuisse contractum, ex quibus probetur. Concilium Tridentinum an annulet matrimonia clandestina.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium sufficienter probatur per duos testes de visu, & fidem Parochi registratam in Libro Matrimoniali.*

2 *Adminicula, ex quibus probatur matrimonium, & num.* 3. 4. & 5.

6 *Matrimonium non dicitur clandestinum, quando est celebratum de licentia Vicarij coram tribus testibus.*

7 *Clandestinitas ex quibus excludatur.*

8 *Ad probandum matrimonium clandestinum, non ad impugnandum aliud, nec ad ipsum dirimendum, sufficit probatio ordinaria, nec requiritur plenissima.*

9 *Testes in Causa Matrimonij non est necesse quòd conueniant in verbis formalibus; sed sufficit quòd concordant in substantia.*

10 *Probatio plena elidi non potest, nisi per aliam plenam probationem.*

11 *Matrimonium vt sit validum, sufficit esse contractum per verba de præsenti, coram proprio contrahentium Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia; & coram testibus.*

12 *Concilium Tridentinum non annullat matrimonia clandestina. Et declarantur eius verba*, Ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & *num.* 13.

DECISIO LXXV.

Dubium fuit restrictum in duas difficultates. Prima fuit, An constet sufficienter de matrimonio contracto inter D. Camillum, & D. Comitissam Lucretiam Antoniam. Secunda, An fuerit rite contractum, & seruatis Decretis Sacri Concilij Tridentini.

Quantum ad Primam Domini concorditer resoluerunt constare de Matrimonio. Quia, vt probatur ex fide Præpositi, à testibus subscripta, & registrata in Libro Matrimoniali, & depositione duorum testium, qui fuerunt præsentes, Matrimonium fuit contractum inter eos per verba de præsenti ad interrogationem Præpositi, cui fuerat concessa licentia à Vicario Episcopi in præsentia trium testium. Vnde cùm concurrant depositiones duorum testium de visu attestantium matrimonium fuisse deliberatè contractum; & fides præpositi registrata in Libro Matrimo-
1 niali; non est dubium, † sufficienter constare de Matrimonio, Dec. *conf.* 163. *num.* 1. Caputaqu. *decis.* 205. *par.* 1.

Quòd etiam dicebant Domini perspicuè probari ex pluribus adminiculis, & præsumptionibus in hoc casu concurrentibus: Videlicet, ex Chirographo præcedenti, ab eis, & testibus subscripto, & recognito;
2 quod etiam † secundum aliquos ex Dominis continet matrimonium per verba de præsenti, vt concedunt informantes pro Comitissa; quia ipsa promittit acceptare, prout de præsenti acceptat, Dominum Camillum in Maritum: & è conuerso, D. Camillus eisdem verbis promittit acceptare, prout de præsenti acceptat, eam in Vxorem, data & recepta vtriuq; Fide. *cap. penult. & ibi* Abb. *num.* 2. *de sponsalib.* Specul. *in tit. de sponsalib.* §. 1. *num.* 2. Et istud Chirographum multum confert ad ostendendam veritatem matrimonij postea contracti, Natta *conf.* 250. *num.* 3.

Secundo ex traditione Annuli, & subarratione tempore celebrati matrimonij: quæ probatur, ex
3 confessione ipsius, & depositione D. Speciosæ: & † subarratio facit vrgẽs adminiculum contracti matrimonij per verba præsentis temporis, etiam si verba dubia processissent, quia fieri non solet nisi Vxori, Ferret. *conf.* 86. *num.* 16.

Tertio ex muneribus prætiosis ei traditis à D. Camillo; quæ absq; fœdere Matrimonij à Muliere Nobili, & honesta non fuissent accepta.

Quarto ex confessione ipsius, de qua deponunt
4 duo testes contestes, & confessio † probat matrimonium prius fuisse contractum glos. *in cap. super eo, in verbo, confessionem, de eo qui cogn. conf. vx. suæ*, Socein. Iun. *conf.* 89. *num.* 9. *lib.* 2.

Quinto ex pluribus literis ab ea scriptis D. Camillo, ex quibus apertè colligitur matrimonium fuisse contractum.

Sexto ex multiplicato accessu D. Camilli ad eam visitandam, commoratione illius per integros dies, & conuiuijs pluries cùm ea initis.

5 Septimo ex licentia obtenta à Vicario, quæ non †

est necessaria, nisi pro matrimonio contrahendo; vt
fuit consideratam *in causa Britonorien. Matrimonij 17.*
Maij 1581. coram R. P. D. Decano.
Octauo ex publica voce, & fama in Monasterio
huius matrimonij; de qua deponunt D. Angelica, &
Antonius de Ramis super tertio.
Non obstat quod istud matrimonium fuit clande-
stinè contractum: ideò requiruntur testes omni ex-
ceptione maiores, & probatio plenissima. Quia mul-
6 tipliciter fuit responsum: In primis, istud † matri-
monium non fuisse clandestinè contractum cum fue-
rit celebratum à Præposito de licentia Vicarij in prę
sentia trium testium Alciat. *resp. 5 numer. 26. tom. 1.*
7 *lib. 1.* Pręsertim, concurrentibus † publica voce, &
fama in Monasterio, fide ipsius Præpositi, registrata
in Libro Matrimoniali, confessione Comitissæ, & ite-
ratis accessibus D. Camilli, ad eam visitandam: quæ
prorsus excludunt clandestinitatem.
8 Secundo respondebant Domini, quòd † quando
agitur de probando Matrimonium clandestinum,
non ad impugnandum aliud, nec ad ipsum dirimen-
dum, non requiruntur testes omni exceptione maio-
res; nec probatio plenissima, sed sufficit probatio or
dinaria Dec. *dict. cons. 163. num. 13.* & fuit resolutum
in causa Tullen. Matrimonij 14. Iulij 1568. coram bon. me.
D. Orad.
Tertio fuit dictum ex abundanti, in casu isto adesse
se probationem plenissimam cum concurrant depo-
sitiones testium de visu, fides Præpositi, & tot vrgen
tes præsumptiones.
9 Non obstat quod testes non conueniunt † in ver-
bis formalibus. Quia in causa Matrimonij sufficit,
quod testes concordent in substantia, Gramat. *cons.*
50. num. 43. & 44. inter consil. ciuil. Perret. dict. cons. 86.
num. 8. Et fuit resolutum *in causa Rhotomagen. Matri-*
monij coram D. Sarmiento 15. Martij 1563. & in causa
Calagurritana Matrimonij 14. Decembris 1575. coram
R. P. D. Decano.
Non obstant aliæ contrarietates, & exceptiones
contra testes, inuerisimilitudines, & suspitiones. Quia
visæ sunt Dominis leuissimæ: & cum Matrimonium
10 sit plenè probatum, non potest † elidi ista probatio
plena, nisi detur alia probatio plena, Felin. *in cap. in*
præsentia num. 12. & ibi Dec. *num. 48. & 49. de probat.*
Et in his terminis fuit resolutum *in dict. causa Tullen.*
Matrimonij 14. Nouembris 1575.
Quantum ad secundam, Domini pariter fuerunt
concordes, matrimonium fuisse solemniter contra-
ctum, & iuxta formam Sacri Concilij Tridentini.
Quia fuit contractum per verba de pręsenti coram
testibus, ad interrogationem Prępositi, de licentia
Vicarij, qui potest eam concedere; vt congregatio
Illustrissimorum Cardinalium, eiusdem Concilij in-
11 terpretum censuit: & ad effectum, † vt contractus
matrimonij sit validus, solum requiritur, quod
pręsente Parocho proprio contrahentium, vel alio
Sacerdote, de ipsius Parochi vel Ordinarij licen-
tia, & coram testibus, matrimonium sit contractum
per verba de præsenti; prout eadem congregatio re-
soluit, & fuit decisum *in dicta causa Calagurritana Ma-*
trimonij 26. Ianuarij 1573.
Non obstat quod Concilium irritat matrimonia
clandestina. Quia vltra quod hoc matrimonium non
fuit clandestinè contractum, vt supra dictum est, Cō-
12 cilium † non annullat matrimonia clandestina; vt
fuit resolutum *in vna Sauonen. Matrimonij 21. Aprilis*
1570. coram D. Groperio, & in vna Illerden. Matrimonij
vltima Maij 1572. coram R. P. D. Blanchetto.
Non obstat, quòd cùm per Chirographum esset
contractum matrimonium per verba de præsenti, nō
seruata forma Concilij, contrahentes fuerunt effecti
13 inhabiles ad contrahendum de nouo. Quia † ea-
dem congregatio censuit, quod verba illa Decreti,
Ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, non intel-
liguntur, quod qui non contraxerunt iuxta formam
Decreti simpliciter inhabiles fiant ad cōtrahendum
de nouo; sed ad contrahendum sic, id est, in eum mo-
dum sine Parocho, & testibus.

MACERATEN. DOTIS.

Veneris 10. Iunij 1594.

ARGVMENTVM.

De dote constituenda sorori à fratre, iuxta Statutum
Maceratense.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Maceratense non comprehendit obligationem*
necessariam pro dote,
2 *Exceptio turbida, & requirens altiorem indaginem, non*
potest retardare executionem obligationis Cameralis.

DECISIO LXXVI.

Domini resoluerunt esse locum executioni Apo-
chæ. Moti fuerunt: quia isti Minores teneban
1 tur dotare sorores; & istud Statutum † non compræ-
hendit obligationem necessariam pro dote, Capu-
taqu. *decis. 199. par. 3.* Put. *decis. 105. lib. 1.* Et licet pro
parte Minorum replicetur, quòd hoc non procedit,
quando dos est excessiua: Tamen de hoc non con-
stat, & datur fundus in contrarium, quòd dos non sit
excessiua: quia aliæ sorores habuerunt eandem quā-
titatem, & procurator constitutus à tutrice articula-
uit, & probauit per testes, quòd dos non erat exces-
2 siua, Vnde cùm ista † exceptio sit turbida, & requi-
rat altiorem indaginem, non potest interim retar-
dari executio obligationis in forma Cameræ; vt fuit
resolutum *in causa Romana rescissionis transactionis,* &
in causa Romana executionis obligationis Cameralis 29.
Martij, & 2. Aprilis de anno prędicto coram Reuer. P. D.
Orano.

ROMANA HÆREDITATIS DELLA PORTA.

Veneris 17. Iunij 1594.

ARGVMENTVM.

De dispositione legis; *Si quis à liberis, § item receptum, ff.*
de lib. agnosc. quod hæres filij teneatur præstare
alimenta matri.

SVMMARIVM.

1 *Hæres filij tenetur pręstare alimenta eius matri, in sum-*
mam egestatem redactæ.
2 *Alimenta iustè denegantur ex illis causis, ob quas est lo-*
cus exhæredationi. Intellige vt num. 4. & 5.
3 *Querelæ quando sunt leues, vel sunt datæ contra volunta-*
tem querelantis, non præbent causam exhæredationi.
6 *Filij facilius priuantur alimentis, quàm parentes.*

DE-

DECISIO LXXVII.

DOmini resoluerunt, D.Camillæ matri Francisci debeti alimenta à Venerabili Societate Santissimæ Trinitatis, ab eo hærede instituta; Et ad eorum computum nunc ei danda esse scuta centum.

Ratio potissima decisionis fuit: quia ipsa in sum-
1 ma egestate est redacta; ideò † succedit dispositio
legis, *si quis à liberis*, §. *item rescriptum*, *ff. de liber. agnosc.* quod hæres filij tenetur ei prestare alimenta.

Nec placuit Dominis fundamentum, quòd D.Camilla fuit iustis ex causis exhæredata à Francisco,
2 propter quærelas, quas contra eum dedit; & quod †
alimenta iustè denegatur ex illis causis, propter quas est locus exhæredationi, glos. *in dict. leg. si quis à liberis*, §. *idem iudex*, *in versic. detulerat*, *cum alijs allegatis.* Quia hoc fundamentum, an exhæredatio sit valida, respicit negocium principale; & apud dominos ha-
3 buit difficultatem, cùm † quærelæ sint leues: Et Fran
ciscus declarauerit quod fuerunt datę contra voluntatem suæ Matris, Bartol. *in leg. 3. §. vltimo in fin. ff. de*
4 *adim. leg.* Ideò interim, † antequam cognoscatur, an
exhæreditatiò sit valida, sunt ei danda alimenta, Caputaq. *dec. 22. lib. 1.*

5 Pretęrea respondebant Domini, quòd istud † at-
gumentum ab exhæredatione ad denegationem alimentorum locum habet in Patre vel Matre, à quibus possunt filijs denegari alimenta, ex illis causis propter quas possunt eos exhæredare: & in his terminis loquuntur, glos. & Doctor. qui allegantur per informantes pro societate, sed non procedit in filijs; qui licet habeant iustam causam exhæredandi patrem vel matrem, non tamen possunt eis alimenta
6 denegare, cùm † filij facilius priuentur alimentis quā
parentes, & maiorem obligationem habeant eos alendi; vt benè deducit Antonius à Corduba *in dict. §. idem iudex, num. 6. & 7.*

PACEN. DECIMARVM.

Lunæ 20. Iunij 1594.

ARGVMENTVM.

Reijciuntur exceptiones nullitatis, & iniustitiæ contra sententiam, de qua in Decisione.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo soluendi Decimas Ecclesiæ, in qua percipiuntur Sacramenta, prefertur consuetudini soluendi in loco tonsionis: Quacunque consuetudine contraria non obstante, & num. 5.*

2 *Sententia, ex stilo Hispaniæ, potest ferri quandocunque post factam conclusionem in Causa, absque alia citatione ad sententiam: Et multò magis, si procurator Partis sit presens, & num. 3.*

4 *Quando in termino ad probandum est facta citatio ad videndum iurare testes; non requiritur alia citatio.*

DECISIO LXXVIII.

FVit resolutum, sententias esse iustas, & confirman
1 das. Iustitia visa est Dominis clara: quia † con-
suetudo soluendi decimas Ecclesiæ, in qua percipiuntur Sacramenta, prefertur consuetudini soluendi in loco tonsionis; vt fuit resolutum *in Causa Segobien. decimarū Lunæ, 10. Octob. 1583. corā Santiss. D. Nostro.*

Nec placuit Dominis nullitas ex defectu citatio-
2 nis ad sententiam. Quia ex † stilo Hispaniarum, sen-
tentiam potest ferri quandocunque post factam conclusionem in causa; vt fuit resolutum *in Causa Toletana Admissionis, 27. Iunij 1582. coram bo. me. D. Bubalo in causa Burgien. Residentiæ 30. Maij 1586. coram Illustrissimo Cardinali Plato, & in causa Astorien. Archidiaconatus coram R.P.D. Mantica.* Presertim, cùm postea
3 fuerit secuta citatio ad sententiam; Et † tempore
pronunciationis procuratores partium sint præsentes Alphonsus de Azeued. *in comm. ad 4. lib. noua recopil. lib. 4. tit. 17. sit delas sentencias, y nulidades dellas, numero 43.*

Et licet postea pro differenda expeditione Causæ fuerit oppositum, quòd non probatur consuetudo, cùm testes essent nulliter examinati, propter defectum citationis ad videndum iurate testes. Secundo, quòd probatur consuetudo contraria. Tertiò, quòd ad conclusionem in causa non fuerunt citati Domini de Touat. Quarto quòd debebant citati Episcopi Abulen. & Legionen.

Tamen domini his non obstantibus steterunt in decisis, & mandarunt quòd Causa expediatur. Nam ad primum de nullitate examinis testium responde-
4 bant Domini, quòd † cùm esset facta citatio ad vidē-
dum iurate testes in pręfixione termini ad probandum, non requirebatur alia citatio; vt fuit resolutum *in causa Toletana Decimarum de Sazzedon 16. Februarij 1590. coram R. P. D. Pegna.* Vltra quod etiam ista consuetudo iustificatur ex constitutione synodali, & ex sententijs latis contra alios eiusdem familiæ.

Ad secundum fuit dictum, quòd etiam si probatur
5 consuetudo contraria, non releuat: quia † pręfertur
consuetudo soluendi Ecclesiæ, in qua percipiuntur Sacramenta; vt fuit resolutum in dicta causa Segobien. Decimarum.

Ad tertiū fuit responsum quòd sufficit quod Domini de Touar. fuerint citati ad sententiam in continenti post factam conclusionem.

Ad quartum fuit dictum, non fuisse necessariam citationem Episcoporum Abulen. & Legionen. cùm Capitulum ab eis nihil peteret, & ipsi in sententijs non sint condemnati.

ROMANA SALVIANI INTERDICTI.

Mercurij 22. Iunij 1594.

ARGVMENTVM.

Confessio debitoris an probet debitum in præiudicium aliorum Creditorum.

SVMMARIVM.

1 *Confessio debitoris non probat creditum in pręiudicium aliorum Creditorum.*

2 *Confessio matris ad fauorem filij, non caret suspicione.*

DECISIO LXXIX.

DOmini resoluerunt, non constare de credito D. Hippoliti, nisi coadiuuetur probatio. Potissima
1 ratio decisionis fuit: quia † confessio debitoris non
probat debitum in præiudicium aliotum creditorū, Soccin. *cons. 78. num. 2. lib. 4.* Tiraq. *de retract. conuen. §. 1. glos. 7. n. 47.* Tanto magis, quia ista confessio non ca
2 ret suspicione, cum † sit facta à matre ad fauorē filij.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS DE TVDELA.

Lunæ 27. Iunij 1594.

ARGVMENTVM.

Confirmatio priuilegiorum, Dummodo sint rationabilia, &c. quando habeat vim nouæ concessionis.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio priuilegiorum, cum clausulis*, Dummodo sint rationabilia, & honesta, & quatenus sint in vsu, *non sustinetur in vim nouæ concessionis, nisi verificatis eisdem clausulis*,

2 *Dicto*, prędicta, *facit relationem ad expressa*.

3 *Papa difficilius concedit de nouo, quàm confirmet*.

4 *Clausula*, Dũmodo priuilegia sint rationabilia, &c. *sunt incompatibiles cum simplici noua concessione*.

DECISIO LXXX.

FVit resolutum, Bullam Iulij Secundi non sustineri in vim nouæ concessionis. Moti fuerunt Domini; quia à Regibus Nauarræ, tam suo, quàm Decani, & Capituli nominibus, Papę fuit expositum, quòd dictis Decano, & Capitulo fuerant concessa à Summis Pontificibus, Regibus, & Principibus, priuilegia, indulta, exemptiones, facultates, libertates, & iurisdictiones, quæ erant in vsu: Et Papa sine causæ cognitione confirmat in forma communi, *dummodo sint rationabilia, & honesta*; & *quatenus sint in vsu*; & pro potiori cautela de nouo concedit. Vnde cùm Papa præsupponat adesse ista priuilegia, & indulta, prout sibi fuit narratum; & illa confirmet, & concedat de nouo cùm duabus clausulis, *dummodo sint rationabilia, & honesta*; *& sint in vsu*; Bulla non potest substineri in vim nouæ concessionis, nisi adsint ista priuilegia, & indulta Papæ narrata, & sint rationabilia, & honesta, & in vsu Ægid. Bofs. *in tit. de principe numero* 358.

Addebant Domini, quod concessio de nouo fuit facta à Papa, non quia voluit concedere, etiam si non adessent priuilegia; sed quia aliqua ex istis priuilegijs fuerunt reuocata à Calixto Tertio, vt in dicta Bulla dicitur.

Nec placuit Dominis, quod illa clausula, *dummodo sint rationabilia, & honesta*, debet referri ad non expressa, Quia Papa refert ista priuilegia sibi expressa, & confirmat, & de nouo concedit exemptiones, iurisdictiones facultates, priuilegia, & indulta

2 prædicta; ideò debet referri ad expressa: quia † illud verbum, *prædicta*, facit relationem ad expressa, Aret. *cons*. 152. *in fin*.

Non obstat, quòd ista clausula non debet referri ad nouam concessionem, sed solum ad confirmationem, Quia si Papa noluit confirmare priuilegia ab eo non visa, si non sunt honesta, & rationabilia; & non sunt in vsu; multo minus voluit de nouo concede

3 re; quia † difficilius Papa de nouo concedit, quam confirmet, Bero. *cons*. 87. *num*. 31. *lib*. 3.

Non obstat Andr. de Isern. Ruin. Capic. & decisiones allegatæ. Quia in illis casibus adest simplex confirmatio, & concessio de nouo; ideo non applicantur, quia in casu isto concessio de nouo est limi-

4 tata per illas † clausulas, *dummodo priuilegia sint rationabilia, & honesta, & quatenus sint in vsu*: quæ clausulæ sunt incompatibiles cùm simplici noua concessione.

ROMANA VIRIDARII.

Veneris 1. Iunij 1594.

ARGVMENTVM.

De melioramentorum liquidatione, & compensatione.

SVMMARIVM.

1 *Compensatio fructuum cum melioramentis, potest solum peti attento primo statu ante facta melioramenta*.

2 *Relatio periti imperfecta, est nulla*.

DECISIO LXXXI.

DOmini, retentis decisionibus factis in hac Causa, quòd melioramenta probantur, & quod fuerunt necessaria; resoluerunt, sententiam liquidationis fuisse iustam, & confirmandam: Quia sumptus in eis facti fuerunt liquidati per duas relationes periti, quibus fuit decretum standum esse.

Nec placuit Dominis, quòd sententia fuerit nulla, ex eo capite, quòd æstimatio fuit facta, prout melioramenta pluris valebant, & non prout minus: quia sufficit quod sententia condemnet in eo, quod minus est.

Non obstat quòd D. Marius tenetur recompensare fructus, quos percepit ex isto viridario, cum melioramentis. Quia non probatur ista perceptio fru-

1 ctuum, deductis oneribus: præsertim, † attento primo statu ante facta melioramenta; iuxta quem statum potest solum peti compensatio fructuum cùm melioramentis, Afflict. *decis*. 87. *num*. 6. *in fin. & num*. 7. Put. *dec*. 276. *in fin. lib*. 3. & fuit sæpius resolutum.

2 Non obstat relatio periti D. Marij Virotij: Quia † est imperfecta, & nulla.

ROMANA DE NARDONIBVS.

Lunæ 10. Octobris 1594.

ARGVMENTVM.

Ius offerendi, ementi sub hasta non competit vti creditori, quando mandatum est nullum, & iniustum. Vide Decis. 70.

SVMMARIVM.

1 *Protestatio, neminem audiri, nisi docto de legitimo mandato, reddit nullum mandatum, nisi ante eius relaxationem producatur in actis mandatum procure*.

2 *Etiamsi dicta protestatio sit facta ab eo, qui non docet se esse procuratorem; Dummodo contra eum non sit oppositum, vt doceat de mandato*.

3 *Non valet illatio; Seius erat proximior Titio: ergo adiuit eius hæreditatem*.

DECISIO LXXXII.

DOmini resoluerunt, Angelo vti creditori, non competere ius offerendi. Quia mandatum A. C. canonizatorium crediti Antonij, in cuius ius Angelus successit, est nullum, & iniustum; ideo, cùm non probetur creditum Antonij, Angelus in eius locum subrogatus non potest offerre vti creditor.

Fun-

Fundamentum nullitatis fuit. Quia pro parte
1 Ioannis Nardonis fuit facta protestatio, † non audi-
ri comparentem, nisi docto de legitimo mandato, &
ante relaxationem mandati non fuit facta productio
mandati in actis: ideò mandatum A.C. est nullum,
Guidob. *dec.* 208. Aim. *consil.* 108. & fuit resolutum
coram me in causa Rom. Secretariatus 20. *Nouemb.* 1592.

Nec placuit Dominis, quod ista protestatio fuit
facta ab eo, qui non docuit se esse procuratorem Io-
2 annis Nardoni. Quia contra eum † non fuit opposi-
tum quod deberet docere de suo mandato: ideo suffi
cit quod hodie constet de eius mandato, ad effectum
vt acta ab eo facta substineantur, Aim. *cons.* 100. *num.*
38. *cum seqq.* Achill. *dec.* 6. *de procurat.* Vltra quod ces-
sat ista difficultas; quia Io: Blanchinus, vnus ex prin-
cipalibus, fecit eandem protestationem.

Iniustitia Dominis visa est clara: quia instrumentum cantat in persona Marinangelæ, cuius Antonius prætendit se esse hæredem mediante persona Lucretiæ; & non probauit quòd Lucretia esset hæres Marinangelæ; neq; quod ipse esset hæres Lucretiæ, prout probare debebat; quia fuerat protestatum, Ioannem non audiri, nisi seruatis seruandis, & verificatis verificandis, & docto se esse hæredem Lucretiæ assertæ hæredis Marinangelæ.

Neque obstant testes examinati pro legitimatio-
ne personæ Antonij. Quia vltra quod Domini dubi-
tabant de validitate examinis, & non constat quod
iste processus fuerit productus ante relaxationem
mandati, testes solum deponunt, Antonium esse pro-
ximiorem Lucretiæ: ideò non probant. Primò, quia
non dicunt quod Lucretia esset hæres Marinangelæ.
3 Secundò, quia non sequitur: † Antonius erat proxi-
mior Lucretiæ: ergo adiuit eius hæreditatem: & ad
istum effectum, vt Antonius vti hæres Lucretiæ, sit
creditor, est necessaria probatio aditionis: pręsertim
cùm Laurentius, vti proximior Lucretiæ, & hæres,
esset admissus ad hæreditatem.

BVRGEN. PAROCHIALIS DE LATAS.

Lunæ 17. *Octobris* 1594.

ARGVMENTVM.

Augmento ministrorum Ecclesiæ vt sit locus, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Quando augmentum Ministrorum Ecclesiæ petitur ab Vniuersitate, debet probari, quòd propter paucitatem ministrorum, & multitudinem incolarum, aliqui decesserint sine Sacramentis.*

DECISIO LXXXIII.

Fuit resolutum pro informante: Quia Vniuersitas
non probat quòd propter paucitatem ministro-
rum, & multitudinem Incolarum, aliqui decesserint
1 sine Sacramentis, prout necessarium † est, quando
petitur augmentum ab Vniuersitate; vt fuit resolu-
tum *in Causa Tirasonen. congrui seruitij coram* R. P. D.
Bipsio.

Tanto magis, quia ex testibus Prioris constat, in ista Ecclesia adesse vnum Capellanum; Et quod in quam plurimis anni temporibus fratres, & Religiosi Monasterij accedunt ad dictam Ecclesiam, & in ea prædicant, & audiunt confessiones; ita quod Ecclesia nullum patitur detrimentum.

Et ex hoc tollitur quod dicunt testes Vniuersitatis, de augmento personarum: Quia non ideo augendum est seruitium, nisi constet quod Capellanus non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, & cultui Diuino peragendo, iuxta decretum Concilij Tridentini *sess.* 21. *cap.* 4. vt fuit dictum *in causa Tirasonen. congrui seruitij* 5. *Maij de anno preterito coram* R. P. D. *Pamphilio*. Pręsertim, cùm adsint Fratres, qui possunt in omnibus adiuuare Rectorem.

PAMPILONEN. CONGRVÆ.

Veneris 21. *Octobris* 1594.

ARGVMENTVM.

Congrua semel assignata, an possit ampliùs augeri.

SVMMARIVM.

1 *Congrua debetur Vicario curam animarum exercenti.*

2 *Congrua semel assignata, non est amplius augenda; Nisi constet de eius insufficientia, & num.* 3.

4 *Congrua debet esse talis, quòd Vicarius sine penuria, & incommodo, cum ea viuere possit.*

5 *In Congruam non imputantur fructus separati à Vicaria, & fructus incerti.*

DECISIO LXXXIV.

Domini, cum præsupposito, quod Commenda-
tor percipiat decimas spectantes ad istam Pa-
rochialem, resoluerunt Vicario deberi Congruam,
& esse augendam vsque ad summam ducatorum 34.
1 taxatam in sententia Prioris, Nam quòd † debeatur
Congrua Vicario, qui exercet curam animarum est
extra controuersiam, *cap. exstirpandæ, cap. de Monachis,*
& *ibi* Abb. *de prębend.* Rebuff. *de congr. quæst.* 4. *nume-*
ro 20.

2 Nec placuit Dominis, quod cùm congrua † semel
fuerit assignata, non est amplius augenda; & impu-
tare sibi debet Vicarius qui illam ita tenuem accep-
tauit, Abb. *in cap. pręsentium, sub num.* 6. *de pignor.* Re-
buff. *de congr. quæst.* 12. *num.* 92. & fuit dictum *in causa*
Astoricen. Congruæ 23. *Martij* 1588. *coram* R. P. D. *Man-*
3 *tica*. Quia hoc non procedit, quando † constat de in-
sufficientia; quæ bene probatur ex testibus, qui di-
cunt salarium scutorũ 20. cum incertis, non sufficere
pro Congrua Vicarij; quia cum illo non potest viue-
re: & quod alij Vicarij reliquerunt istam Vicariam,
quia non habebant congruam substentationem: &
quod iste Vicarius vult dimittere, nisi ei augeatur sa-
4 larium: & † Congrua debet esse talis, quod Vicarius
sine penuria, & commodè viuere possit, Glos. *in capit.*
vnico, §. *sanè in vers. absque penuria, de statu regul. in* 6.
Rebuff. *in dict. tract. quæst.* 8. *num.* 78. & fuit dictum *in*
causa Legionen. Congruæ 15. *Aprilis* 1575. *coram bon.*
mem. Episcopo Lauretano, & in causa Burgen. Congruæ de
Cudeyo 14. *Martij huius anni coram* R. P. D. *Mantica*.

Quantum ad quantitatem, moti fuerunt Domini: quia ista summa cum pede altaris ferè correspondet constitutioni Sanctæ Memoriæ Pij Quinti.

Nec placuit Dominis quod sit habenda ratio fructuum Capellaniarum, iurispatronatus; quia sunt incerti, cum sit in potestate Patronorum deputare alios.

alios. Reliqui verò fructus aliarum capellaniarum sunt separati à Vicaria, & sunt exigui; ideò non debent imputari in Congruam, vt fuit dictum *in dict. Burgen. Congrua.*

BVRGEN. PAROCHIALIS DE LATAS.

Mercurij 26. Octobris 1594.

Summarium seruit pro Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Probatio specifica præualet probationi genericæ.*
2 *Probatio de Ecclesijs non vnitis, non præiudicat Ecclesijs vnitis.*
3 *Testis iudicans non probat.*

DECISIO LXXXV.

Domini resoluerunt, Priorem non teneri ad deputandum filium naturalem loci de Latas in
1 Vicarium Parochialis Ecclesiæ: Quia probatio † Monasterij, quæ specifice loquitur de ista Ecclesia, præualet probationi Vniuersitatis, quæ loquitur de alijs Ecclesijs huius Archiepiscopatus, Bald. *consil.* 320.*num.* 2.*lib.* 2. Siluan.*consil.* 55.*num.* 12.

Tanto magis, quia testes Vniuersitatis nō loquun-
2 tur de deputatione Vicarij in Parochialibus † vnitis, sed tantum de deputatione facta in Ecclesijs non vnitis, Anchar.*cons.*255.*num.*3. & 4.

Addebant etiam Domini, quòd isti testes Vniuer-
3 sitatis † iudicant, quia dicunt æquum esse, quòd ista Ecclesia sit patrimonialis, sicut sunt aliæ: ideò non probant, Doctor. *in capit. cum causam, de testib.* Rimin. *cons.*455.*num.*13.

MEDIOLANEN. PECVNIARIA.

Sabbati 5. Nouembris 1594.

ARGVMENTVM.

De continuatione societatis probanda, ad effectum simulationis.

SVMMARIVM.

1 *Testes habentes contra eorum depositionem instrumenta, & confessionem Partis non probant.*
2 *Societas consistere nequit sine certa summa.*
3 *Bilancium conuentum fieri quolibet anno, durante societate; si omittatur fieri, præsumitur societatem non amplius continuari.*
4 *Simulatio non præsumitur, quando non constat de causa simulationis.*

DECISIO LXXXVI.

Dvbitaui, An constaret de continuatione societatis auri, & argenti filati à Kalendis Ianuarij 1583. citra, ita vt probetur simulatio instrumenti de anno 1586. Et licet Domini inclinarent, quòd non constaret de continuatione, & consequenter quòd instrumentum non esset simulatum: Tamen placuit, quòd videretur particulariter, An esset danda fides testibus Io: Baptistę deponentibus de continuatione societatis. Et dubio proposito 12. Decembris, vna tantum parte informante, Domini fuerunt concordes, eis non esse adhibendam fidem. Quia aliqui ex eis patiuntur plures exceptiones: alij vero non red-

dunt concludentes rationem, vt benè deducunt in-
1 formantes: Et † quia habent contra se depositiones testium Andreæ duo instrumenta, & confessionem partis; ideò non probant, Bart. *in leg.* 2. §. *creditum, num.* 7. & *ibi* Paul. & Dec. *num.* 8. *ff. si cert. pet.* Aim. *cons.*171 *num.* 10.

Postea sub die 27. Ianuarij 1593. proposui iterum Dubium principale, An constaret de continuatione societatis ad effectum simulationis. Et fuit per Dominos resolutum, non constare. Moti fuerunt ex pluribus. Et primo, quia tota summa, quæ fuerat posita in societate pro parte Andreæ, & lucri inde prouenientis, fuit de anno 1583. data ad cambium: ideò
2 societas non fuit continuata: quia † sine certa summa non potest consistere *leg. verum,* §. *societas ff. pro soc.* Bald. *cons.*448.*num.* 3.*lib.*4.

Secundo ex depositionibus testium, qui benè deponunt societatem non fuisse continuatam.

Tertio: quia in primo triennio fuit confectum bilancium, quod iuxta conuentionem præcedentem, debebat fieri quolibet anno, durante societate: &
3 tamen † post primum triennium non fuit amplius factum, Paul. *cons.*73.*in fin. lib.*2.

Quarto: quia non constat de causa simulationis,
4 sine qua † simulatio non præsumitur, Bart. *cons.*65. Rot. *dec.*1.*de donat. in nou.*

Non obstat duæ litterę cambij Andreæ, in quibus dicitur, *Per la valuta hauuta qui da Felice, & Gio: Battista.* Quia in his non fit mentio de societate, nec exprimitur tempus receptionis: ideò possunt intelligi de pecunijs receptis ante Kalendas Ianuarij 1583. Præsertim, cum vna ex eis sit scripta die 8. eiusdem mensis, alia verò de mense Martij.

Non obstat instrumentum 8. Iunij 1584. Quia Domini illud intelligebant de pecunijs, quas Andreas posuit in societate in principio anni 1580.

Non obstat, quod Andreas recepit post annum 1584. plures quantitates pecuniarum. Quia ex hoc non sequitur, quod acceperit vti socius; cùm potuerit accipere ad rationem cambiorum.

Non obstat, quod exercitium auri, & argenti filatii in secundo triennio fuerit tractatum sub nomine Felicis, Io: Baptistæ, & Simonis. Quia nomen Simonis arguit fuisse contractam aliam societatem: & licet fuerit etiam appositum nomen Felicis, tamen non probatur scientia Andreæ.

ASCVLANA HÆREDITATIS.

Lunæ 14. Nouemb. & Veneris 16. Decembris 1594.

ARGVMENTVM.

Institutio hæredis, quoad vidualem vitam seruauerit; quo casu censeatur resoluta ab initio.

SVMMARIVM.

1 *Hæres limitatè instituta, donec vitam vidualem seruauerit, per transitum ad secundas nuptias, hæreditate priuatur.*
2 *Hæres taliter instituta, si non præstet cautionem Mutianam; eius institutio resoluta censetur vsque ab initio.*
3 *Ademptum sub conditione, sub contraria conditione censetur datum.*

DE-

DECIISO LXXXVII.

FVit resolutum, sententias esse confirmandas. Fun
damentum principale, in quo omnes Domini si-
ne difficultate fuerunt concordes fuit, quòd Constan
1 tia fuit hæres instituta limitatè, donec † vitam vidua
lem seruauerit: Vnde cum transiuerit ad secundas nu
ptias, & non possit succedere ab intestato, propter
Statutum, quod eam excludit, ista portio debetur.
Ioanni Pacifico, vt de Legato relicto temporaliter,
tradit Bart. *in leg. Titia, §. Titia cum nuberet, num. 2. ff. de
Leg. 2.* & Bart. *ibidem in fin.* Soccin. *cons.* 102. *num.* 20.
lib. 3. Rebuff. Alex. *cons.* 22 *num.* 3. & fuit resolutum
in Causa Senogalien. Legati 24. *Februarij* 1588. *coram
R. P. D. Mantica.*

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quòd
cùm Constantia fuerit hæres instituta sùb conditio-
2 ne viduitatis, † & non præstiterit cautionem Mutia-
nam, ad quam tenebatur, eius institutio resoluta fuit
vsque ab initio, Ruin. *cons.* 170. *num.* 7. & 11. *lib.* 3. &
fuit resolutum *in Causa Fauentina de Caldaronibus* 21.
Ianuarij 1584. *coram R. P. D. Blanchetto*. Ideò viuente
Candido fuit purificata substitutio facta Constan-
tio de persona ipsius Candidi, & consequenter eo
mortuo sine filijs, fuit factus locus substitutioni ad
fauorem Io. Pacifici.

Nec placuit Dominis, quòd Constantia non fuit
hæres instituta sub conditione, si non nupserit; sed
donec vitam vidualem seruauerit, & ad secunda vo-
ta non transiuerit: ideò potuit adire hæreditatem, &
non desinit esse hæres post transitum ad secundas nu
ptias; sed per fideicommissum tenetur restituere hæ-
reditatem Candido substituto. Quoniam, ipsa ad se-
cunda vota transeunte, testator ei substituit, & succe-
dere voluit Candidum. Vnde cum priuetur hæredi-
tate, si ad secundas nuptias transiuerit, sub contra-
tia conditione censetur hæres instituta: quia adenip-
3 tum † sub conditione, sub contraria conditione cen-
setur datum *leg. aliquando, ff. de cond. & demonstr.* & in
his terminis fuit resolutum *in causa Rauennaten. hære-
ditatis* 24. *Nouembris* 1582. *coram bon. me. D. de Rubeis*.

ROMANA VINEAE.

Mercurij 16. Nouembris 1594.

ARGVMENTVM.

Agitur de contractu locationis, cum pacto de mutuando.

SVMMARIVM.

1 *Pactum de mutuando, appositum in locatione, non reddit eam illicitam, quando pensio est iusta.*

2 *Multò magis, quando fructus sunt incerti, neque concurrit aliud requisitum, ad probandum contractum vsurarium.*

DECISIO LXXXVIII.

DOmini resoluerunt, contractum locationis esse
1 validum: Quia pensio est iusta: & pactum † de
mutuãdo appositum in contractu locationis non red
dit eum illicitum quando pensio est iusta, Abb. *cons.*
2 15 *lib.* 1. Præsertim cùm fructus † vineæ sint incerti, &
non concurrat aliud requisitum ad probandum con-
tractum vsurarium, Aim. *cons.* 145 *num.* 10.

REGIEN. IVRISPATRONATVS.

Mercurij 16. Nouembris 1594.

ARGVMENTVM.

Liber antiquus, an ad effectum probandi, egeat recognitione manus.

SVMMARIVM.

1 *Liber antiquus non eget recognitione manus, etiamsi non probetur scriptus à publica persona.*

2 *Scriptura pro validitate actus, præsumitur collationata ea die, in quam cadebat citatio ad videndum extrahi, & collationari.*

DECISIO LXXXIX.

DOmini resoluerunt, fidem desumptam ex Libro baptismali, & matriculam, esse in forma probanti.

Quantum ad fidem, moti fuerunt: quia fuit extracta cum solemnitatibus requisitis, & testes deponunt quòd isti libro fides adhibetur in iudicio.

Non obstat, quòd ille liber non probatur scriptus
à publica persona, nec est recognita manus scriben-
1 tium. Quia, † cùm liber sit antiquus, non eget reco-
gnitione Put. *decis.* 359. *num.* 6. *lib.* 2. Præsertim, cum
sit conseruatus in Archiuio, & ei fuerit adhibita
fides.

Quantum ad matriculam, licet non sit recognita manus scribentium, & non probetur eam fuisse custoditam in Archiuio publico, neque habeat subscriptionem, Domini pariter censuerunt esse in forma probanti. Quia testes deponunt ei adhiberi fidem, & quòd massarij collegij notariorum illa vtuntur pro faciendis Legalitatibus; & in ea describuntur illi qui creantur notarij.

Tanto magis: quia ista matricula seruit solum pro adminiculo fidei baptismali, quòd Antonius maria sit filius Gaspari: Et in hoc concurrunt etiam plures enunciatiuæ diuersorum instrumentorum, & depositiones duorum testium.

Non obstat quòd non fuit facta collatio cum ori-
ginalibus, citata parte. Quia fuit facta citatio ad vi-
dendum extrahi, & collationari pro die 2. Maij; &
postea fuerunt collationata. Et licet non constet,
quòd fuerint collationata 2. Maij in qua cadebat ci-
2 tatio; tamen † pro validitate actus præsumitur quòd
ea die fuerint collationata, Felin. *in cap. Pastoralis nu.
5. de rescript.* Cresc. *decis.* 138. Præsertim cum ea die
fuerit facta instantia, quòd iura collationarentur, &
non appareat dies intermedia, vt etiam bene dedu-
cunt informantes.

BVRGEN. PAROCHIALIS DE LATAS.

Sabbati 26. Nouembris 1594.

ARGVMENTVM.

In quo casu percipientes Decimas teneantur ad quartam pro fabrica.

SVMMARIVM.

1 *Percipientes Decimas tenentur ad quartam pro fabrica, quando fabrica non habet redditus distinctos; nec adest consuetudo, quòd onus fabricæ ad alium spectet.*

2 Te-

2 *Testes deponentes ad fauorem Ecclesiæ, sunt in dubio pręferendi deponentibus contra Ecclesiam.*

DECISIO XC.

CIrcumscripta nullitate, fuit resolutum contra in-
1 formantem, sententias esse iustas. Quia † quan-
do fabrica non habet redditus distinctos, nec adest
consuetudo, quòd onus fabricæ ad alium spectet, Mo-
nachi, qui percipiunt decimas, tenentur ad quartam
pro fabrica, Abb. *in cap. 1. num. 3. de Eccles. ædific.* Prę-
posit. *in cap. quatuor, num. 4. & in cap. cognouimus, num.*
212. quæst. 2. & fuit resolutum *in causa Burgen. de Cu-*
dejo 3. Iuny 1594. coram R. P. D. Mantica.

Non obstat, quòd Testes Monachorum probant
quòd Ecclesia non indiget reparatione. Quia testes
Vniuersitatis probant contrarium, & videbatur Do-
minis quòd melius probent; præsertim concurrente
iudicio Ordinarij, cui in hoc multum defertur, & in
2 dubio † etiam sunt præferendi isti testes, qui depo-
nunt ad fauorem Ecclesiæ, Ias. *in leg. inter pares num.*
2. & 3. ff. de re iudic. Dec. *cons. 109. num. 4.* Vltra quod,
secundùm aliquos ex Dominis, etiam cessante indi-
gentia, debetur quarta fabricæ, & solum habetur ra-
tio indigentiæ, quando quarta non sufficit, & dubi-
tatur, ad quem spectet onus in subsidium,

BRIXIEN. PENSIONIS,

Lunæ 28. Nouembris 1594.

ARGVMENTVM,

Translatarius debet iustificare gratiam transferentis contra successorem in Beneficio, qui non consensit reseruationi pensionis,

SVMMARIVM.

1 *Actor debet in petitorio plenè probare omnia concernentia fundamentum suæ intentionis.*
2 *Titularis, quando agitur petitorio, fundatam habet suam intentionem, ex eo solum, quòd negat se debere,*
3 *Translatarius quando teneatur iustificare gratiam transferentis: Ad declarationem doctrinæ Lapi, & num. 4.*

DECISIO XCI.

FVi resolutum, D. Federicum translatarium debe-
re iustificare gratiam transferentis: Quia agit pe-
titorio contra D. Simonem successorem in beneficio,
qui non consensit reseruationi pensionis, nec eam vn-
1 quam soluit, & † in petitorio actor debet plenè pro-
bare omnia quæ concernunt fundamentum suæ in-
tentionis, *cap. vlt. §. sanè,* & ibi Abb. *num. 2. de iur. iuran.*
& in his terminis fuit resolutum *in causa Paduana Pen-*
sionis de anno 1587. & in causa Vercellen. Pensionis 26.
Iunij 1592. coram R. P. D. Mantica, &c.

Non obstat, quòd ei, qui dicit pensionem esse ex-
tinctam, incumbit onus probandi. Quia Simeon non
allegat extinctionem pensionis, sed nullitatem, &
hoc ei sufficit, nisi translatarius actor, qui nititur iu-
2 re transferentis, ostendat eum habuisse ius: quia †
titularis ex eo solum, quòd negat se debere, funda-
tam habet suam intentionem, quando agitur petito-
rio; vt fuit dictum *in dict. causa Vercellen.*

Non obstat, quòd Federicus non teneatur iustifi-
care gratiam transferentis, propter allegationem
3 Lapi. Quia allegatio Lapi, † non habet locum in pę-
sionario, qui non possedit vt titularis, Put. *decis. 36.*
4 *lib. 1.* Nec † quando titularis non decessit in possessio-
ne, Caputaq. *dec. 26. par. 1.*

Non obstat Decisio *in causa Bononien. pensionis coram me.* Quia hic non concurrit longissima quasi possessio transferentis: ideò non applicantur.

ROMANA FRVCTVVM.

Veneris 2. Decembris 1594.

ARGVMENTVM.

De mora in vendente cum pacto redimendi.

SVMMARIVM.

1 *Vendens cum pacto redimendi, quando constituatur, vel non, in mora, & num. 2.*
3 *Per solutionem non factam in tempore constituto, quis dicitur constitutus in mora. Intellige, vt num. 4.*
5 *Exceptio de iure tertij, quando est exclusiua iuris venditoris, potest opponi ab emptore.*

DECISIO XCII.

DOmini concluserunt, prius fuisse in mora vendi-
torem: Principale fundamentum decisionis fuit
quòd illa Casalia fuerant prius vendita Dom. Liuio
Maffeo, cum pacto redimendi, pręcedenti interpella-
tione per quatuor menses antea; & solutio, quam
debebat facere Horatius Ruspolus emptor Kalendis
Septembris, debebat seruire pro illa redemptione,
quam ipse venditor se obligauit facere in continenti
cum isto pretio, & Casalia consignare Oratio: redem-
ptio autem, & consignatio non potuit fieri à vendi-
tore Kalendis Septembris, quia non intimauerat
Maffeis, quòd volebat redimere iuxta formam in-
strumenti, prout postea intimauit die 12. eiusdem
1 mensis Ideò Horatius † propter solutionem non
factam Kalendis Septembris, non fuit constitutus in
mora: quia ex isto pretio Casalia debebant redimi
in continenti à Maffeis, & consignari; & venditor, si
Horatius soluisset, non potest redimere à Maffeis pro-
pter intimationem non factam, neque ei consignare,
Aim. *cons. 83. num. 5.*

2 Tanto magis, quia † hoc impedimentum proue-
nit ex facto, & culpa ipsius venditoris: quia ex quo
distulit facere interpellationem, quæ debebat prece-
dere, & remouere impedimentum, fuit causa non
adimplementi, & quòd Casalia non potuerint redi-
mi, & consignari: ideò ipse prius fuit in mora, Bald.
in leg. 1. num. 23. Cod. de vsur. & fruct. leg. cum alijs alle-
gatis.

3 Non obstat, quod † per solutionem non factam in
tempore præstituto Horatius fuit constitutus in mo-
ra *leg. magnam, Cod. de contrah. & comit. stipul.*

4 Quia idem † tempus est etiam præstitutum ipsi
venditori, qui in continenti facta solutione debebat
redimere, & consignare: ideò cum fuerit negligens
in interpellando Maffeos, & curando quòd Casalia
Kalendis Septembris possent redimi, & consignari,
lapsus temporis non constituit Horatium in mora,
Ruin. *cons. 155. num. 14. lib. 5.*

Non obstat quod Horatius non potest excusari à mora: quia poterant Maffei etiam sine interpellatione, si Horatius soluisset, consignare Casalia. Quia constat ex declaratione facta à procuratore vendi-

toris, quòd Maffei noluerunt retrouēdere antequam essent elapsi quatuor menses. Et hoc etiam declarauit effectus subsequutus: quia non solum fuit facta intimatio, quæ non erat necessaria, si Maffei sponte voluissent retrouendere ante elapsos quatuor menses; sed etiam post quatuor menses fuit necessaria noua citatio.

Non obstat fides: quia in ea non dicitur, quòd Maffei vellent restituere sine intimatione, antequam essent elapsi quatuor menses.

Non obstat quòd ista est exceptio de iure tertij. Quia vltra responsiones, quæ dantur pro informantes pro Horatio, quæ placuerunt Dominis, fuit di-
5 ctum, quod † cum ista exceptio sit exclusiua iuris venditoris, & constet Maffeos noluisse retrouendere, potest opponi ab Horatio emptore, Put. *dec. 3. de except.* Caputaq. *dec.* 154. probatur tertia Ant. Aug. *in epit. tit. de except.* §. 3. Natta *cons.* 253. *num.* 11.

MEDIOLANEN. BONORVM.

Lunæ 5. Decembris 1594.

ARGVMENTVM.

Eugeniana, & remedium Legis, Diffamari, cui competant. Vide Decis. 65.

SVMMARIVM.

1 *Eugeniana habet locum solùm ad fauorem Curialis Rei, & non Actoris.*
2 *Remedium Legis*, Diffamari, *non competit non possidenti.*
3 *Statutum Mediolani*, De continuanda possessione defuncti &c. *non procedit in possessione, quæ extinguitur cum persona, & non est transitoria ad hæredes.*
4 *Neque habet locum in bonis, quæ à defuncto, naturaliter tantùm possidebantur.*
5 *Declaratur Plotus in leg. si quando* num. 14. & 32.

DECISIO XCIII.

1 DOmini steterunt in decisis, quod non sit locus Eugenianæ. Quia Eugeniana solum † habet locum ad fauorem Curialis Rei, & non Acto-
2 ris; & in ista causa D. Io. Baptista est actor: quia † remedium legis *diffamari*, ex quo vult effici reus, ei non competit, nisi possideat, Boer. *decis.* 255. *num.* 10.
3 Et hic de possessione non constat, cum † Statutum Mediolani, *de continuanda possessione defuncti in hærede*, quo ipse nititur, non procedat in possessione, quæ extinguitur cum persona, & non est transitoria ad hæredes, Alex. *cons.* 153. *num.* 4. *lib.* 2. cum alijs allegatis. Et in hoc Domini non inuenerunt aliquem Doctorem contradicentem.
4 Prout etiam, Statutum † non habet locum in bonis quæ à defuncto tantum naturaliter possidebantur; quicquid in Statuto Ferrariensi dicat Menoch. *in cons.* 139. in terminis cuius Statuti fuit resolutum contrarium *in causa Imolen. bonorum* 10. *Aprilis* 1592. *coram R. P. D. Pamphilio.*

Non obstat Plotus *in leg. si quando num.* 14. & 32.
5 Quia hoc solum dicit, quod † istud Statutum procedit etiam contra tertium possessorem, quod Domini intelligebāt, præsuppositis terminis habilibus, quod defunctus possideret etiam ciuiliter, & quod possessio esset transitoria ad hæredes.

MEDIOLANEN. BONORVM.

Veneris 16. Decembris 1594.

ARGVMENTVM.

Agitur de successione spurij in emphyteusi Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Succedi non potest ab intestato ei, qui decessit testatus.*
2 *Spurius non habet agnatos, neque cognatos.*

DECISIO XCIV.

FVit resolutum pro informante, Rodomontem non posse succedere in istis bonis. Quia aut vult succedere ex inuestitura Pompeij; & Domini dubitabant, quod ei obstarent Constitutiones Cardinalis Borromei, quæ habent decretum irritans. Aut vult succedere ex testamento Sacramori, vel ab intestato, vti ei proximior; & non potest: quia in testamento ipse non est nominatus. Ab intestato autem non
1 potest succedere: quia † Sacramorus decessit condito testamento, *leg. quamdiu ff. de acquir. hæred.* Et quia in dubio præsupponuntur ista bona emphiteotica,
2 Ecclesiastica, & Sacramorus erat spurius; ideo † non habet agnatos, neque cognatos, neque legitimatio quantum ad ista bona ei suffragatur, vt fuit resolutum 24. *Ianuarij præteriti coram R. P. D. Orano.*

BVRGEN. PAROCHIALIS DE LATAS.

Lunæ 19. Decembris 1594.

ARGVMENTVM.

De probatione consuetudinis.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo est probanda in specie.*
2 *Testes non deponentes de actibus particularibus, non probant consuetudinem.*

DECISIO XCV.

FVit resolutum, nō probari consuetudinem, quòd onus fabricæ spectet ad incolas: Quia testes non
1 deponunt de consuetudine istius Ecclesiæ, & † consuetudo debet probari in specie, Oldrad. *cons.* 237.
2 *num.* 3. Aim. *cons.* 96. *num.* 4. Et quia, non † deponunt de actibus particularibus, Dec. *cons.* 483. *num.* 25.

RAVENNATEN. BONORVM.

Veneris 13. Ianuarij 1595.

ARGVMENTVM.

Substitutio facta duobus, si decesserint sine filijs, non dicitur purificata ad fauorem substituti, vno tantum ex grauatis decedente sine filijs, si adsint filij alterius grauati.

SVMMARIVM.

1 *Aegidiana non habet locum, quando sententia est notoriè iniusta.*
2 *Fideicommisso non potest esse locus, si non sint extinctæ lineæ grauatorum.*
3 *Conditio debet adimpleri in forma specifica.*
4 *Etiamsi nō adsit reciproca inter filios plurium grauatuum;* debet

debet tamen mors omnium expectari, vt dicatur purificata substitutio.

DECISIO XCVI.

Conclusetunt Domini, non esse locum Ægidianæ, nec alijs executioni. Moti fuerunt: quia
1 † sententia est notoriè iniusta. Nam iudex pronuntiauit Dominos de Baccinettis immittendos esse in possessionem istorum bonorum, ex fideicommisso relicto in testamento, & tame casus fideicommissi ad eorum fauorem non est purificatus: quia non sunt substituti nisi post mortem Baptistæ, & Ioannis, si decesserint fine filijs, ita & taliter, quòd eorum linea masculina esset extincta, sed filij Baptistæ adhuc su-
2 persunt: ideò † linea masculina non potest dici finita, & consequenter non potest esse locus fideicommisso, *leg. heres meus, leg. quibus dicbus, §. quidam Titio, ff. de cond. & demonstr.*

Non obstat quòd filij Baptistæ, & filij Ioannis nō sunt inuicem substituti, & ideò factus est locus substitutioni factæ ipsi Ioāni, qui decessit fine filijs. Quia etiam si hoc verum esset, debet expectati quòd linea
3 masculina vtriusque sit extincta: quia † conditio debet adimpleri in forma specifica, *leg. qui haredi, & leg. Meuius, ff. de cond. & demonst.* Et stant ista simul, quòd
4 † inter filios Baptistæ, & filios Ioannis, non sit facta reciproca substitutio, & tamē debeat mors omnium expectari, *leg. Codicillis, ff. de vsufr. leg.* & declarat Ripa, *in leg. heredes mei, §. cum ita num. 26. vers. nam quatenus ille tex. ff. ad trebell.*

ROMANA DE NARDONIBVS,

Lunæ 16. Ianuarij 1595.

ARGVMENTVM,

Agitur de nullitate, & iniustitia mandati. Vide Deci. 70. & 83.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum est nullum, quando non fuit legitimata persona comparentis.*
2 *Mandatum est iniustum, quando actor non se probat talem, qualem se facit.*
3 *Nec iustificatur per illius relaxationem.*

DECISIO XCVII.

Domini steterunt in decisis, quòd Angelo vti creditori non competit ius offerendi: Quia man-
1 datum A.C. est † nullum, cum non fuerit legitimata
2 persona comparentis prout fuit protestatum, & † iniustum, quia Antonius egit vti hæres Marinangelæ mediante persona Lucretiæ, & non probauit, quòd Lucretia esset hæres Marinangelæ; prout probare debebat, stante protestatione facta.

Nec placuit Dominis fundamentum, quòd non adest nullitas, quia decretum fuit obtentum ab ipso Antonio, & non à Procuratore. Quoniam Antonius solum compatuit in principio causæ, & obtinuit decerni processum per affixionem, sed postea alij termini relaxationis mandati subhastationis, & deliberationis, fuerunt seruati per assertum procuratorem, cuius persona non fuit legitimata: ideo nullitas est clara.

Minus etiam placuit excusatio ab iniustitia, quod Lucretia, vti hætes Matinangelæ, soluit Ioanni scuta decem illi promissa per Marinangelam: ideo fuit ab
3 eo approbata vti hæres. Quoniam † debebat de hoc constare ante relaxationem mandati, Modern. *de adipisc. poss. remed. 3. num. 164.* Præsertim stante protestatione, *Ias. in rubr. Cod. qui admitt. num. 4.*

ROMANA PECVNIARIA DE PALACIOS.

Veneris 27. Ianuarij 1595.

ARGVMENTVM.

Quando non constet de sufficienti paritione, quoad solutiones redditiuum.

SVMMARIVM.

1 *Sententia super redditibus soluendis, simpliciter condemnans, comprehendit redditus tam futuros, quam præteritos,*
2 *Sententia, quando eius verba non sunt clara, recipit interpretationem ab eo, quod de iure fieri debuit.*

DECISIO XCVIII.

Domini pro maiori parte resoluerunt, non constare de sufficienti paritione. Moti fuerunt: quia annui redditus præteriti non sunt soluti, & licet sententia non condemnet explicitè D. Varillam ad eos soluendos; tamen, cùm isti annui redditus non sint fructus, sed sors principalis, vt in decisionibus
1 hic allegatis per informantes, sententia † simpliciter condemnans comprehendit tam futuros, quàm præteritos, & fuit resolutum *in Causa Vicen. vnni 4. Martij 1583. coram R. P. D. Blanchetto.*

Tanto magis, quia isti annui redditus præteriti fuerunt petiti, & debebant solui. Et verba senten-
2 tiæ non † sunt ita clara, quod non possint recipere interpretationē ab eo, quod de iure fieri debuit, *Pau. cons. 270. num. 2. vol. 2.*

ROMANA CONCORDIÆ,

Veneris 17. Februarij 1595.

ARGVMENTVM.

Mandatum ex quibus probetur sufficiens ad concordandum.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum probatur ex literis mandantis, & ex pluribus alijs, de quibus num. 2. 3. & 4.*
5 *Fra e. plenè probat mandatum.*
6 *Quæ proueniunt ex natura contractus, non est necesse in mandato exprimantur,*
7 *Ratificatio promissa intelligitur, quatenus opus sit, & stante mandato, non est necessaria.*

DECISIO XCIX.

Dubitaui, an decretum A.C. esset iustum, & exequendum. Resolutio autem dubij pendebat ex eo, an Rodulfus, qui iniuit concordiam cum Vulcano, vti Procurator Petri Mariæ, haberet ab eo sufficiens mandatum: quia in alijs informantes erant concordes, quod stante obligatione D. Palutij, & cessione facta à Rodulfo, decretum esset iustum, & exequendum. Et Domini resoluerunt mandatum esse sufficiens, & consequenter decretum fuisse iustum, & exequendum, moti ex pluribus.

Pri-

Primo ex litteris: in quarum vna Petrus Maria ordinat Rodulfo, quòd faciat contractum cum Vulcano, prout dixit: in alia vero directa Vulcano scribit: *Restammo d'accordo, che mi voleuate rendere le robbe, & io vi voleuo consignare* due mila scudi, & paulo infra subdit: *Vi prego vi vogliate intendere con Rodolfo alquale la settimana passata diedi ordine facesse l'instromento cō voi*, & in alia scribit: *In quanto le cose fra voi, & me,*
1 *osseruarò quanto vi ha promesso Rodolfo*. Et ex istis litteris probatur mandatum, Clem. 1. *de procur.* Bald. *in ca. coram n. 7. de offic. deleg.* Caput. *dec.* 183. & 185. *par.* 2.
2 Secundo ex confessione † ipsius in instrumenti donationis facto post initam concordiam in quo reuocae litteras ab eo scriptas Rodulfo quibus ei mandauit, vt cederet, vel assignaret, seu donaret Vulcano eorum fratri scuta duomilia.
3 Tertio ex fide D. Coronati, qui † attestatur quòd ista concordia fuit ab eo tractata, & perfecta ad preces Petri Mariæ: Et quod Petrus Maria, habita notitia de ea, scripsit quòd erat contentus, & quòd fieret instrumentum.
4 Quarto ex depositione † Rodulfi, qui quantum ad summam scutorum duorum millium, in qua consistit substantia concordiæ, deponit de isto ordine, &
5 cum sit † frater vtriusque, & persona approbata, plenè probat, Bart. *in leg. qui testamento, §. quicunque in fin. ff. de testam.*

Non obstat quod litteræ scriptæ Rodulfo sunt relatiuæ, & obscuræ. Quia ex alijs scriptis Vulcano, ex confessione ipsius, ex depositione Rodulfi, & fide D. Coronati, constat quòd fuit datum mandatum ad concordandum pro ista summa.

Non obstat depositio Rodulfi, qui dicit, quòd nō fecit computa. Quia stante declaratione D. Coronati, & ordinatione ipsius Petri Mariæ, non erat opus alio calculo.

Non obstat, quòd Rodulfus excessit fines mandati, confitendo quòd Vulcanus ei reddiderat rationem, & quòd erat satisfactus de omnibus, & promittendo euictionem, & defensionem assignamētorum.
6 Quia † ista veniunt ex natura contractus concordiæ, licet in mandato non fuerint expressa Ang. *in leg. benè à Zenone col. 1. Cod. de quadr. præscript.* Curt. Iun. *cons.* 147. *num.* 16.
7 Non obstat promissio ratificationis. Quia † intelligitur, quatenus opus sit, & stante mandato non erat necessaria, Cresc. *decis.* 189.

ROMANA DE CROCCOLIS.

Lunæ 20. *Februarij* 1595.

ARGVMENTVM.

Mandatum quando non expiret per mortem constituentis.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum regulariter expirat per mortem constituentis, quando non adest hæres.*
2 *Declara hoc procedere solùm, quando hereditas est vacans; sed non, quando est iacens.*
3 *Hæreditas iacens repræsentat personam defuncti.*
4 *Hæreditas dicitur iacens, ante quàm, facta diligenti inquisitione, & citatis his, quorum interest, constet neminem velle esse heredem.*
5 *Procurator effectus dominus litis non potest reuocari; nisi ipse, & aduersarij, consentiant.*

DECISIO C.

Domini resoluerunt, constare de legitimatione
1 personæ. Quia licèt per obitum † constituentis mandatum expiret, quando non adest hæres, vt per Ang. *in disputatione Asisensis miles, cum alijs allega-*
2 *tis*: Tamen hoc procedit solum, quando † hæreditas
3 vacat, sed non quando est iacens: quia hæreditas † iacens repræsentat personam defuncti; & propter illam repræsentationem mandatum durat post mor-
4 tem: Et dicitur hæreditas, † iacens antequam constet facta diligēti inquisitione, & citatis his, quorum interest, neminem velle esse hæredem, Dec. *in cap. relatum num.* 12. & 13. *de offic. deleg.* & ita fuit resolutum *in Causa Romana Status* 6. *Martij* 1573. *coram D. Episcopo Oriolen.* & *in Causa Salamantina Pensionis* 29. *Nouembris* 1571. *coram R. P. D. Pegna*. Vnde cum non constet, neminem velle esse hæredem, hæreditas est iacens, & mandatum D. Tranquilli durat.

Non obstat quod D. Tranquillus fuit reuocatus.
5 Quia † procurator Dominus litis effectus non potest reuocari, *cap.* 2. *de procur. in* 6. nisi ipse, & aduersarij consentiant Paul. *in leg. quæ omnia num.* 2. *in fin. ff. de procur.* Samsen. *dec.* 28. *lib.* 1. & fuit sæpius resolutum. Et de isto consensu hic non constat: quia licet commissio cantet nomine istorum principalium; tamen potest esse quod Tranquillus eam impetrauerit. Et cessat omnis difficultas, quia Tranquillus eam præsentauit in iudicio, & citauit ad dicendum contra.

ROMANA FRVCTVVM, ET INTERESSE.

Veneris 3. *Martij* 1595.

ARGVMENTVM.

Fructus pendentes rei venditæ an spectent ad emptorem, vel venditorem. Dispositio legis *Curabit*, in quo casu non habeat locum.

SVMMARIVM.

1 *Fructus pendentes sunt emptoris, etiamsi venditio fiat illis maturis: nisi aliud sit conuentum.*
2 *Aequitas legis* Curabit, *non habet locum, quando emptor non est gauisus re, & precio.*
3 *Solutio quando fuit dilata ex voluntate partium, non potest peti aliquod interesse.*
4 *Mora venditoris, quando non fuit nociua emptori, non debet impedire interusurium.*
5 *Declara hoc procedere, quando res est tradita.*

DECISIO CI.

Dvbium fuit distinctum in duas difficultates. Prima fuit, an fructus spectent ad emptorem, vel venditorem. Secunda, præsupposito, quod fructus pertineant ad emptorem, an saltim venditori debeatur interesse, ex æquitate legis *Curabit*.

Quantum ad primam partem, res nullam habuit difficultatem apud Dominos, quod fructus spectent
1 ad emptorem: Quia fructus † pendentes sunt emptoris, etiam si venditio fiat illis maturis, nisi aliud sit conuentum, *leg. Iulianus, §. si fructibus, ff. de act. empt. leg. qui fundum, ff. de contrah. empt. leg. vlt. §. non solum, ff. quæ in fraud. credit.* Et hic non solum venditor sibi

non reseruat istos fructus, sed constat quod noluit re
seruate, quia sibi reseruat solum fructus anni 1592.
Quantum ad secundam partem, Domini resolue-
runt non esse locum æquitati legis *Curabit*; quia emp-
tor non potuit habere Casale propter culpam vendi-
toris, qui fuit in mora in interpellando Masseos, &
2 consignando Casale, vt fuit resolutum: ideo † cum
emptor non fuerit gauisus re, & pretio, cessat æqui-
tas legis, *Curabit*; vt ibi tradunt omnes.
Addebant etiam Domini, quòd ex voluntate par-
tium solutio fuit dilata in tempus consignationis
3 Casalis: ideo † antequam Casale potuerit consigna-
ri non potest peti aliquod interesse, Soccin. *cons.* 130.
num. 6. *in* 4. Cagnol. *in dict. leg. Curabit num.* 52. & *ibi*
Io: Lup. *num.* 144.
Non obstat quod mora venditoris non fuit noci-
4 ua emptori: ideo † nō debet impedire interusurium,
Bald. & Paul. *in leg.* 2. *Cod. de vsur. cum alijs allegatis.*
Quia Baldus, & alij qui eum sequuntur: loquuntur,
5 quando † res est tradita; vt declarat Io. Lup. *in dicta*
leg. Curabit, num. 142. ideo non applicatur: quia Ca-
sale non fuit traditum emptori.

CALAGVRITANA PRÆEMINENTIARVM DE VICTORIA.

Veneris 3. Martij 1595.

ARGVMENTVM.

Agitur de remissoriæ denegatione,

SVMMARIVM.

1 *Remissoria denegatur, quando adest vehemens suspicio calumniæ.*
2 *Item, quando petitur pro impedienda executione sententiarum.*

DECISIO CII.

1 REmissoria fuit denegata † ex vehemēti pręsum-
ptione calumniæ: Quia ista consuetudo nun-
quam fuit articulata in alijs instantijs, neque datur
2 aliquis fumus cum prohibitione, & quia † petitur
pro impedienda executione sententiarum, quàm
etiam habito recursu ad Sacram Congregationem
Rituum, Capitulum procurauit impedire.

COMEN. IVRISPATRONATVS.

Lunæ 6. Martij 1595.

ARGVMENTVM.

Scripturæ quomodo censeantur esse in forma pro
banti, ad effectum pręsentationis simoniacæ.

SVMMARIVM.

1 *Scripturæ vt probent simoniam in præiudicium tertij, debent esse subscriptæ à tribus testibus, & habere alia requisita legis,* Scripturas.
2 *Cedulæ priuatæ, vt dicantur benè recognitæ, non sufficit testes habere notam manum scribentis, sed requiritur, quòd fuerint pręsentes.*
3 *Comparatio scripturarum debet fieri à testibus peritis, & cum aliqua scriptura authentica.*
4 *Obseruantia æquiuoca non est sufficiens interpres.*
5 *Pręsentatio simoniaca vnius quando non reddat compręsentationes aliorum simoniacas, & num.* 7.
6 *Asserens se subscripsisse de mandato alicuius, non probat mandatum; sed debent de eo deponere testes, qui fuerunt pręsentes.*
8 *Verbum,* Elegit, *importat pręsentationem, quando electio fit vigore Iurispatronatus.*

DECIISO CIII.

DOmini resoluerunt, scripturas, in quibus conti-
nentur conuentiones, non esse in forma pro-
banti, nec releuare. Quantum ad primam partem
1 Dubij moti fuerunt: quia non habent † subscriptio-
nes trium testium, nec alia requisita, *legis Scripturas,*
Cod. qui pot. in pign. hab. quæ concurrere debent ad ef-
fectum probationis simoniæ in pręiudicium tertij, vt
fuit resolutum *in causa Aquen. Simoniæ* 10. *Decembris*
1593. *coram R.P.D. Blanchetto.*
Addebant etiam, quod non sunt bene recognitæ.
2 Quia in recognitione cędularum priuatarum † non
sufficit quòd testes dicant se habere notam manum;
sed requiritur quod fuerint præsentes, & viderint
scribere, vt fuit resolutum *in Causa Aueniouen. fidei-*
commissi 26. *Iunij* 1583. *coram bon. mem. D. de Rubeis,*
& *in Causa Barchinonen. Matrimonij* 31. *Ianuarij* 1575.
coram D. Episcopo Oriolen.
Non obstat quod primus testis recognoscit suam
apocam manu sua scriptā. Quia non recognoscit sub-
scriptiones, aliorum; nec dicit quod vidit eos subscri-
bere.
3 Non obstat comparatio. Quia † non probatur
quod testes sint periti, nec quod sit facta cum aliqua
scriptura authentica, Doct. *in leg. comparationes, Cod.*
de fid. instr. Modern. *de arbitr. c.* 114. *n.* 20. *cum sequent.*
4 Non obstat obseruantia. Quia est æquiuoca, †
cum potuerit nasci ex præsentatione licita: ideo non
potest seruire pro interpretatione: pręsertim cum
non sit omnino conformis cōuentionib. pręcedentib.
Quantum ad releuantiam moti fuerunt Domini:
Quia pręsentationes Floramundi, Io: Iacobi, & Ni-
colai, sunt validæ cùm Floramundus, & Io: Iacobus
non interuenerint in istis conuentionibus. Et licet
Nicolaus frater Io. Iacobi promittat de rato pro se,
& fratribus: tamen non probatur neque scientia,
neque ratificatio ipsorum. Nicolaus autem pręsen-
tauit quadragintaquinq; diebus ante initas istas con
5 uentiones: ideo † etiam si præsentatio Catherinæ
esset simoniaca, non reddit præsentationes istorum
simoniacas in præiudicium præsentati, qui nullam
scientiam habuit istarum conuentionum, Innocen. *in*
cap. in illa, de elect.
Et visum est DD. cessare omnem difficultatē; quia
Catharina quæ præsentauit, non subscripsit istas cō-
uentiones; & non probatur quod Aloysius, qui sub-
scripsit eius nomine, haberet ab ea mandatum. Et li-
cet ipse affirmet subscripsisse de mandato Catheri-
6 næ; tamen † ista assertio non probat mandatum, sed
debent de eo deponere testes, qui fuerunt præsen-
tes, Imol. *in cap.* 2. *num.* 8. & *ibi* Felin. *num.* 5. *de fid. in-*
strum. Couar. *pract. quæst. cap.* 22. *num.* 2.
Non obstat quod præsentatio simoniaca non sub-
stinetur ex ignorantia præsentati. Quia vltra quod
cessat simonia, cùm Catharina, quæ præsentauit, non
subscripserit istas conuentiones, neq; probetur man-
7 datum Aloysij, sufficit † quod pręsentationes alio-
rum sint validæ, ad effectum vt substineatur pręsen-

tatio

tatio in fauorem præsentati ignorantis.
Non obstat, quòd Nicolaus elegit, & non presen-
8 tauit. Quia istud † verbum importat præsentatio-
nem, quando fit electio vigore iurispatronatus, *capit. querelam, de elect.* Rot. *dec.* 27. *de concess. prebend.*

MELITEN. CANONICATVS.

Lunæ 6. Martij 1595.

ARGVMENTVM.

Simonia, & confidentia, quando excludatur. Episcopus potest reseruare pensionem ad fauorem alterius, ex iusta causa. Et quænam in tali casu dicatur causa iusta.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest ex iusta causa reseruare pensionem ad fauorē alterius, dispensando etiam cōtra Canones, & n. 4.*
2 *Simonia non inducitur ex reseruatione pensionis, facta ab Episcopo ex causa iusta.*
3 *Ecclesia ad sui regimen indiget viris litteratis.*
5 *Episcopus potest cum maiori parte Capituli statuere, vt quilibet Canonicus de suis prebendis conferat alicui pauperi Scholari studenti certam quantitatem singulis annis in subsidium.*
6 *Simonia debet probari concludenter.*
7 *In dubio sumenda est interpretatio, quæ simoniã excludat.*
8 *Pensio non reseruatur ante vacationem, neque post prouisionem; sed in actu collationis.*
9 *Beneficia debent conferri sine diminutione: Dummodo non adsit iusta causa reseruationis pensionis.*
10 *Confidentia excluditur, quando pensio reseruatur pro persona certa, & ex causa rationabili; ad intellectum Bullæ Pij V. De confidentia.*

DECISIO CIV.

FVit resolutum, non probari simoniam, neq; con-
fidentiam. Quantum ad simoniam, principale
1 fundamentum Dominorum fuit, quod Episcopus †
ex iusta causa potest reseruare pensionem ad fauo-
rem alterius, Anchar. *cons.* 279. Abb. *in cap. conquerente num. 5. de cleric. non resid.* Felin. *in cap. ad audientiam, num. 4. & 5. de rescript.* Dec. *in cap. ex parte num.* 15. *de offic. deleg.* & *cons.* 142. *num.* 3. Riminald. *cons.* 298. *nu.* 26. Gig. *de pens. quæst.* 6. *num.* 3. & 4. Ideo, cum Episcopus reseruauerit pensionem Blasio ex iusta causa,
2 ex † isto actu licito non potest induci simonia, Mohed. *dec.* 224. Put. *dec.* 17. *lib.* 2. Aim. *cons.* 145. *num.* 4. & in terminis tradunt Dec. *in cons.* 436. *num.* 12. Riminald. Sen. *cons.* 91. *num.* 21. & 24. & sentit Imol. *in d. cap. ad audientiam num.* 5. *de rescript.*
Causa autem, qua motus fuit Episcopus, visa est
Dominis iusta: quia Blasius erat Originarius Meli-
ten. & pauper, & in Vrbe sacris litteris operam da-
bar, quæ causa respicit vtilitatem non solum illius
3 particularis Ecclesiæ, sed etiam vniuersalis, quæ †
ad sui regimen viris litteratis maximè indiget, *capit. cum ex eo, de elect. in 6. cap. licet vobis, & cap. de multa, de prebend.* Et ista causa est adeo fauorabilis, vt Epi-
4 scopus possit † etiam contra canones dispensare, Ab-
bas *in dict. cap. licet vobis, num.* 1. *de preben.* Rom. *consil.* 325. *num.* 8. Et cùm maiori parte capituli, etiam con-
5 tradicente minore parte, potest statuere, vt † qui-
libet canonicus de suis præbendis cōferat alicui pau-
peri scholari studenti certam quantitatem singulis
annis in subsidium Abb. *in cap. vlt. num.* 2. *de his, quæ fiunt à maiori parte capit.* Bologn. *in auth. habita, num.* 387. *Cod. ne fil. pro patr.* Henric. Bott. *in tract. de Synod. Episc. in* 3. *par. conclus.* 17. *in* 9. *corrol. art.* 1. Rebuff. *de priuileg. scholar. priuileg.* 42.
Preterea dicebant Domini, quod etiam si causa
non iustificaretur, pensio esset nulla, sed non esset si-
moniaca collatio. Quia cum Episcopus exprimat
se reseruare pensionem Blasio ex iusta causa, & pos-
sit esse quod vere adsit, licet non probetur; cessat si-
6 monia: quia † simonia debet probari concludenter,
Alexan. de Neu. *cons.* 64. *num.* 2. Et in dubio quando
7 potest adesse vel non adesse, sumitur † interpretatio,
quæ eam excludit Put. *dec.* 381. *lib.* 1. Mohed. *dicta decis.* 224.
Nonobstant multa similia, quæ adducuntur per
infrascripta pro Ioanne, quod quando Episcopus
potest imponere onus beneficio, non potest impone-
re quando beneficium vacat, sed antea, vel postea.
Quia non possunt procedere in istis terminis, cùm
8 pensio † non reseruetur ante vacationem, neq; post
prouisionem: ideo (potest reseruare pensionem in
actu collationis) vt inquit Dec. *in dict. cap. ex parte num.* 15.
9 Nonobstat quod † beneficia debent conferri sine
diminutione. Quia, vt dicit Abb. *in dict. cap. conquerente, num.* 5. hoc est verum, quando pensio non reser-
uatur ex iusta causa: alias adimeretur in totum po-
testas Episcopi reseruandi pensiones ex iusta causa.
Quantum ad confidentiam, moti fuerunt Domi-
ni: quia Bulla Sanctæ mem. Pij V. loquitur de colla-
tione facta cùm conditione, quod prouisus contra in-
ris cōmunis ordinationem soluat pensionem alicui,
quem postea Episcopus nominauerit. Ideo non po-
10 test habere locum in isto casu, cùm pensio † sit reser-
uata pro certa persona, & ex rationabili causa, vt
fuit resolutum *in Causa Brixien. Confidentiæ 5. Iunij, coram R. P. D. meo Pena.*

ROMANA IVRISPATRONATVS.

Veneris 10. Martij 1595.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Prouisio dicitur effectuata, quando impetratur ab alio, vti vacans per obitum prouisi.*
2 *Adminicula ad probationem Iurispatronatus alicuius familiæ.*
3 *Præsentatus à patronis est preferendus prouiso à Cardinali Titulari quando constat de Iurepatronatus ex fundatione, & dotatione; & concurrunt obseruantia, & adminicula.*
4 *Consensus Ordinarij in presentatione ad Iuspatronatus, presumitur per lapsum multi temporis.*
5 *In Beneficialibus datur multiplicatio titulorum.*

DECISIO CV.

DOmini tenuerunt, constare de iure patronatus, ad effectum vt præsentatus à patronis sit instituendus, & non sit locus prouisioni Illustrissimi Cardinalis.

Moti fuerunt: quia Agnes de Rubeis in suo testamento de anno 1465. reliquit Capellæ Sanctissimæ Trinitatis ab ea constructæ pro substentatione vnius Capellani medietatẽ Casalis Bocconcelli; & pro prima vice nominauit in Capellanum Nicolaum Maccionum; & iussit quod in posterum electio fiat per Guardianos Venerabilis Hospitalis Sanctissimi Saluatoris, & per Guardianum Ecclesiæ Aracæli, & suos executores. Et probatur effectuatio istius Legati: quia Guardiani de anno 1477. locauerunt omnes fructus, & herbas istius Casalis, & promiserunt de rato pro Domino Nicolao Macciono Capellano, quem Agnes elegerat, & postea de anno 1528. Clemens Septimus, contulit istam Capellam Mario de Comitibus, cum narratiua, quòd est de iure patronatus, & quod Dominus Marius fuerat præsentatus à Patronis, & cùm conditione si patronorum expressus accedat consensus, & constat quod ista prouisio
1 habuit effectum † ex visitationibus, & quia fuit postea impetrata vti vacans per eius obitum, iuxta *quæst.* Oldrad. 229.

2 Concurrunt, etiã adminicula: Quia † in ista Capella sunt depicta insignia familiæ de Rubeis; quæ arguunt ius patronatus; vt sæpius fuit resolutum. Et in visitatione de anno 1583. enunciatur, quod est de
3 iure patronatus. Vnde † cùm constet de iure patronatus ex dotatione, & fundatione, & concurrant obseruantia, & adminicula; sequitur quod præsentatus à patronis est præferendus prouiso ab Illustrissimo Cardinali.

Non obstat, quod non interuenit consensus Ordi-
4 narij. Quia præsumitur † per spatium tanti temporis, Archid. *in cap. nemo de consecr. distinct.* 1. Rom. *sing.* 325. Dec. *cons.* 173. *num.* 5. Crot. *cons.* 42. *num.* 12. *lib.* 1. Et fuit resolutum *in Causa Pampilonen. Iurispatronatus* 16. *Martij* 1576. *coram S.D.N.* Accedente præsertim obseruantia subsequuta.

Non obstat quod Marius potuit possidere ex alio
5 titulo, cùm † in beneficialibus detur multiplicatio titulorum. Quia alius titulus non probatur, & stante dotatione, & effectuatione, & præsentatione de eo facta à patronis, est multum verisimile, quòd possederit ex isto titulo.

Non obstat quòd Hercules obtinuit istam Capellaniam, vti vacantem per eius obitum, à Cardinali Sermoneta Titulari. Quia patroni præsentarunt Fabium Capoccium, qui postea cessit iura sua Herculi; & vigore istius cessionis obtinuit à Papa subrogationem, & nouam prouisionem, cum derogatione iurispatronatus.

PAMPILONEN. CONGRVAE,

Veneris 7. Aprilis 1595.

ARGVMENTVM,

Dominium, ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Inuestituræ, concurrentibus adminiculis, plenè probant dominium.*
2 *Adminicula pro dominij probatione, & num.* 3.

DECISIO CVI.

Domini resoluerunt, constare de Dominio Ecclesiæ. Moti fuerunt ex inuestituris, quæ † concur-
1 rentibus adminiculis plenè probant dominium, Bal. *in leg. cum aliquis, num. 4. Cod. de iur. delib.* Soccin. *consil.* 89. *num.* 11. *lib.* 1. Dec. *consil.* 428. *num.* 4. & probant, ad omnem effectum, etiam caducitatis, vt sæpius fuit resolutum.

2 Adminicula hic plura concurrunt. Primo, quòd † inuestituræ sunt plures, & antiquissimæ, Soccin. *cons.* 187. *num.* 16. *lib.* 2. Secundo solutio affictus per multos annos, Bald. *in leg. inditia num. 2. & ibi* Ang. *num.* 2. *& 3. Cod. de rei vendic.* Dec. *cons.* 146 *num.* 14. Tertio plures enunciatiuæ diuersorum instrumẽtorum, quæ
3 † habent vim famæ, & probant Dominium, Bald. Salic. & alij *in dict. leg. cum aliquis, Cod. de iur. delib.* Soccin. *consil.* 266, *num.* 12. *lib.* 2.

Sed quia controuertitur identitas istorum bonorum, Domini dixerunt, quod de identitate, & alijs, particulariter videatur.

ROMANA DOMVS,

Lunæ 10. Aprilis 1595.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo, quando concedatur, Quasi possessio exigendi, quando non amittatur per non exactionem spacio decem annorum,

SVMMARIVM.

1 *Confessio Partis de quasi possessione exigendi, sufficit ad effectum mandati de manutenendo,*
2 *Pater pupillorum est legitimus administrator bonorum.*
3 *Clausula,* Sine præiudicio iurium ambarum partium, *impedit quasi possessionem ex exactione.*
4 *Quasi possessio non amittitur, animo exigendi non amisso.*

DECISIO CVII.

Domini resoluerunt, mandatum de manutenendo esse dandum D. Albano. Quia de eius quasi possessione exigendi ante litem motam constat ex confessione Ioannis, qui eum interpellauit ad facien
1 dam quietantiam iuxta solitum; & confessio † partis sufficit ad effectum mandari de manutenendo; vt fuit resolutum *in Causa Perusina rescissionis* 24. *Februarij* 1588. *coram R.P.D. Blanchetto.*

Non obstat quod ista interpellatio non fuit facta à legitima persona. Quia fuit facta à Patre pupillo-
2 rum, qui † est legitimus administrator bonorum, *leg. 1. Cod. de bon. mat.*

Non obstat quod solutio fuit facta vigore decreti habentis clausulam, sine præiudicio iurium amba-
3 rum partium; ideo † ex ista solutione non fuit acquisita quasi possessio Put. *dec.* 32. *lib.* 2. Quia vltra quod ista clausula est præseruatiua præiudicij deuolutionis, super qua lis vertebatur; & ideo non excludit quasi possessionem exigendi; constat de anteriori solutione ex confessione Ioannis, quæ sufficit.

Non obstat quod Albanus nõ exegit per spacium decem annorum: ideo amisit quasi possessionem. Quoniam Albanus distulit petere canones, non quia dubitaret, quòd non posset exigere, si petijsset: quia in hoc nulla erat difficultas, cùm Ioannes eum interpellas-

pellasset ad recipiendum, sed quia intentauerat litem super deuolutione, & poterat dubitare quod sibi præiudicium inferret per petitionem Canonum.
4 Ideo, cum † non amiserit animum exigendi non amisit quasi possessionem, *leg.3.leg.clam possidere, §.qui ad nundinas, ff.de acqu.possess.*

TOLETANA CAPELLÆ.

Veneris 14. Aprilis 1595.

ARGVMENTVM.

Clausula, *Parito*, in quo casu non obstet.

SVMMARIVM.

1 *Per patientiam verbalem sufficienter dicitur paritum, quando quis non tenetur aliquid præstare.*
2 *Clausula, Patito, præsupponit rem iudicatam. Et iuxta Signaturæ stilum, datur solùm, quando adsunt tres sententiæ conformes, & non vbi adest vnica sententia. Et num.3.*

DECISIO CVIII.

Domini dixerunt, clausulam, parito, non obstare, vt non possit procedi in causa. Nam respectu negotij principalis, sufficienter est paritum: quia cùm
1 Confraternitas † non teneatur aliquid præstare, sufficit patiencia verbalis, Put.*dec.*352.*lib.*1.Mohed.*dec.* 275. & fuit resolutum in *Causa Burgen. Iurisdictionis 29. Octob.*1586.*coram R.P.D. Decano*, & alios sæpius.
Quantum verò ad expensas, clausula non obstat:
2 quia præsupponit † rem iudicatam, quæ hic non adest; cùm super expensis adsit solum vnica sententia, à qua fuit appellatum; vt in his terminis fuit resolutum in *Causa Mediolan. Capellaniæ* 13.*&* 27. *Maij* 1591.
3 *coram R.P.D.Decano*, in qua etiam fuit dictum, † stilum Signaturæ esse, vt detur huiusmodi clausula, solùm quando adsunt tres conformes, & non vbi adest vnica sententia; etiam quod ob non interpositam, vel non prosecutam appellationem transiuerit in rem iudicatam.

TIBVRTINA CASTRIS ARSVLARVM.

Lunæ 24. Aprilis 1595.

ARGVMENTVM.

Fructus bonorum quomodo veniant taxandi.

SVMMARIVM.

1 *Redditus, quando non probatur præcisè de tempore venditionis debet taxari secundum eam quantitatem, quæ tribus proximis annis est collecta.*
2 *Nec habentur in consideratione locationes postea vel antea factæ, si non percutiant tempus venditionis, vel magis proximum.*
3 *In præstatione attenditur modus inductus à consuetudine, licèt sit contra Ius; quando à Lege non est præstituta certa mensura. Et attenditur consuetudo particularis illius loci, & num.4.*

DECISIO CIX.

Domini, consideratis locationibus, & habita ratione expensarum, censuerunt fructus Molendini esse taxandos ad rubra octuaginta. Ratio potissima decisionis fuit; quia non probatur præcisè, quantus fuerit redditus istius Molendini tempore venditionis de anno 1574. & in alijs annis redditus fuit varius: & stante ista varietate, dicebant Domini, esse attendendum redditum anni 1575. magis proximũ venditioni, de quo anno Molendinum fuit locatum
1 à D.Fabritio ad triennium pro rubris 80. Quia † quādo non probatur præcisè redditus de tempore venditionis, debet taxari secundum eam quantitatem, quæ tribus proximis annis est collecta. Pinell.*in leg.*2. *par.*3.*cap.*4.*num.*30. *Cod. de rescind. vend.*
Non obstat locationes precedentes pro rubri 100. & locatio postea facta à D. Fabritio de anno 1578.
2 pro rubri 90. Quia non percutiunt † tempus venditionis, nec magis proximum: ideo non fuerunt habitæ in consideratione.
Nec placuit Dominis, quod debeat fieri aliqua diminutio redditus: quia fuit maioris quantitatis, propter consuetudinem percipiendi Molituram, quæ postea à D.Fabio fuit sublata. Quoniam quando à lege non est præstituta certa mensura in præsta-
3 tione, † attenditur modus inductus à consuetudine, etiam si sit contra ius, Soccin. Iun.*cons.* 49.*num.*16.*lib.* 1. Siluan. *cons.* 60. *num.*13. Tanto magis, quia D. Fabritius post emptionem Castri per quindecim annos emolumenta secundum istam consuetudinem percepit: ideo non potest improbare consuetudinem, quam tempore venditionis, & postea per tantum tempus secutus est.
4 Non obstat quod ista consuetudo in alijs castris vicinis non fuit obseruata. Quia vltra quod etiam in multis fuit recepta, sufficit quod in isto Castro fuerit obseruata: quia in hoc attenditur consuetudo particularis, glos. *in cap. super eo in vers. in vinis*, & *ibi* Anton.de Butr. *numer.*2.& Abb.*in princip.de censib.*

PAPIEN. BONORVM.

Veneris 28. Aprilis 1595.

ARGVMENTVM.

De probatione Dominij Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Inuestitura, cum adminiculis, plenè probant dominium, ad omnem effectum, etiam caducitatis.*
2 *Adminicula probantia dominium.*
3 *Enunciatiuæ antiquissimæ plurium Instrumentorum, habent vim famæ, & probant dominium.*

DECISIO CX.

Domini resoluerunt, constare de Dominio Ecclesiæ. Moti fuerunt ex inuestituris, quæ † con-
1 currentibus adminiculis plenè probant dominium, Bald. *in leg.cum aliquis num.* 4. *Cod.de iur.delib.*Soccin. *cons.*89.*num.*11. *lib.* 1. Dec.*cons.* 428. *num.* 4. & probant ad omnem effectum, etiam caducitatis, vt sæpiùs fuit resolutum.
Adminicula hic pluta concurrunt primo, quod †
2 inuestituræ sunt plures, & antiquissimæ Soccin. *cons.* 187.*num.*16. *lib.* 2. Secundo solutio affictus per multos annos, Bald. *in leg.traditia num.*2. & *ibi* Ang.*num.*2. & 3.*de rei vendic.* Dec.*cons.* 146. *num.* 14. Tertio plures enunciatiuæ, antiquissimæ diuersorum instrumen-
3 torum, quæ † habent vim famæ, & probant dominium, Bald. Salic.& alij *in leg. cum aliquis, Cod. de iur.*

*iur.delib.*Soccin.*cons.*166.*num.*12.*lib.*2.

Sed quia controuertitur identitas istorum bonorum, Domini dixerunt, quod de identitate, & alijs, particulariter videatur.

MESSANEN. PRIORATVS.

Veneris 5. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

Agitur de facultate optandi.

SVMMARIVM.

1 *Decretum irritans in facultate optandi appositum, impedit alium posse optare.*

DECISIO CXI.

DOmini cum præsupposito, quod vacatio, & habilitates Illustrissimi Cardinalis, sint iustificatæ, & quod optauerit in tempore, resoluerunt esse
instituendum: Quia habet facultatem optandi cum
1 decreto irritanti, quod † impedit alium posse optare. Et de facultate Auditoris Cameræ, non potest dubitari, cùm adsit commissio specialis.

TOLETANA MATRIMONII.

Veneris 5. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

De articulis irreleuantibus, & calumniosis, ad effectum denegandi remissoriam.

SVMMARIVM.

1 *Ex vicinitate, & conuersatione non potest inferri notitia qualitatum, quæ solent teneri occultæ; vt est exem.grat. Morbus Gallicus.*

2 *Mutatio voluntatis deliberatæ multorum annorum, est valdè inuerisimilis.*

DECISIO CXII.

FVit conclusum, remissoriam non esse concedendã Gaspari. Quia articuli vel sunt irreleuantes, vel calumniosi. Nã primus articulus, quod Anna habuit cognitionem qualitatum Gasparis, quia erat suus vicinus, & cùm ea, & marito loquebatur, & conuersa-
1 batur, non releuat: quia † ex vicinitate, & conuersatione non potest inferri, quod habuerit notitiã morbi Gallici, & aliarum qualitatum, quæ solent teneri occultæ, Bald. *in leg. quoniam sororem, Cod. de iur. delib.* Gabr. *de præsumpt. concl.6 numer.* 16.

Tanto magis, quia Anna attestatur eum iuramento, quòd non habui notitiam ante contracta sponsalia, & est multum verisimile, quod si res fuisset nota, induxisset alios testes vltra medicum.

Alij articuli, quod Anna substinuit hanc litem, vt satisfaciat suis consanguineis; & quod ipsa dixit, quod quando ei intimabuntur executoriales, est parata obedire, visi sunt dominis calumniosi: Quia ipsa declarauit, quod cum vidit Gasparem, vidit punctum mortis, & quòd potius proijciet se in flumen, vel puteum, & sepeliet se, & suos filios, quàm ei nu-
2 bat: & est † valdè inuerisimile, quod mutauerit voluntatem tam deliberatam: præsertim cùm per quinquennium substinuerit, & etiam hodie substineat istam litem, Aim. *cons.*73. *numer.*11.

ROMANA DEVOLVTIONIS.

Mercurij 10. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

Translatio quando non sustineatur.

SVMMARIVM.

1 *Translatio non est valida, quando non datur compensatio æquiualens. Et datur exemplum.*

2 *Caducitati vt non sit locus, sufficit quod verba instrumenti non sit clara.*

3 *Deuolutio ex quibus excludatur.*

DECISIO CXIII.

DOmini diuiserunt dubium in duas difficultates. Prima fuit, An translatio sit valida. Secunda præsupposito quod non, an Petrus possit opponere de ista nullitate.

Quantum ad primam, Domini resoluerunt trans-
1 lationem non fuisse validam: Quia † non fuit data recompensa æquiualens, cùm ista medietas domus non sit subiecta deuolutioni, prout erat prima domus, & in hoc placuit decisio *in causa Romana Apothecæ 6. Februarij 1584. coram bon. mem. Vacequate.*

Quod autem ista medietas domus non sit subiecta deuolutioni, colligebant Domini primo ex verbis instrumenti, in quo solum constituitur census 16. du-
2 catorum ad fauorem Capellæ: & † ad effectum quod non possit esse locus caducitati, sufficit quod verba
3 non sint clara. Secundo, † ex quantitate pretij, quia iste census ducatorum 16. fuit venditus ducatis 160. & canon longè pluris valebat. Tertio, quia Aug. & Fratres Carmelitani, qui possidebant istam domum pro indiuiso, postea eam concesserunt in emphyteosim perpetuam pro annuo canone ducatorum 90.

Quantum ad secundam Domini pariter fuerunt cõcordes, quod Petrus possit dare de nullitate: Quia Bernardus rector egit contra Alberinos pro terminis decursis, & acceptauit deuolutionem domus. Et cùm Alberini allegarent fuisse liberatos, propter illã translationem; ipse eam impugnauit: nam produxit sententiam latam pro R.P.D. Ferratinum, in qua reuocatur sententia Vicarij, qui declarauerat istam medietatem domus esse sub proprietate, & dominio directo Capellæ; & Petrum teneri ad solutionem canonum. Ideò cùm Rector declarauerit suam voluntatem, Petrus potest opponere de ista nullitate.

PAPIEN. IVRISPATRONATVS.

Lunæ 22. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus quando dicatur Mixtum.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus transfertur in emptorem per emptionem factam loci, cum omnibus iuribus, & actionibus.*

2 *Ex inuestitura medietatis Iurispatronatus facta ab Ecclesiastico, & retentione alterius medietatis penes se, infertur Iuspatronatus esse mixtum.*

3 *Præsentatio in Iurepatronatus spectante ad duas pro medietate, facta intelligitur pro medietate.*

DE-

DECISIO CXIV.

DOmini steterunt in decisis. Quia per emptio-
nem factam à Monasterio de anno 1207. totius
Castri Velauterij cum omnibus iuribus, & actioni-
1 bus fuit † translatum ius patronatus, *capit. cum secu-*
lum, cap. ex litteris de iure patr.

Vnde cum postea de anno 1260. præcedente con-
fessione venditorum, quòd totum Castrum cum om-
nibus honoribus, & iurisdictionibus spectabat in
integrum ad Monasterium, Abbas eos inuestierat de
2 toto feudo, & † medietate aduocatiæ, seu iurispatro-
natus; sequitur quòd aliam medietatem retinuit pe-
nes se, & consequenter iuspatronatus est mixtum.

Quod etiam comprobabant Domini ex inuestitu-
ris subsequentibus, & ex obseruantia subsequuta.
Quia postea Monasterium præsentauit simul cum
Patronis laicis, & licèt non appareat, quod præsen-
3 tauerint pro medietate; tamen † cum simus in iure
patronatus spectante ad vtrumque pro medietate,
intelligitur facta pro medietate, iuxta not. per Alciat.
de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 24. num. 3. & fuit dictum *in*
Causa Alatren. Capellaniæ coram R. P. D. Pamphilio.

Non obstant sententiæ, Quia sunt iniustè, cum constet Monasterium habere medietatem iurispatronatus, & non probetur concludenter præscriptio.

Non obstant, quod verba sunt dubia, & in dubio debet fieri interpretatio contra Monasterium. Quia verba sunt clara, & non possunt recipere aliam interpretationem.

PAMPILONEN. DE VXVE.

Lunæ 29. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

Prior quando teneatur residere personaliter in Ecclesia.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia quando est parochialis, Prior tenetur in ea residere personaliter, & exercere curam animarum.*
2 *Consuetudo seruiendi per Vicarium in Ecclesijs, in quibus eligitur industria personæ, non est valida.*
3 *Commenda perpetua non excusat à residentia personali.*
4 *Monachus quando possit per Vicarium seruire Ecclesiæ parochiali.*
5 *Ecclesia, quando est annexa Prioratui; potest Prior in ea seruire per Vicarium. Secus si non sit annexa, & nu. 6.*

DECISIO CXV.

FVit resolutum, Priorem teneri ad residentiam per
sonalem in ista Ecclesia, & exercitium curæ ani-
1 marum. Moti fuerunt Domini: quia † Ecclesia est
parochialis, & cura animarum ad ipsum spectat: id-
eo tenetur facere residentiam personalem, & exer-
cere curam per se ipsum *cap. extirpanda, §. qui vero, de*
prabend. cap. relatum, de cleric. non resid. cap. licet canon.
de elect. in 6.

Non obstat consuetudo seruiendi per Vicarium.
2 Quia ista cõsuetudo † in Ecclesijs Curatis, in quibus
eligitur industria personæ, non valet. Host. & Abb.
in cap. cum omnes, & *ibi* Dec. *num. 5. in 2. lect. de constit.*
Io. de Selu. *in tract. de benef. in 4. par. quæst. 2.* Felin. inter
consil. Rimin. Sen. *cons. 229. num. 7. & 8. lib. 2.*

Non obstat, quod iste Prioratus fuit datus in com
3 mendam. Quia commenda est perpetua: ideo † non
excusat à residentia personali, cum habeat vim titu-
li, & inducat incompatibilitatem, Sarn. *in regul. de*
trienn. quæst. 5.

Non obstat, quod Prioratus est regularis, & quod
4 † Monachus potest per Vicarium seruire in Ecclesia
parochiali. Quia hoc posset procedere, si Prioratus
esset datus in commendam Monacho; in quo casu mi
litat ratio considerata à Card. & Rebuffo, quod Mo-
nachus sine dispensatione non potest seruire Ecclesiæ
parochiali, propter habitus diuersitatem; & propter
religionem, cui est obligatus: Sed cum prioratus sit
datus in commendam clerico seculari, in quo cessat
ista ratio, debet seruire per se ipsum.

5 Non obstat quod ista † Ecclesia est annexa Prio-
ratui: ideo Prior potest seruire per Vicarium, *dict. §.*
qui vero; & *ibi* Abb. Card. & alij. Quia non probatur
quod ista Ecclesia sit annexa Prioratui; & incolæ præ
tendunt quod Prior non habeat aliam Ecclesiam,
6 sed sit Prior istius Ecclesiæ, & † cessante annexione,
cessat impedimentum residendi in Ecclesia maiori,
cui est facta annexio, & consequenter debet seruire
per se ipsum, & non per Vicarium, *dict. §. qui vero.*

Et ex his Domini venerunt in istam sententiam: quod ipsum etiam in ista Causa, inspecta dispositione Sacri Concilij Tridentini Congregatio Illustrissimorum Cardinalium eiusdem Concilij interpretum censuit.

AVXIMANA BONORVM.

Veneris 2. Iunij 1595.

ARGVMENTVM.

Emptor bonorum fideicommissariorum quomodo reddatur securus.

SVMMARIVM.

1 *Adimplementum fit sufficienter per æquipollens, quando non agitur ad resolutionem contractus; sed tantum, vt emptor sit tutus.*
2 *Emptor bonorum fideicommissariorum redditur tutus per commutationem voluntatis testatoris, & subrogationem precij.*
3 *Item per consensum vocatorum ad fideicommissum.*
4 *Euentus futurus non habetur in consideratione, quando, statu præsenti inspecto, verisimiliter non est contingens.*
5 *Facultas alienandi reddit validam alienationem iam factam, quando constat de noua voluntate post licentiam obtentam.*
6 *Agens pro adimplemento contractus, vigore licentiæ, necessariò acceptat licentiam.*

DECISIO CXVI.

ILlustrissimus, & Reuerendissimus D. Cardinalis Gallus emit à Dominis Franciolinis Tenutam nuncupatam Monte Gallo, pro pretio scuto. 22500. Monetæ, & quia erat subiecta fideicommisso, venditores promiserunt facere ratificare certas personas expressas, & alias interesse habentes, & eam liberare à fideicommisso per subrogationem aliorum bonorum non grauatorum; & facta ista subrogatione Illustrissimus D. Cardinalis promisit soluere pretium eorum creditoribus anterioribus Secuta postea

rati-

ratificatione, & obtenta commutatione voluntatis
teftatoris à S. D. N. cùm venditores inftrarent pro
folutione pretij, & Illuftriffimus D. Cardinalis præ-
tenderet non fuiffe fibi fufficienter adimpletum: Or-
ta fuit difficultas, An conftaret de adimplemento.
Quod dubium, Caufa coram A. C. pendente, fuit de
ordine S. D. N. me proponente, in Rota difputatum,
Et Domini concorditer refoluerunt, fatis conftare
de adimplemento.

Principale fundamentum decifionis fuit: quòd
non quæritur de adimplemento, ad effectum refolu-
tionis contractus, fed folum ad effectum vt Illuftrif-
fimus D. Cardinalis fit fecurus, & non poffit mole-
1 ftari occafione fideicommiffi, & in hoc † fufficit ad-
implementum per æquipollens. De quo dicebant
2 Domini non poffe dubitari: quia ftante † commu-
tatione voluntatis teftatoris, & fubrogatione pretij
loco iftius Tenutæ, Illuftriffimus Cardinalis eft tutus
ab omni moleftia, quæ ei poffit inferri; vt fuit refolu-
tum *in Caufa Romana Palatij, fiue cenfus 7. Maij 1590.
coram bon. mem. D. Bubalo,*

Et quamuis ifta fubrogatio fit conceffa in forma
commiffaria; tamen fuit lata fententia pro executio-
ne Litterarum; quæ apparet fatis iuftificata: quia
fuit lata citatis omnibus intereffe habentibus, & ad-
hibita caufæ cognitione, & eft conformis litteris;
quæ etiam funt iuftificatæ: Ideo ceffat probabilis ti-
mor, quòd ifta fententia poffit reuocari.

Confiderabant etiam Domini, quòd circumfcrip-
ta commutatione voluntatis teftatoris, Illuftriffimus
D. Cardinalis non poteft fuftinere moleftiam, nifi
pro fcutis 5087. quia æs alienum teftatoris, emptio
partis iftius tenutæ poft eius obitum, & detractiones
legitimarum, & melioramentorum, conftituunt fum-
mam fcutorum 14413. & fcuta 3000. debent inue-
ftiri. Pro ifta autem fumma fcutorum 5087. Domi-
3 ni non vident, quomodo poffit moleftari: quia † ha-
bet confenfum eorum, qui vocantur ad fideicommif-
fum, à quibus non poteft moleftari, *leg. nihil, §. 1. leg. fi
fundum per fideicommiffum, ff. de leg. 1. leg. quoties Cod. de
fideicommiffis.* Et licet nafcituri poffint reuocare iftam
alienationem, *Iaf. in dict. leg. quoties,* Dec. *conf.* 323. Ta-
men non poffunt reuocare, nifi per obitum iftorum,
qui cõfenferunt, qui funt plures, & eius ætatis, quòd
verifimiliter debent effe fuperftites tempore fecuti
augmenti in fcutis 8087. quod habebit effectum in
4 breui fpatio temporis, & † futurus euentus non ha-
betur in confideratione; quando, infpecto ftatu præ-
fenti, verifimiliter non eft contingens, Bart. *in leg. in-
ter ftipulantem, §. facrum, num. 7. ff. de verb. obligat.* Sed
tamen pro maiori fecuritate Illuftriffimi D. Cardina-
lis placuit Dominis, quod præftetur fideiuffio pro
fcutis 8000, duratura donec fuerit fecutum iftud
augmentum.

Non obftat, quòd liberatio iftius Tenutæ à fidei-
commiffo debeat fieri per fubrogationem aliorum
bonorum. Quia, vt fupradictum fuit, cum admitta-
tur adimplementum per æquipollens, & ifta forma
fit inducta ad fauorem Illuftriffimi Cardinalis, vt fit
fecurus; fufficit, quòd per commutationem volunta-
tis teftatoris, inueftimentum fcutorum 3000. con-
fenfum vocatorum ad fideicommiffum, & fideiuffio-
nem pro fcutis 8000, reddatur tutus.

Non obftat quod poft fecutam alienationem fuit
5 obtenta licentia alienandi, & † facultas alienandi
non reddit validam alienationem factam. Quia hoc
non procedit, quando conftat de noua voluntate
poft licentiam obtentam *leg. Titius, ff. de milit. teft. §. fed
fi quis, inft. eodem titul.* Bald. *in leg. certum num. 24. Cod.
vnde cognat.* Quæ hic eft perfpicua: quia venditores
obtenta fententia pro executione Breuis, illam pro-
duxerunt in actis, interpellauerunt Illuftriffimum
D. Cardinalem, & hodie agunt pro adimplemento
6 contractus, & offerunt facere inftrumentum, & †
qui agit pro adimplemento contractus vigore licen-
tiæ, neceffario acceptat licentiam, & approbat con-
tractum, *leg. cùm quæritur, ff. de admin. tut.* Bald. *confil.
14. lib. 5.* Dec. *conf. 449. num. 34.*

Non obftat quod non fuit præftitus confenfus fi-
liæ q. Amici. Quia vltra quod feminæ non funt voca-
tæ, nifi in defectum mafculorum; quo tempore veri-
fimiliter erit fecutum augmẽtum, Illuftriffimo Car-
dinali interim eft fufficienter cautum per præftatio-
nem fideiuffionis.

ROMANA INVESTIMENTI.

Veneris 2. Iunij 1595.

ARGVMENTVM.

Inueftimentum pro fecuritate emptoris, in quibus
bonis fit faciendum.

SVMMARIVM.

1 *Inueftimentum fieri debet cum confenfu emptoris.*
2 *Confenfus denegari non poteft fine iufta caufa; cuius co-
gnitio eft arbitraria Iudicis, & num. 3.*

DECISIO CXVII.

DOmini cenfuerunt, inueftimentum non effe fa-
ciendum in bonis ftabilibus venditis R. P. D.
Marcello, fed in Locis Montium non vacabilibus, vel
cenfibus, eius arbitrio. Et huius refolutionis potif-
1 fima ratio fuit: quia † inueftimentum fieri debet cum
confenfu D. Horatij emptoris: Ideo non fuit tributa
R. P. D. Marcello venditori libera facultas inueftien-
di eius arbitrio, Curt. Iun. *conf. 2. num. 3.* Et licèt con-
2 fenfus † non poffit denegari fine iufta caufa, Bald.
Ang. Imol. Paul. & Alex. *in leg. fi cum dotem, §. eo au-
3 tem tempore, ff. folut. matrimon.* Tamen, cùm † in hoc
verfetur arbitrium iudicis, Abb. *in cap. nullus num. 1.
de iur. patron.* Petr. Becch. *de teftam. coniug. lib. 3. cap. 2.*
videbatur Dominis, quod D. Horatius habeat iuftã
caufam contradicendi, ne inueftimentum fiat in his
bonis: quia ex bonis ftabilibus cum fint parui fru-
ctus, non tam facilè fequitur multiplicatio. Et quia
inueftimentum fieri debet pro cautela D. Horatij, cui
iam omnia bona Domini venditoris funt obligata
pro euictione: ideo ex ifto inueftimento non acqui-
reret aliquam cautelam; præfertim, cùm fieri debeat
ad effectum vt ipfe fit tutus, & non poffit moleftari
occafione fideicommiffi, cui etiam ifta bona funt fu-
biecta. Quare eis placuit quod fiat in Locis Montium
non vacabilibus, vel cenfibus.

Non obftat, quod in apoca habeatur relatio ad
derogationem fideicommiffi, in qua verba alterna-
tiuè diriguntur in D. venditorẽ: ideo ad eum debet
fpectare electio. Quia Domini intelligebant ifta ver-
ba apocæ, *Con queflo che fcudi cinquemila fi debbano in-*

ueftire

vestire conforme alla derogatione del fideicommisso, non inducere relationem ad facultatem eligendi contentam in derogatione fideicommissi, sed solum importare quod scuta quinque millia debeant inuestiri, vt ex eis fiat multiplicatio pronr dispo itur in derogatione; Nam cum in apoca adsit particularis prouisio, quòd inuestimentum fiat cum consensu, & pro cautela emptoris; & ista sint incompatibilia, quòd per relationem ad derogationem detur facultas libera D. venditori inuestiendi eius arbitrio; Et quod inuestimentum fieri debeat cum consensu emptoris, & pro eius cautela: contrahentes non potuerunt intelligere, quod per relationem ad derogationem tribueretur libera facultas D. venditori inuestiêdi eius arbitrio.

Non obstat quod D. venditori expressit, *vendere per valersi di quel più*. Quare verba non possent verificari, si non esset in eius facultate dare bona stabilia, quia satis verificantur, cùm illud plus inuestiatur, & ex inuestimento fructus percipiantur.

MEDIOLANEN. BONORVM.

Lunæ 12. Iunij 1595.

ARGVMENTVM.

Eugeniana in quo casu non habet locum.

SVMMARIVM.

1 *Possessio capta vigore præcepti Iudicis incompetentis, est nulla ipso iure: Nisi possidens haberet facultatem capiendi possessionem propria auctoritate, & num. 2.*

3 *Remedium legis*, Diffamari, *non competit non possidenti.*

4 *Clausula*, Si quis se grauatum, &c. *non facit reum, nec possessorem, eum, contra quem præceptum non fuit executum.*

DECISIO CXVIII.

Domini dixerunt, non esse locum cônstitutioni Eugenianæ, cùm D. Io. Baptista non sit reus, & esset remedium legis, *Diffamari*, quia non possidet, & Statutum Mediolani ad istum effectum ei non suffragatur, vt fuit in alijs propositionibus resolutum.

1 Non obstat quod ista possessio † capta vigore præcepti Iudicis incompetentis est nulla ipso iure. Quia cum D. Io. Baptista sit actor, & non possideat, non est locus Eugenianæ, & consequenter iudex est competens.

2 Præterea, cùm isti fratres † haberent facultatem capiendi possessionem propria auctoritate, ista possessio sustinetur vti capta extraiudicialiter, *Moder. de adipisc. possess. remed. 4. num. 43.* Achil. *dec. 15. de attent.* Præsertim, cùm adiuerint Iudicem ad abundantiorem cautelam, & cùm clausulis præseruatiuis.

Addebant etiam Domini, quod si possessio non suffragaretur istis fratrib. ex hoc non infertur quod D. Io. Baptista possideat, quod est necessarium ad ef-
3 fectum, vt dicatur reus, cùm † remedium legis, *Diffamari*, non competat ei qui non possidet.

4 Non obstat clausula, *Si quis*. Quia præceptum † non fuit exequutum contra D. Io. Baptistam; nec ipse comparuit; ideo non facit eum nec reum, nec possessorem.

BONONIEN. BONORVM DE MARRANO.

Veneris 16. Iunij 1595.

ARGVMENTVM.

Locatio Bonorum Ecclesiasticorum quomodo probetur facta in euidentem Eccesiæ vtilitatem. Non euidentis Ecclesię vtilitatis probatio cui incumbat. In valore rei Ecclesiæ iudicando, quod tempus inspiciendum.

SVMMARIVM.

1 *Euidens Ecclesiæ vtilitas ex quibus probetur, ad effectum validitatis locationis.*

2 *Testis deponens de iudicio suo, probat, si reddat concludentes rationes.*

3 *Locatio Bonorum Ecclesiæ dicitur valida, accedente sententia Iudicum, & concurrente obseruantia eiusdem sententiæ.*

4 *Onus probandi non euidentem Ecclesiæ vtilitatem, incumbit actori, non reo; quando cum obseruantia concurrit solemnitas.*

5 *Iudex ad effectum cognoscendi de euidenti Ecclesiæ vtilitate, potest se informare extraiudicialiter, quando est ei commissum simpliciter, vt se informet, & est derogatum extrauaganti*, Ambitiosæ.

6 *Extrauagantis*, Ambitiosæ, *tenor non est necessariò inserendus in Commissione; sed sufficit quod illi sit derogatum.*

7 *Alienatio rei Ecclesiæ, quando fit in vtilitatem Ecclesiæ, potest fieri consanguineis, sicut extraneis.*

8 *Subreptio non attenditur, quando alienatio est facta in euidentem vtilitatem Ecclesiæ.*

9 *Valor Bonorum Ecclesiæ iudicatur secundum tempus contractus; nec inspicitur tempus superueniens.*

DECISIO CXIX.

Fvit resolutum pro validitate locationis: quia concurrit vtrumque requisitum, solemnitas, & causa.

Quantum ad solemnitatem, Domini dixerunt, de ea non posse controuerti: quia Rectori fuit concessa facultas alienandi à iudicibus commissarijs, seruata forma Litterarum; & constat de speciali facultate Vicelegati, qui eis commisit quod concederent licentiam alienandi, si alienatio cederet in euidentem vtilitatem Ecclesiæ.

Quo vero ad causam, moti fuerunt Domini: quia testes probant euidentem vtilitatem, cùm deponant
1 † quòd istæ terræ arboribus, & vitibus carebant; & quod egebant pluribus melioramentis, quæ Rector non poterat facere; & quod Ecclesia fuit reædificata à conductore à fundamentis; & canon fuit auctus.

2 Et licet deponant de iudicio suo; tamen † eum reddant concludentes rationes, probant, Cagnol. *in lib. 2. num. 242. Cod. de rescid. vendit.* Præsertim acce-
3 dente sententia iudicum, pro † qua præsumitur Abbas *cons. 41. num. 3. lib. 1.* Et concurrente etiam obseruantia locationis, cuius vigore Rector semper exegit canonem conuentum, Paris. *cons. 24. num. 6. lib. 4.* & fuit resolutum *in Causa Bononien. Parochialis Sancti Apollinaris 24. Martij 1586. coram Reu. P. D. Orano*. Et
4 stante ista obseruantia † cùm solemnitate, dicebant aliqui ex Dominis, quòd onus probandi non euidentem vtilitatem Ecclesiæ incumbit Rectori; quia quan-

quando concurrunt solemnitas,& obseruantia, teus releuatur ab onere probandi; vt fuit resolutum *in Causa Lucana Decanatus* 21.*Maij* 1578.*coram S.D.N.* & *in Causa Placentina Bonorum* 11.*Maij* 1583.*coram Reu. P.D. Decano.*

5 Non obstat nullitas processus. Quia cùm † sit simpliciter iudicibus commissum, quòd se informent de narratis in precibus, & sit derrogatum extrauaganti; *Ambitiosæ* potuerunt sumere informationem extraiudicialem, Abb. *dict. cons.* 41. & fuit resolutum *in Causa Auessana Tenementi coram bon.memor.D.Episcopo Lauretano*,& *in Causa Romana Domorum* 20.*May*.1580. *coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.*

Non obstat, quòd in Commissione non fuit inser-
6 tus tenor istius extrauagantis. Quia sufficit † quod fuerit ei derrogatum.

Non obstat quòd licentia fuit restricta ad septem petias terræ,& locatio continet vniuersa bona. Quia ex supplicatione,& visitatione,apparet quòd Ecclesia habebat solum septem petias terræ in territorio Matrani;& locatio est restricta ad bona Matrani: ideo solum fuerunt locatæ istæ septem petiæ.

Non obstat, quòd locatio fuit facta fratri Recto-
7 ris. Quia quando † alienatio fit in vtilitatem Ecclesiæ,potest fieri consanguineis,sicut extraneis, Archi. *in cap. Episcopus in fin.*10.*quæst.*2.Card. *in Clement.*1.*§. Abbates num.*1.*in fin.*& *ibi* Anchat.*num.*20.*de excessib. Prælat.*Feder.de Sen.*cons*,52.*num.*2.& fuit resolutum *in Causa Romana Casalis* 6.*Aprilis* 1576.*coram bon.me. Lauretano.*

Non obstat quòd licentia fuit concessa Rectori, & Prospero, qui postea conduxit. Quia hoc non concludit, quòd Rector nõ potuerit locare Prospero in
8 euidentem vtilitatem Ecclesiæ: quia non † attenditur subreptio quando alienatio est facta in euidẽtem vtilitatem Ecclesiæ, Ruin.*cons.*157.*numer.*25.*&* 26. *lib.*1.& fuit dictum *in dicta Causa Romana Casalis.*

Non obstant testes Rectoris: quia non percutiunt tempus locationis, de anno 1515. sed longè posterius, de quo fuerant facta melioramenta; &; vt in-
9 quit Calderinus *cons.*5. *de rerum permut.* attenditur † tempus contractus, & secundum illud de valore rei Ecclesiæ iudicatur, nec inspicitur tempus superueniens,quo res Ecclesiæ alienata,vel melioris, vel deterioris conditionis effecta reperitur, vt pariter fuit resolutum *in dict. Causa Romana Casalis*, & alias sæpius.

Non obstat quòd in locatione fuit solum habita ratio temporis calamitosi propter bellum: ideo est nulla. Quia longè ante illum annum cessanerat tem-
1 pus calamitosum: ideo locatio est valida. Tanto magis,cùm fuerit auctus canon; qui non fuisset auctus, si solum fuisset habita ratio temporis calamitosi.

AQVILEGIEN. PRÆEMINENTIARVM.

Lunæ 19. *Iunij* 1595.

Hæc Decisio non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Commune,& homines de Laurenzago, existunt in quasi possessione dignioris loci.*

DECISIO CXX.

PRo informante DD.dixerunt constare de iustitia
1 rei iudicatæ. Quia Testes probant quòd † Commune,& homines de Laurenzagho sunt in quasi possessione dignoris loci, & ideo esse exequendam.

REGIEN. PRIMATVS.

Lunæ 19. *Iunij* 1595.

ARGVMENTVM.

Adminicula quædam recensentur ad probandam quasi possessionem præsentandi.

SVMMARIVM.

1 *Descendentia probatur ex enunciatiuis antiquissimis, concurrentibus etiam coniecturis.*

2 *Instrumentum non faciens plenam fidem, propter Statutum; tamen plenè probat, si concurrant adminicula.*

3 *Pater,& filius si fuerant in quasi possessione præsentandi; idem præsumitur de altero filio.*

DECISIO CXXI.

DOmini dixerunt, quòd ad effectum probandi descendentiam Gasparis à Ioanne, non est necessarium instrumentum de anno 1513. quia proba-
1 tur † ex duabus enuntiatiuis antiquissimis, & pluribus coniecturis, vt fuit resolutum. Et stante antiquitate,& concurrentibus etiam coniecturis, legitimitas præsumitur,& in hoc placuit decisio allegata per informantes pro Tacculis. Ad effectum autem quasi possessionis Gasparis resoluerunt adesse sufficientem
2 probationem: quia licet † instrumentum non faciat plenam fidem, propter Statutum; tamen plenè probat quando concurrunt adminicula, Alex. *cons.* 184. *num.*6.*&* 7.*lib.*7. Natta *cons.*609.*num.* 27.

Videbatur autem Dominis in casu isto concurre-
3 re duo vrgentia adminicula. Primum, † quòd Ioannes pater Gasparis, & Antonius Maria eius filius fuerunt in quasi possessione præsentandi: ideò præsumitur quòd etiam Gaspar fuerit in quasi possessione, Tiraquel. *de præscript.§.*1.*glos.*5. Alterum verò, quod Alexius, ad cuius fauorem Gaspar consensum præstitit prouisioni Papæ, in dicto anno 1515. possedit Prioratum vsque ad annum 1538. Et ista obseruantia multum confert ad ostendendam veritatem consensus præstiti à Gaspare.

FAMEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 26. *Iunij* 1595.

Argumentum per se patet.

SVMMARIVM.

1 *Testes non bene informati, non probant.*

2 *Valor totius infertur ex notitia omnium partium integralium illius.*

DECISIO CXXII.

COnclusum, gratiam Angeli nõ esse iustificatam, quantum ad valorem. Quia illi tres testes exprimunt, bona Ecclesiæ, & fructus, quos percipit Rector; & deponunt quòd non habet alios redditus præter expressos, & tamen probatur contrarium. Ideo
1 cùm non sint benè informati, non † possunt proba-

re valorem, quia vt bene deducit D. Siluester Aldobrandinus *in conf. 60. num. 23.* si testes ignorant omnes partes integrales, & earum valorem, impossibile est quod sciant valorem totius; cùm valor totius inferatur ex notitia singularium rerum, & in his terminis fuit resolutum *in Causa Anconitana Terrarum 17. Martij, & 21. Aprilis* 1589. *coram Illustrissimo Cardinali Platta* per consilium Alex. 54. *num.* 4. *lib.* 6.

Placuerunt etiam dominis contrarietates, quæ deducuntur per informantes pro Rainaldo: ex quibus censuerunt istis testibus non esse adhibendam fidem &c.

ALBINGANEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 26. Iunij 1595.

ARGVMENTVM.

Resignatio Ecclesiæ non est valida, non docto de publicatione.

SVMMARIVM.

1 *Publicatio est pars resignationis.*

DECISIO CXXIII.

FVit resolutum, gratiam Io. Petri non esse iustificatam; Quia non probatur Clericatus, & quia istam Parochialem obtinuit per resignationem, & non do-
1 cet de publicatione, quæ † est pars resignationis; vt sæpius fuit resolutum. Et licèt petierit licentiam publicandi à Vicario, tamen non potest excusari ex isto capite; quia Vicarius non prohibuit quòd publicaret, nec præstitit impedimentum publicationi. Ideo, cum gratia non sit iustificata, sententia R.P.D. Aulatij est reuocanda.

MEDIOLANEN. BONORVM.

Mercurij 28. Iunij 1595.

ARGVMENTVM.

Possessio in Bonis feudalibus an transeat sine apprehensione.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo requirit necessario quasi possessionem propriam: etiam in iuribus incorporalibus, & num. 2.*

3 *Possessio in bonis feudalibus transit, secundum aliquos, sine apprehensione.*

Contraria tamen opinio est communior, & num. 4.

5 *Per clausulam constituti transfertur possessio in rebus corporalibus: secus in incorporalibus.*

DECISIO CXXIV.

FVit resolutum, mandatum de manutenendo non esse dandum D. Io. Antonio Triuultio. Moti fuerunt Domini; quia quasi possessio eorum, à quibus
1 ipse causam habet, est turbida; & quia † non probatur quasi possessio propria, quæ ad istum effectum est necessaria, Io. Faber *in §. retinendæ, num. 7. inst. de inter-*
2 *dict.* Etiam † in iuribus incorporalibus; vt fuit resolutum coram me *in Causa Brixien. pensionis 23. Maij de anno præterito* ex decis. Achil. 5. *de poss.* Caputaq. *decis.* 135. 152. & 420. *par.* 2.

Non obstat quòd hoc non procedit in bonis feu-
3 dalibus; in † quibus possessio transit sine apprehensione, Bald. *in leg. cum antiquioribus num. 11. Cod. de iur. delib.* Ias. *in leg. quoties sub numer. 31. Cod. de rei vendic.* Quia ista opinio habet multos contradictores; cum contrariam opinionem teneat, idem Bald. *in cap. 1. col. vlt. in tit. an mut. vel alias imperfec.* Ias. *in leg. si soror. in 3. limit. Cod. de iur. delib.* Afflict. *in cap. 1. §. sciendum num. 12. de feud. cognit.* Paris. *cons. 1. artic. 161. lib. 1.* & Couar. *var. resol. lib. 3. cap. 5. nu. 6.* Et istam opinionem, quòd
4 possessio † non transeat sine apprehensione, in bonis feudalibus, & emphiteuticarijs, etiam stante Statuto de continuanda possessione defuncti in hærede, secuta fuit Rota *in Causa Imolen. Bonorum* 10. *Aprilis* 1592. *coram R.P.D. meo Pamphilio, & in causa Mediolanen. Bonorum 28. Martij & 5. Decembris de anno prædicto coram me.*

5 Non obstat, quòd † per clausulam constituti transfertur possessio. Quia hoc procedit in possessione rei corporalis; in qua non requiritur factum alterius,
6 sed in quasi possessione † rei incorporalis requiritur scientia, & patientia eius, contra quem acquiritur quasi possessio: ideo per istam clausulam non transfertur Achil. *dict. decis. 5. de possess.*

VALENTINA IVRISDICTIONIS.

Lunæ 3. Iulij 1595.

ARGVMENTVM.

Archiepiscopus an possit compellere Episcopum.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitio debet, de Iure communi, concedi Episcopo; nisi probetur consuetudo in contrarium.*

DECISIO CXXV.

FVit resolutum inhibitionem esse concedendam Episcopo. Fundamentum decisionis fuit; quia
1 Episcopus, cessante † consuetudine, habet intentionem fundatam in iure communi, *cap. Pastoralis de offic. ordin. cap. Romana § 1. de for. compet. num. 6.* Ideo, cùm non probetur consuetudo, debet ei concedi inhibitio, Bald. *in leg. si pater num. 2. Cod. qui bo. ced. poss.* Felin. *in rubr. de treg. & pac. sub num. 10.*

Non obstant, text. *in cap. 1. & in cap. vt litigantes, de offic. ordin. in 6.* Quia in illis non disponitur quod Archiepiscopus possit compellere Episcopum.

Non obstat doctrina Ancharani *in d. cap. Romana in 4. not.* Quia Anchar. nihil firmat, & relinquit cogitandum, an illud dictum sit verum.

Non obstat clausula posita in commissione, quòd præuia matura causæ cognitione inhibeatur. Quia ad istum effectum satis fuit adhibita causæ cognitio, cùm in Dubio, proposito, fuerit per Dominos resolutum, Episcopum habere intentionem fundatam in iure communi.

Aliqui etiam ex Dominis intelligebant, quòd ista causæ cognitio non debet adhiberi circa negotium principale, sed solum super hoc, an causa sit appellabilis. Rot. *decis. 68. de appell. in antiq.*

CI-

CIVITATEN. SCHOLASTRICÆ.

Veneris 20. Octobris 1595.

ARGVMENTVM.

Hæc Decisio, ob sui breuitatem, non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Remissoria conceditur, quando articuli sunt releuantes.*

DECISIO CXXVI.

Domini resoluerunt, remissoriam esse concedendam Domino Ioanni de Maturana, facta obli-
1 gatione de stando Vnicæ. Quia articuli † sunt releuantes,& ex literis Rectoris, à quo D. Didacus fuit baptizatus, depositione Moderni Rectoris, baptismo sororis, quæ erat maioris ætatis,& alijs coniecturis,resultat magnus fumus, quod non habebat sufficientem ætatem de tempore prouisionis.

VERONEN. PENSIONIS.

Lunæ 30. Octobris 1595.

ARGVMENTVM.

De pensione exacta ante expeditionem Literarum Apostolicarum.

SVMMARIVM.

1 *Pensio exacta ante expeditionem Literarum Apostolicarum,contra formam Decreti irritantis in supplicatione appositi,est nulla.*

2 *Nec sufficit quòd Literæ sint expeditæ ante quàm opponatur de nullitate pensionis.*

3 *Regula 53. Cancellariæ declaratur.*

4 *Decretum irritans in supplicatione, licèt appositum sit ad fauorem Cancellariæ; potest tamen opponi à Titulari, cuius interest.*

5 *Mora purgari non potest post extinctionem pensionis.*

6 *Nullitas pensionis exactæ contra Decretum,&c. non censetur remissa per solutionem factam, siue continuatam à Titulari,post Literas expeditas.*

7 *Ignorantia Decreti irritantis,in reseruatione pensionis, est inuerisimilis, stante exactione plurium annorum.*

8 *Principalis præsumitur certioratus à suo procuratore.*

DECISIO CXXVII.

Qvantum ad primam partem Dubij, Domini, retentis decisionibus factis *in causa Sabinen. Pensionis* coram R. P. D. Mantica, & *in alia Causa Veronen. Pensionis* coram me,resoluerunt, pensionem esse
1 nullam: Quia D. Alexander † ante expeditionem Litterarum Apostolicarum,contra formam Decreti irritantis appositi in supplicatione, eam exegit, vt late fuit deductum in dictis causis.
2 Non obstat quod sufficit † quod literæ fuerint expeditæ antequàm fuerit oppositum de nullitate pensionis, Soccin. *cons. 41. sub num. 2 lib. 3.* Cassad. *decis. 35. & 36. super regul.* Quia loquuntur in terminis regulę
3 53. quæ † non requirit Litterarum expeditionem ab initio: ideo quocunq; temporè ante finitum iudicium Litteræ expediantur, quod suffragatur, & ita ibi declarat glosa Soccin. *in dict. cons. 41. num. 2.* Sam. *in regu. de non iudic. quæst. 6. num. 1.* & Molin. *de Hisp. primogen. lib. 2. cap. 7. num. 55.* sed istud decretum requirit expeditionem Litterarum ante exactionem, & inducit formam præcisam, & annullat ipso iure; ideo non suffragatur expeditio post exactionem. Et licet etiā ista regula habeat decretum irritans, tamen cum non annullet ante expeditionem, decretum irritans, quod est accessorium, non potest operari illum effectum; sed solum operatur, quòd interim, donec Litteræ expediantur, dispositio non possit suffragari; vt tradent glos. Soccin. Sam. & Molin. *in dictis locis.*

Non obstat quod decretum apponitur solum fauore Cancellariæ,& ideo nullitas non potest ab alio allegari. Quia decretum fuit inuentum fauore Cancellariæ, vt propter timorem nullitatis litteræ expediantur statim: sed postea quam factus est locus nullitati, propter exactionem ante expeditas litteras, nullitas non concernit amplius fauorem Cancellariæ, quæ ex ista nullitate non sentit commodum, immo potius damnum; cum post exactionem non ser-
4 uiat expeditio Litterarum: ideò † ista nullitas potest allegari à titulari, cuius interest, Imol. *in capit. si. sub num. 13. ne sed. vac.* & fuit resolutum *in Causa Bononien. Bonorum de Gambarinis 27. Ianuarij 1578. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto*, & *in Causa Veronen. Exemptionis 27. Februarij proximè praeteriti coram Reu. P. D. Pamphilio.* Alias, dicebant Domini, quod istud decretū redderetur elusorium si titularis non posset allegare istam nullitatem, cum Cancellaria semper admittat ad expeditionem litterarum, & eius non interfit declarare istam nullitatem.

Nō obstat, quòd mora fuit purgata,& potuit pur-
5 gari. Quia post † extinctionem pensionis non est locus purgationi moræ, Caputaq. *dec. 234. par. 2.* Put. *dec. 66. lib. 3. & dec. 11. de transact.*

Non obstat, quòd per solutionem factam à Dom. Florido post expeditas Litteras, nullitas fuit remissa. Quia, vt in his terminis dicit Hier. Paul. *in pract.*
6 *Cancell. in §. vbi Papa concedit*, consensus † partium non potest operari vltra consensum Papæ, qui vult quod ad perfectionem gratiæ litterę prius expediantur: ideo non potuit Floridus per solutionem validare pensionem nullam, Accoramb. *dec. 16. & dec. 40.* Achil. *decis. 9. de pens.*

Quantum ad secundam partem Dubij. Licèt deducatur ignorantia istius decreti ex absentia D. Alexandri, ex solutione annatæ, ex expeditione sponte postea facta, & ex alijs coniecturis: tamen Domini censuerunt non esse locum executioni: Quia cùm
7 D. Alexander per decem annos, † exegerit istam pensionem vigore reseruationis, non est verisimile, quòd in tanto tempore non habuerit notitiam istius decreti tam notabilis in reseruatione appositi, vt fuit resolutum *in dicta Causa Sabinen.* Et quamuis in illo casu pensionarius esset præsens in Curia, & Do.
8 Alexander semper fuerit absens, tamen † præsumitur quòd fuerit certioratus à suo procuratore iuxta vulgatum consilium Roman.

Addebant etiam Domini, quòd cùm decretum non sit pœnale, ignorantia non excusat à nullitate, vt fuit resolutum *in causa Hipporegien. Canonicatus 4. Februarij 1585. coram R. P. D. Orano.*

RO-

ROMANA VINEÆ.

Lunæ 30. Octobris 1595.

ARGVMENTVM.

De nullitate,& iniustitia sententiæ in Saluiano. Agitur item de melioramentis.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata, non seruatis terminis substantialibus, est nulla.*
2 *Termini substantiales non possunt in totum omitti: Etiamsi sit data facultas procedendi absque aliqua obseruatione terminorum.*
3 *Saluianum competit creditori cum hypotheca.*
4 *Sola æstimatio bonorum stabilum non liberat, ea ab hypotheca.*
5 *Declaratio Bart.* in leg. 2. Cod. de præd. & omn. reb. nauic. lib. 11.

DECISIO CXXVIII.

FVit resolutum, sententiam R.P. D. Carreti esse nullam,& iniustam; ideo D. Petro Lucæ non esse necessariam restitutionem in integrum;&, si esset necessaria, ei competere.

Quantum ad nullitatem, placuit Dominus fundamentum, quòd † non fuerunt seruati termini substantiales, Cassad. *dec.* 8. *de rescript.* Caputaq. *dec.* 249. *par.* 3. qui † non possunt in totum omitti, etiam quod fuerit data facultas procedendi absq; aliqua obseruatione terminorum, Rot. *dec.* 2. *de rescript. in nou. & 15. eod. titul. in antiq.* Peregr. *dec.* 24. Anton. Aug. *dec.* 320. *lib.* 3. *& in epit. in tit. de iudic.* §. 4.

Quantum ad iniustitiam, moti fuerunt Domini: quia constat † de credito, & hipotheca D. Petri Lucæ, & de possessione Collegij; ideo ei competebat saluianum. Et licet vinea fuerit æstimata scutis 1724. tamen † sola æstimatio non liberat ab hypothecis: presertim, cum integrum pretium æstimatum nunquam fuerit solutum, neque depositum; sed solum fuerunt deposita scuta 1400. ad effectum effugiendi executionem super vinea. Nec constat quòd vinea tempore factæ æstimationis esset meliorata in scutis 324. Ideo sententia declarans D. Petro Lucæ non competere aliquam actionem, & ei imponens perpetuum silentium, non reseruato aliquo iure, saltim super isto residuo pretij, est iniusta.

Non obstat doctrina Bart. *in leg.* 2. *Cod. de prædijs, & omn. reb. nauic. lib.* 11. Quia etiam si esset vera, non applicatur ad istum effectum saluandi sententiam ab iniustitia.

Nam Bartolus vult quòd adsint melioramenta,& quòd soluatur verum pretium, attento primo statu ante facta melioramenta, & in casu isto vtrumque deficit. Nam D. Carretto non cõstabat ex actis, quòd essent facta melioramenta, sed solum quædam expensæ necessariæ pro conseruatione vineæ in Modica summa; neq; integrum prætium, æstimatum, erat solutum; ideo non poterat absoluere collegium.

Non obstat quòd Domina Ersilia, & Domini de Gradis acceptauerunt æstimationem. Quia non probatur quòd Domina Ersilia habuerit scientiam de æstimatione. Cum non fuerit citata in relatione æstimatorum pariter D. Petrus Ioannes, & Petrus Lucas non acceptauerunt: Acceptatio autem Antonij Mariæ, si adesset, non posset præiudicare Domino Petro Lucæ; cùm in hoc credito preallegato Dominæ Ersiliæ, ipse nullum ius haberet. Vltra quod, etiã si adesset acceptatio, non suffragaret Collegio, ad istum effectum; cùm nunquam soluerit integrum pretium, vt supra dictum est.

TOLETANA PVRITATIS.

Lunæ 6. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

Remissoria quando denegetur.

SVMMARIVM.

1 *In concessione remissoriæ, in materia obiectiua, requiritur magnus fumus.*
2 *Suspicio calumniæ, ad effectum negandi remissoriam, ex quibus oriatur.*
3 *Remissoria denegatur in causa profana, quando versamur in materia obiectiua: & quando adest magna suspicio calumniæ, & num.* 4.

DECISIO CXXIX.

IN ista causa fuerat resolutum coram R.P.D. Mantica, materiam esse obiectiuam, & constare de puritate Domini Gregorij; & ita etiam per duas sententias fuerat declaratum. Causa coram me in tertia instantia pendente. Capitulum petijt remissoriam pro probanda fraternitate, ad effectum impuritatis. Et proposito Dubio, Domini resoluerunt non esse concedendam: Quia † in materia obiectiua requiritur magnus fumus, Caputaq. *decis.* 244. *& dec.* 247. *lib.* 1. qui prorsus excluditur, cùm constet de puritate Gregorij.

Fuit etiam denegata propter vehementem præsumptionem calumniæ. Quia Capitulum adhibuit exactissimam diligentiam in sumendo informationem, & † examinauit innumeros testes absque citatione,& interrogatorijs, & in specie omnes senes loci originis aui D. Gregorij, qui de eius genere poterant esse informati: & tamen non potuit probare. Ideo oritur magna suspitio calumniæ, Aim. *consil.* 134. *num.* 3. propter quam denegatur remissoria; vt in his terminis tradunt Ang. Paul. Alex. & alij *in leg. de die*, §. *tutor ff. qui satisd. cog.* Caputaq. *dec.* 63. *lib.* 3. Simonett. *de remiss. cap.* 6.

Non obstat quòd articuli sint releuantes, & materia est profana; in qua datur remissoria sine fumo. Quia hoc non † procedit in materia obiectiua nec quando adest magna præsumptio calumniæ vt suprà dictum fuit.

Non obstat quòd Capitulum examinauit vti Iudex,& nunc petit remissoriam vti pars. Quia etiam † parti denegatur remissoria, quando adest vrgens præsumptio calumniæ, & quando materia est obiectiua,& non datur fumus.

TOLETANA CAPELLÆ.

Lunæ 6. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

De Processu multos patiente defectus.

SVMMARIVM.

1 *Recensentur plures defectus Processu vitiantes.*

DECISIO CXXX.

Quamuis pro parte Confraternitatis fuerit obtenta Commissio, quòd adhibeatur fides processui arbitrio, Rotę: Tamen cum concurrant plures
1 defectus: quia citatio † ad videndum fieri compulsationem non habet diem, neque locum; & deficit citatio ad videndum fieri colationem cùm originali; & non probatur concludenter quòd originalis fuerit habitus ab Alphonso actuario neq; est recognita eius manus; & adsunt aliæ suspiciones, quæ beue deducuntur per informãtes pro Dominis de Cepeda: Domini censuerunt non esse ei adhibendam fidem.

SALAMANTINA IVRIS LIGNANDI, ET PASCENDI.

Veneris 10. *Nouembris* 1595.

ARGVMENTVM.

Quæ requitantur ad acquirendam seruitutem iuris lignandi, & pascendi.

SVMMARIVM.

1 *Ad acquirendam seruitutem iuris lignandi, & pascendi, est necessaria præscriptio immemorabilis, vel saltem quadragenaria, cum titulo vero.*

2 *Nec sufficit quadragenaria, nisi probetur sufficienter titulus: Contra Castrensem, & Cranetam.*

DECISIO CXXXI.

Domini resoluerunt, quòd ad effectum acquirendi seruitutem iuris lignandi, & pascendi, est ne-
1 cessaria † præscriptio immemorabilis, vel saltim quadragenaria cum titulo vero, Couat. *var. resolut. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 1 1. *versic. & tamen etiam.* Ideo cùm suffi-
2 cienter † non probetur titulus, quadragenaria etiam si esset probata non releuat.

Nec placuerunt Dominis consilia Pauli, & Aimonis: Quia loquuntur contra communem opinionem & in praxi receptam, vt testatur Couarru. qui licet postea afferat tres limitationes: tamen communis opinio non admittit istas restrictiones: Et ideo ipse dubitat, an in praxi obtineri possit, quòd in illis casibus recedatur à frequentissima omnium sententia.

ROMANA DEVOLVTIONIS DOMVS.

Veneris 10. *Nouembris* 1595.

ARGVMENTVM.

Agitur de exclusione deuolutionis.

SVMMARIVM.

1 *In contractibus non attenditur nominatio contrahentium; sed, quid agere voluerint.*

2 *Ad effectum excludendi deuolutionem, sufficit quòd verba non sint clara.*

DECISIO CXXXII.

Fvit resolutum, dominium directum non fuisse translatum in Dominos de Albertinis, & medietatem istius domus non esse subiectam deuolutioni.

Quãtum ad primam partem, ratio decisionis fuit:
1 quia nõn † attenditur nominatio contrahentium, sed quid voluerint facere; vt in his terminis bene deducit Bellon. *cons.* 21. *num.* 10. & 11. Videbatur autem Dominis, quòd contrahentes nõ intellexerint quòd deberet transferri directum dominium, sed solum quod constitueretur census. Quia licet in instrumento dicatur, quòd Augustinus vendit Dominis de Albertinis directum dominium medietatis domus tamen incontinenti, subditur, *ad respondendum pro censu ducatos* 16. Et postea Augustinus super dicta medietate constituit censum, & se obligauit eum soluere. Vnde si prius fuisset actum de transferendo directo dominio medietatis domus in Albertinos, resultaret perplexitas, & cõtrarietas, quòd pro vno, & eodem pretio 160. ducatorum Augustinus vendiderit directum dominium medietatis domus; & postea super eadem medietate, & directo dominio ad fauorem emptorum constituerit censum.

Quãtum ad secundam partem, res nullam habuit difficultatem apud Dominos: quia sufficit ad effe-
2 ctum excludendæ deuolutionis, quòd † verba non sint clara, Alberic. *in leg.* 2. *num.* 13. *Cod. de iur. emphyt.* Crescent. *dec.* 242. Præsertim cum concurrant coniecturæ consideratæ in alia decisione, quæ placuerunt Dominis.

REGIEN. PRAEBENDAE THEOLOGALIS.

Lunæ 13. *Nouembris* 1595.

ARGVMENTVM.

Gratia Apostolica de Canonicatu, & Præbenda primò vacaturis, quando censeatur consumpta.

SVMMARIVM.

1 *In Gratia Apostolica, de primò vacaturis, non præsumitur quòd Episcopus non fecerit debitam diligẽtiam; vel quòd noluerit consumere gratiam, omissa prima vacatione.*

2 *Gratia de vacaturo, intelligitur de vacatione de iure, & de facto.*

3 *Decretum irritans ligat etiam ignorantes.*

DECISIO CXXXIII.

Fvit resolutum, Canonicatum, & Præbendam, de quibus agitur, compræhendi sub gratia Apostolica de Canonicatu, & Præbenda primo vacaturis.

Fundamentum principalis decisionis fuit: quia Dominus Alexander habet fundatam suam intentionem in ista vacatione, quæ successit paulo post con-
1 cessam gratiam; cùm † præsumatur quòd Episcopus fecerit debitam diligentiam, & quòd noluerit consumere gratiam, omittendo primam vacationem, Rot. *dec.* 13. *de concess. prebend. in antiq.* Egid. *decis.* 131. Ideo si Capitulum, vel D. Octauius prætendit quòd gratia fuerit consumpta in alia vacatione, debet probare quòd prius successerit alia vacatio.

Hoc autem, quòd præcesserit alia vacatio, dice-
2 bant Domini non probari. Nam licet Guglielmus Castellinus perceperit fructus maiusculatus post adeptam possessionem Canonicatus: tamen non probatur quòd prius fuerit prouisus de Canonicatu, ita vt per prouisionem, & possessionem maiusculatus fuerit inducta vacatio Canonicatus. Prout etiam non probatur quòd Guglielmus dimisisset possessionem

2 Ca-

2 Canonicatus,& gratia † intelligit de vacatione de iure,& de facto, Boer. *dec.2.num.39.*
Non obstat optiones. Quia in gratia ei derogatur
3 cùm decreto irritanti, quod † ligat etiam ignorantes, quantum ad nullitatem, Put. *dec.281 lib.1.* Præsertim cum gratia esset intimata Capitulo.

MELITEN. PORTIONIS.

Lunæ 13. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

Agitur de nullitate,& iniustitia sententiæ.

SVMMARIVM.

1 *Sententia est nulla, quando quis citatur ad comparendum infra terminum, in quo est impossibile quòd compareat.*
2 *Item, quando fuit lata non in die specialiter expressa, sed in alia vlteriori.*
3 *Clausula,* Etiamsi litigiosa, *efficit vt literæ Apostolicæ non sint subreptitiæ, licet in ijs non sit facta mentio litis vertentis.*
4 *Præsentatus, si est de familia, præfertur alijs.*

DECISIO CXXXIV.

PRo informante, sententiam Episcopi esse nullam, & iniustam,& consequenter reuocandam. Fundamentum nullitatis fuit: Quia Anibal fuit citatus ad comparendum infra terminum sex dierum, in
1 † quo erat impossibile quòd posset comparere Crescent. *dec.71 lib.1.* Put. *dec.150 lib.3.* Et quia fuit citatus ad sententiam pro certa die,& alijs sequentibus;
2 & † sententia non fuit lata in die specialiter expressa, nec in sequenti, sed in alia vlteriori, Crescent. *dec. 286.* Put. *dec.152. lib.2.*
Iniustitia visa est dominis clara: Quia Episcopus in sententia declarat litteras Apostolicas subreptitias, propter non factam mentionem litis,& tamen
3 † in litteris adest clausula, *etiam si litigiosa,* Achil. *dec. 8.de commiss.*
Placuit etiam dominis aliud fundamentum, quòd Anibal fuit præsentatus à medietate patronorum,& pro alia medietate fuit derogatum iuripatronatus;
4 Et † est de familia: ideo debebat præferri Lamber. *de iure patr.lib.2.par.3.quæst.5.art.16.* & tenuit alias Rota *in Causa Romana Capellaniæ de Caprzucchis de anno 1574. coram bon.mem. Cotta.*

BONONIEN. BONORVM DE MARRANO.

Lunæ 20. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

Locatio rerum Ecclesiasticarum, quando verè censeatur facta in euidentem vtilitatem; pro declaratione extrauag. *Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.*

SVMMARIVM.

1 *Extrauagans,* Ambitiosæ, *non habet decretum irritans.*
2 *Constitutio si mandat simpliciter sine clausula annullatiua, alicui habenti aliàs potestatem faciendi actum, illum fieri sub certa forma; actus non seruata tali forma, valet, licèt contrafaciens sit puniendus.*
3 *Iuramentum testium probatur ex enunciatiua Notarij, quando fuerit examinati coram Iudicibus commissarijs.*
4 *Informatio à testibus non iuratis tenet, quando Iudices possunt se extraiudicialiter informare.*
5 *Excessus limitis facultatis, ab eo est probandus, qui in illo se fundat.*
6 *In literis,* Si in Euidentem, *causa finalis est euidens vtilitas.*
7 *Pacta onerosa conductori, & vtilia Ecclesiæ, censentur pars pretij.*
8 *Ex confirmatione contractus resultat præsumptio vtilitatis.*
9 *Læsio, vel non euidens vtilitas Ecclesiæ probari debet ab illius Rectore.*
10 *Locationes aliorum bonorum non probant, ad effectum Extrauag. Ambitiosæ, si non sint eiusdem qualitatis cum bonis Ecclesiæ locatis.*
11 *Locatio si sit perpetua, & cum pactis onerosis conductori, fit diminutio sextæ partis pretij.*

DECISIO CXXXV.

IN alia propositione istius Causæ fuerat resolutum, locationem esse validam; quia concurrit vtrumq; requisitum, solemnitas,& causa. Sed quoniam pro parte Rectoris multa deducebantur, tam circa defectum solemnitatis, quàm causæ; volui eum iterum audire super eisdem. Et Dubio proposito, Domini fuerunt cócordes, quòd locatio sit valida, ex eisdem rationibus, quibus fuerunt moti in alia positione; non obstantibus his, quæ pro parte Rectoris adducuntur. In quorum responsione,& remotione consistit fundamentum istius resolutionis. Et in primis non obstat quòd processus, si in euidentem, non fuit factus ad instantiam Rectoris, nec eius procuratoris. Quia ex mandato procuræ probatur quòd fuit factus ad eius instantiam, cùm constituat procuratorem Galeatium de Acarisijs ad locandum bona Ecclesiæ, iuxta tenorem litterarum sibi concessarum.
Secundo non obstat, quòd in licentia concessa à Vicelegato non fuit inserta Bulla felic. record. Pauli Secundi, quam ipse iussit esse inserendam in omnibus Litteris,& Commissionibus. Quia Bulla non tribuit facultatem committendi causas super alienationibus bonorum Ecclesiæ, si in euidentem; sed solum imponit pœnas iudicibus commissarijs interpo-
1 nentibus decretum in læsionem Ecclesiæ; & non † habet decretum irritans: ideo alienatio, non inserta
2 Bulla, est valida. Quando † enim Constitutio habenti aliàs potestatem faciendi actum mandat simpliciter sine clausula annullatiua, illum actum fieri sub certa forma; tunc quamuis contrafaciens sit puniendus, tamen actus valet,& tenet glos. *in clement. 1. in verbo inhibentes, de iure patronat.* quam ibi sequuntur Card. *quæst.7.* Anchar. *in 3. notabili,* Imol. *num. 4.* & Abb. *num.1.* idem Abb. *cons.91.num.6.lib.1.* Præsertim cum ista insertio fieri debeat solum ad effectum, vt iudices certiorentur de pœnis in Bulla expressis.
Tertio non obstat quod testes non fuerunt iurati, cùm iuramentum non probetur ex enunciatiua No-
3 tarij. Quia testes † fuerunt examinari coram iudicibus commissarijs in quo casu ex enunciatiua Notarij probatur iuramentum, Bald. *in leg. iur.iu.nu. 2.* & Salicet. *num.4. Cod.de testibus,* & fuit resolutum *in causa Toletana Decimarum de Brea 21. Iunij 1585. coram*
4 *R.P.D. Blanchetto.* Præterea, cùm Iudices † potuerint se extra iudicialiter informare vt fuit resolutum, potuerunt sumere istam informationem à testibus non

iuratis, glos. *in cap. si duo*, & *ibi* Bald. *num.* 4 *tit. de pac. tenend. in vsib. feud.* Abb. *in cap. nobis sub num.* 5. *de elect.* Ias. *in repet. legis, admonendi num.* 220. *ff. de iur. iurand.*

Quarto non obstat, quòd licentia alienandi est restricta ad septem petias terræ; & locatio fuit facta de omnibus bonis Ecclesię. Quia conceditur Rectori licentia alienandi terras laboratiuas Ecclesiæ in villa Marrani consistentes in septem petijs distinctis; & in locatione conceduntur omnes petiæ terræ Ecclesiæ existentes in villa Marrani. Ideo si Rector prętendit quòd vltra terras laboratiuas consistentes in septem petijs adessent in villa Marrani aliæ petiæ terræ, quæ fuerint locatæ, & consequenter quòd Rector in locatione excesserit limites suæ facultatis; ip-
5 se † debet probare istum excessum, quia est fundamentum suæ intentionis.

Hoc autem dicebant domini non probari. Quia inuẽtatium de anno 1456. in quo enunciãtur decem petiæ terræ, vltra quod non est in forma probanti, præcedit istam locationem per 59. annos, & in contrarium vrgent plures coniecturæ, quæ bene deducuntur per informantes pro dominis de Fulchis.

Quinto non obstat, quòd si fuisset expressum, quòd locatio compræhendebat omnia bona Ecclesiæ, Vicelegatus non ita facilè concessisset. Quia vltra quod non constat quòd fuerint locata omnia bona Ecclesiæ; immò ex instrumento locationis sumitur coniectura in contrarium, cùm Rector locet omnes terras positas tantùm in villa Marrani, si fuisset hoc expressum quòd locabantur omnia bona Ecclesiæ, pariter Vicelegatus concessisset; cùm alienatio
6 esset vtilis Ecclesiæ; quia † in huiusmodi litteris, si in euidentem, concedens habet solum præoculis euidentem vtilitatem, tamquam causam finalem Socci. *cons.* 15 *num.* 50. *lib.* 1. Ruin. *cons.* 157. *num.* 25. & 26. *lib.* 1.

Sexto non obstat quòd in supplicatione non fuerunt expressi confines, quantitas, & qualitas istarum terrarum. Quia adest sufficiens expressio, cùm petatur licentia alienandi terras laboratiuas consistentes in septem petijs in villa Marrani.

Septimo non obstat, quòd licentia locandi, fuit concessa à Iudicibus commissarijs Rectori, & Prospero eius fratri, & tamen in supplicatione non fit mentio de Prospero: Quia hoc non impedit, quod ipse Rector non potuerit locare.

Præterea, si alienatio erat vtilis Ecclesiæ, hoc non mouisset Vicelegatum, quod alienatio esset facienda à Rectore, vel à Prospero de eius mandato; cùm in ista materia nihil aliud moueat concedentem facultatem, quàm euidens vtilitas Ecclesiæ, vt supra dictum est.

Octauo non obstat, quòd locatio fuit facta à Galeatio de Acarisijs non habente mandatum à Rectore. Quia de eius mandato constat in actis.

Vltimo non obstat, quòd pro parte conductoris, non probatur euidens vtilitas Ecclesiæ. Quia testes eam bene probant, cùm reddant concludentes rationes; & in alia positione fuit resolutum.

7 Præsertim concurrentibus † pactis onerosis conductori, & vtilibus Ecclesiæ, quæ sunt pars pretij; vt fuit resolutum *in Causa Auximana Bonorum* 21. *Nouembris* 1580. *coram R. P. D. Decano.*

8 Præterea respondebant Domini, quòd † ex confirmatione resultat præsumptio vtilitatis; vt per Bal.
9 *cap.* 1. *num.* 7. *qui feud. dar. poss.* Ideo onus † probandi læsionem, vel non euidentem vtilitatem, spectat ad Rectorem, Soccin. *dict. cons.* 15. *num.* 31. Couar. *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 17. *numer.* 2. & sensit alias Rota *in dicta Causa Auximana Bonorum sub die* 1. *Februarij*, & 21. *Nouembris* 1580. Et hoc procedit sine difficultate, quando cum solemnitate concurrit obseruantia; quæ non potest controuerti: cùm de anno 1534. Rector quietauerit hæredes Prosperi, pro Canonibus decursis. Istam autem probationem læsionis, vel non euidentis vtilitatis, aut aliam probationem, quæ eneruet probationem euidentis vtilitatis, dicebant Domini hic non adesse. Quia testes Rectoris non percutiunt tempus locationis; ideo non probant, non euidentem vtilitatem: præsertim, cùm de tempore, quo deponunt, valor bonorum esset auctus, & essent facta melioramenta à conductore.

Instrumenta autem locationum de alijs terris in villa Marrani, & alijs locis contiguis, minus probant
10 ad istum effectum; cùm † non probetur quod sint eiusdem qualitatis, Cagnol. *in leg.* 2. *num.* 233. *Cod. de rescind. vendit.* Immo probatur contrarium: quia istæ petiæ locatæ erant vitatæ, arboratæ, & habebant domos, & tegetes: quæ omnia in istis terris deficiebant. Tanto magis, cùm concurrant pacta onerosa
11 conductori, & locatio sit perpetua: quo † casu fit diminutio sextæ partis, Authent. *perpet. Cod. de Sacrosan. Eccles.* Ias. *consil.* 54. *num.* 25. *lib.* 1. Et pariter tempus calamitosum belli iam antea cessauerat; & non probatur quòd tempore locationis duraret effectus in de causatus, scilicet vilitas pretij rerum: immo appa ret fuisse habitam rationem conditionis bonorum, temporum, cùm redditus istarum terrarum non ascenderent ad eam summam; quæ fuit promissa pro Canone; & adsint pacta onerosa conductori. Ideo conclusum, locationem esse validam.

ROMANA PECVNIARIA.

Veneris 24. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

Pecunia deposita penes Bancherium, in casu decotionis depositarij, cui amittatur.

SVMMARIVM.

1 *Quando non interuenit delegatio, fallimentum non cedit damno creditoris, sed debitoris.*
2 *Confessio, quantumuis clara, non præiudicat tertio.*
3 *Deponens pecunias, ad effectum vt liberetur, debet à se abdicare dominium.*
4 *Deponens, etiam in casu, quo depositum reuocare non possit, remanet dominus pecuniarum.*
5 *Depositum quando non est iudiciale, censetur factum sine consensu creditoris, nullumque ei infert præiudicium.*
6 *Creditor, in materia depositi, non tenetur de negligentia sui procuratoris in exigendo.*
7 *Declaratur textus in* leg. procuratorem, Cod. mand. & in leg. dolus ff. eod.

DECISIO CXXXVI.

PLures fuerunt excitatæ difficultates.

Prima fuit, An per ordinem Illustrissimi Dom. Marchionis directum Dominis de Vbertinis, quòd

foluant

soluant Illustrissimæ D. Olympiæ scuta duo millia, consignatum Ludouico Gentili, ipse fuerit liberatus, ita quod fallimentum cedat damno D. Olympię. In qua visa est Dominis res clara ad fauorem Dom.
1 Olympię. Quia † quando non interuenit delegatio, fallimentum non cedit damno creditoris, qui recepit ordinem ad effectum vt sibi solueretur; sed debitoris, qui dedit ordinem; vt fuit resolutum *in Causa Bononien. Pecuniaria de Amerinis 15. Ianuarij 1581. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, & in Causa Venetiarum Litterarum Cambij 23. Maij 1593. coram R.P.D. Gipsio; & in Causa Romana Litterarum Cambij 13. Martij, & 10. Maij huius anni coram eodem.*

Secunda fuit difficultas, An istud depositum in banco de Vbertinis fuerit factum cum consensu D. Olympiæ. Et in hac Domini tenuerunt, non constare quòd depositum sit factũ cum eius consensu. Quia confessio Illustrissimi Cardinalis non est expressa, & clara, sed tacita, & turbida, cùm possit intelligi, quòd annuerit quantum ad depositum, quod debebat fieri, de quo cum eo tractabatur præsertim, cùm quintus testis subdat, quod non intellexit quid Cardinalis vo
2 luerit inferre. Addebant etiam, quod si † confessio esset clara, non posset in hoc præiudicare D. Olympiæ Egid. *dec. 627. & 628.*

Nec placuit fundamentum, quòd decretum Illustrissimi Cardinalis, quòd pecuniæ ponantur in bãco de Vbertinis, præsumatur factum ad instantiam D. Olympiæ, cuius commodum concernebat. Quia cùm D. Marchio esset ei obligatus in forma Cameræ, non habebat aliquod interesse considerabile, quod debuerit eam mouere ad faciendam istam instãtiam, quæ ei non poterat esse nisi damnosa, vt exitus docuit. Præsertim, quia decretum non dicit, quod pecuniæ depositatæ soluantur D. Olympiæ; sed quod D. Marchio ei soluat. Ideo requirebatur eius ordo, &, si nolebat facere ordinem erat necessaria noua lis: Et non est verisimile, quòd D. Olympia, quæ habebat remedium facile, & expeditum consequendi suum creditum, voluerit se subijcere istis difficultatibus.

Tertia difficultas fuit, An D. Marchio fuerit liberatus per illud depositum, vti factum de mandato Iudicis? Et Domini pariter fuerunt cõcordes, quod
3 non fuit liberatus. Quia ad istum † effectum vt deponens liberetur, est necessarium quòd abdicet à se dominium, Bartol. *in leg. si soluturus num. 5. ff. de solut.* Paul. *in leg. acceptam num. 12. Cod. de vsur.* Et in casu isto neque Illustrissimus Cardinalis intellexit, quòd D. Marchio deberet à se abdicare dominium, cùm decreuerit, quòd ipse soluat pecunias depositatas D. Olympiæ neque ipse voluit à se abdicare, cùm in banco istæ pecuniæ fuerint depositatæ, ad eius creditum, & postea fecerit ordinem Vbertinis, quod soluant D. Olympiæ; additis etiam quibusdam conditionibus, quæ omnia repugnant abdicationi domi-
4 nij. Et licèt † fortasse non potuisset reuocare depositum, tamẽ interim remansit Dominus pecuniarum; vt fuit resolutum *in Causa Romana Vineę 5. Iunij 1579. coram Reuerendissimo D. Episcopo Oriolensi.*

Considerabant etiam Domini, quòd depositum
5 non fuit iudiciale: Quia D. Olympia † non fuit citata; & quia Illustrissimus Cardinalis non erat iudex istius causæ, sed solum Montium. Ideo per istud depositum factum sine eius consensu non fuit ei illatum præiudicium.

Vltima difficultas fuit, An saltim D. Olympia teneatur ex negligentia in exigendo sui Agentis, qui receperat ordinem? Et Domini dixerunt, quòd si non tenetur de negligentia creditor principalis, qui recepit ordinem, cessante delegatione, vt fuit resolu-
6 tum in dictis causis; multo † minus debet teneri de negligentia sui Agentis, cui ordo fuit consignatus.

Nec obstat text. *in leg. procuratorem Cod. mand. &*
7 *in l. dolus, ff. eod.* Quia † in illis datur solum actio domino contra procuratorem negligentem, qui acceptando mandatum, tenebatur ad diligentiam. Et ideo conclusum, fallimentum DD. de Vbertinis cedere damno Domini Marchionis.

ROMANA HÆREDITATIS.

Veneris 24. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

De mora in adimplendo, &, an possit purgari, saltem de æquitate canonica? Ad intellectum legis, *Si quis maior, Cod. de transact.*

SVMMARIVM.

1 *Ex mora in omittendo successiua, & continuata, concurrentibus interpellationibus, & contrauentione, probatur sufficienter dolus, ad hoc, vt habeat locum dispositio legis,* Si quis maior, Cod. de transact.

2 *Lex,* Si quis maior, *non habet locum in Vniuersitate, quantum ad pœnam periurij, & infamiæ: secus, quantum ad priuationem commodi contractus.*

3 *Lex,* si quis maior, *habet locum in Actore, & non in Reo. Contrarium num. 4.*

5 *Iuramentum eundem effectum operatur contra reum inobseruantem, quàm contra actorem.*

6 *Claudicatio contractus, præsertim in correlatiuis, induci non debet.*

7 *Implementum in parte non facit cessare dispositionem legis,* si quis maior, *concurrente noua mora.*

8 *Remissio moræ præcedentis, stante noua mora, & contrauentione, non excusat.*

9 *Mora, de æquitate canonica, non solet purgari, quando cõtumacia est nimia, & concurrit lapsus temporis notabilis, cum declaratione in contrarium.*

Contrarium num. 10.

10 *Purgatio moræ semper admittitur de æquitate canonica, quando ius alterius non est factum deterius: Etiamsi opponatur de adimplemento, & de rescissione, & numero 11.*

12 *Clausula,* & non aliàs, *habet vim resolutionis contractus.*

13 *Purgatio moræ non admittitur, quando contractus est resolutus.*

14 *Purgatio moræ peti non potest, stante declaratione non acceptationis contractus; nisi prius declaratio reuocetur.*

15 *Ius alterius censetur factum deterius, propter expensas factas in litibus.*

16 *Ius alterius quando est factum deterius ob culpam Partis, non est locus purgationi moræ; attenta etiam æquitate canonica.*

DECISIO CXXXVII.

CVm Domina Camilla della Porta, & D. Constantius eius filius, haberent diuersas prætensiones contra Venetabilem Archiconfraternitatem Sanctissimæ Trinitatis hæredem Francisci della Porta, fuit inter eos inita transactio, in qua fuit hinc inde renunciatum omnibus prætensionib. De hac transactione pro parte Societatis, ad effectum impediendi processum in Causa, fuit coram me oppositum: ideo dubitaui, An transactio obstaret Camillæ, & Constantio, ita vt non possit agere? Et Domini distinxerunt Dubium in duas difficultates principales,

Quarum prima fuit, An propter moram Societatis in adimplendo, vel propter contrauentionem, sit factus locus dispositioni Legis, *si quis Maior*, *Cod. de transact.* ita quod Societas fuerit priuata cõmodo contractus, & exceptio transactionis non obstet Corneliæ, & Constantio.

Altera difficultas fuit, præsupposito quòd Societas fuerit in mora in adimplendo vel contrauenerit; & quòd sit locus dispositioni dictę legis, *si quis Maior*, An saltim ista mora possit purgari.

Quantum ad primam difficultatem, Domini fuerunt concordes, quòd sit factus locus dispositioni legis, *si quis maior*, & ideo transactio non obstet Camillæ, & Constantio: Quia concurrunt omnia eius requisita, Nam contractus est iuratus, & fuit adimpletus in tempore à Camilla, & Constantio. Mora Societatis in adimplendo est magna, & inexcusabilis: quia fuit pluries iudicialiter interpellata ad adimplendũ pro parte sua, & noluit adimplere. Adest etiã contrauentio expressa: quia transactio debebat ratificari à Congregatione generali, & Deputati ab ea declarauerunt, quòd cum essent præiudicialia Societati, volebant solum acceptare transactionem quantum ad summam scutorum 1600. & cum certis con-
1 ditionibus, & non alias. Et † ex ista mora in omittendo successiua, & continuata quasi per biennium, concurrẽtibus tot interpellationibus, & contrauentione in declarando, quod nolebat stare contractui probatur sufficienter dolus ad effectum, vt sit locus dict. legi, *si quis maior*, vt fuit resolutum *in Causa Mediolanen. Frumenti 16. Octobris* 1587. *coram Reu. P. D. Orano*, & *in Causa Beneuentana Transactionis 23. Ianuarij 1593. coram R. P. D. Pegna*,

2 Non obstat quòd † Lex *si quis maior*, non habet locum in vniuersitate. Quia hoc procedit quantum ad pœnam periurij, & infamiæ; non autem quantum ad pœnam priuationis commodi contractus, Ias. *consil*, 118. *num.* 13. *lib.* 1. *& in dict. leg. si quis maior num.* 7. *&* 8. & *ibi* Curt. Iun. *num.* 22. & Cagnol. *num.* 17. Purpur, *cons.* 536. *num.* 20. & fuit resolutum in dictis causis, *Mediolanen. Frumenti*, & *Beneuentana transactionis*.

3 Non obstat, † quòd lex, *si quis maior*, habet locum in actore, & non in Reo. Ant. de Prat. vet. inter cons.
4 Alex. *cons.* 49. *num*, 16. *lib.* 4. Quia ista † limitatio habet contra se communem opinionem, quam tenent *in dict. leg. si quis maior*, glos. *in vers. consequitur*, Bartol. *num.* 12. Salic. *sub num.* 15. Iacobus de Sancto Georgio, *num.* 63. Thom. Parpal. *num.* 109. & Curt. Iun. *num.* 28. qui testatur de cõmuni contra dictam quæstionem Anton. de Prat. ver. Ruin. *cons.* 172. *num.* 1. *&* 2. *lib.* 4. Caccialup. *de transact. quæst.* 15. Ant. Gabr. *de transact. conclus.* 1. *num.* 57. Et ita opinio communis placuit Dominis: quia, vt bene deducit Ruin. *in dict. cons.* 172.
5 iuramentum † operatur eundem effectum, tam contra Reum inobseruantem, quàm contra actorem: &
6 quia † non debet induci claudicatio contractus, præsertim in correlatiuis.

Non obstat, quòd per solutionem certæ summæ factam Constantio, mora fuit remissa. Quia solutio fuit facta in continenti post transactionem; & societas postea declarauit, quod nolebat acceptare transactionem; & licèt fuerit interpellata tamen semper
7 perseuerauit in sua contumacia. Et † implementum in parte non facit cessare dispositionem, leg. *si quis maior*, concurrente noua mora, Rub. Alex. *consil.* 30. *num.* 2. *&* 3. Brun. *cons.* 48. *num.* 10. Ant. Gabr. *dicta conclus.* 1. *num.* 4.

Non obstat, quod Camilla, & Constantius petierunt in Commissione executionem transactionis. Quia hoc posset excusare Societatem, si postea adimpleuisset pro parte sua; sed neque ipsa curauit adimplere, neque Camilla, & Constantius permanserunt in eadem voluntate: quia post obtentam Commissionem declarauerunt de nouo caducitatem, & petierunt census decursos deductos in transactione, & pro illis obtinuerint mandatum, & Societas incurrendo nouam contrauentionem, opposuit per viam compensationis de debito ipsius Camillæ, pariter de-
8 ducto in transactione; Ideo, stante † noua mora, & contrauentione, remissio moræ præcedentis, non potest excusare Societatem, Caputaq. *dec.* 316. *par.* 3.

Quantum ad secundam difficultatem, Domini non fuerunt concordes in fundamento principali; An attenta æquitate canonica, Societas possit purgare moram.

Aliqui enim tenebant, quòd in isto casu cessaret
9 ista æquitas canonica. Et mouebantur: quia † videbatur eis nimis magna contumacia Societatis, cùm concurrant plures interpellationes iudiciales, iteratæ acceptationes caducitatis, lapsus temporis notabilis, & declaratio Societatis, quòd nolebat acceptare transactionem. Et placebat istis dominis *cons.* Gozad, 57. *num.* 18. & *decisio in Causa Romana Caducitatis coram Capitaqu.* & fuit etiam allegata alia decisio *in Causa Farfen, Grani 4. Decembris* 1577. *coram R. P. D. Blanchetto*,

10 Alij vero contrarium sentiebant: quia † de æquitate canonica semper admittitur purgatio moræ, quando ius alterius non est effectum deterius, *capit. suam de pæn. cap. apud misericordem* 32. *quæst.* 1. Alex. *in dict. leg. si quis maior num.* 7. & *ibi* Ias. *num.* 26. & Iacob de Sancto Georg, *num.* 43. Dec. *cons.* 138. *num.* 7. Et istam opinionem sæpius secuta est Rota; veluti *in Causa Tarraconen. Concordiæ: Romana Mutui 26. Feb. 1567. coram S. D. N. Romana Affictus Casalis 21. Nouembris 1572. coram D. Episcopo Oriolen. &. Romana de Mannellis 19. Nouembris 1582. coram R. P. D. Decano*.
11 Et hoc videtur † etiam procedere, stante oppositione de non adimplemento, & de rescissione. Afflict. *dec.* 280. & sensit alias Rota *in Causa Cornetana Bonorum 28. Iunij 1579. coram S. D. N.* Tanto magis cum fuerit soluta certa summa. Nam, vt inquit Aret. *in leg. si ita quis. §. Scia, col.* 4. *ff. de verb. obligat.* mitius agitur cum eo qui partem soluit, quàm cum eo, qui nihil soluit.

Sed

Sed omisso isto capite ex alijs duobus fundamentis, quæ e. o præsupponebam in facto pro veris, Domini concluserunt non esse locum purgationi moræ.

Primum fundamentum fuit, quod res non est integra. Nam deputati à Congregatione generali, quæ habet supremam auctoritatem, declarauerunt, quod solum volebant acceptare transactionem quantum ad summam scutorum 1600. Cum istis conditionibus, quatenus Camilla, & Constantius ratificarent infra mensem; & solutio istius summæ posset
12 fieri ex bonis hæreditatis, & non alias. Quæ † clausula, *& non alias*, non secuta ratificatione Camillæ, & Constantij infra mensem, habet vim resolutionis contractus, Tiraq. *de retract. lignag. §. 8. glos. 6. num. 2.* & *de retract. conuent. §. 4. glos. 7. num. 14.* Præsertim, cum postea pro eorum parte fuerit acceptata caducitas:
13 & † stante resolutione contractus non est amplius locus purgationi moræ, Put. *decis. 66. lib. 3. & decis. 11. de transact.* Ant. Aug. *cod. tit. §. vltimo* Grat. *resp. 93. num. 6. lib. 1.* Et fuit resolutum *in Causa Vrbeuetana Deuolutionis 15. Iunij 1579. coram bonæ memoriæ Domino Brauo.*

Quod dicebant Domini, tanto magis procedere: quia Congregatio generalis nunquam reuocauit declarationem factam à deputatis ab ea, quòd Societas volebat solum acceptare transactionem quãtum
14 ad summam scutorum 1600. Et † sine ista reuocatione non possunt hodie officiales, impugnando factum Congregationis generalis, petere obseruãtiam transactionis, & purgationem moræ, *cap. cum inferior, de maior. & obed. clem. ne Romani de elect.* glos. Bartol, Bald. Paul, & alij *in authent. quæ supplicatio; Cod. de precib. imp. offer.* Paris. *cons. 118. num. 6. lib. 1.*

15 Aliud fundamentum fuit, quod † ius Camillæ, & Constantij est effectum deterius, tum propter expensas factas in litibus coram diuersis iudicibus, Gozad. *dict. cons. 57. num. 18.* Tum etiam quia iuxta formam transactionis, Societas debebat eis soluere scuta 1600. vel tradere domum prout ipsis magis expediebat; & ipsi elegerunt domum, & propter renitentiam Societatis non potuerunt eam habere, nec percipere pensiones, quas percepissent, si domus eis fuisset tradita. Vnde cum propter culpam Societatis ius ipsorum sit effectum deterius, & Societas non offerat eis soluere interesse passum, immo prætendat, quòd certæ summæ pecuniarum, quæ eis fuerunt solutæ, ponantur in computum dictæ summæ scutorum 1600. etiam attenta æquitate canonica, non est locus purgationi moræ, Ial. *cons. 82. num. 5. lib. 1.* Gozad. *dicto cons. 57. num. 18.* Ant. Gabr. *dict. concl. 1. num. 14.*

ROMANA ALIMENTORVM.

Veneris 1. Decembris 1595.

ARGVMENTVM.

Filiationis probatio ex quibus excludatur.

SVMMARIVM.

1 *Filius quando possibile est esse natum ex matrimonio, ex eo natus esse præsumitur; nisi contrarium probetur.*
2 *Nec ista præsumptio eliditur per educationem, tractatum, & confessionem adulteri.*
3 *Testes contra præsumptionem filiationis legitimæ non admittuntur, nisi sint omni exceptione maiores.*
4 *Coniecturæ, ex quibus præsumi possit, filium natum in figura matrimonij, esse adulterinum.*

DECISIO CXXXVIII.

DOmini resoluerunt non constare, quòd Io: Baptista sit filius Francisci Baboletti. Ratio potissima decisionis fuit, quia Emilia tempore conceptionis, & natiuitatis habebat maritum, & non probatur aliquod eius impedimentum, neq; quod ad eam non potuerit habere accessum, immo datur fides in contrarium. Ideo Io: Baptista præsumitur filius ma-
1 riti, & nõ adulteri: quia quando † possibile est filium esse natum ex matrimonio, ex eo natus præsumitur, nisi contrarium probetur, *leg. miles, §. defuncto, ff. ad le. Iul. de adult,* Cin. & Alberic. *in leg. si vicinus, num. 3. Cod. de nupt.* Alex. *cons. 88. num. 8. lib. 3.* Curt. Iun. *consil. 31. num. 5.*

Non obstant educatio, tractatus, confessio Adul-
2 teri, & aliæ coniecturæ: Quia non † sufficiunt ad effectum excludendi istam præsumptionem, Achil. *decis. 1. de filiat. alias 139.* Vltra quod etiam testes patiuntur exceptiones, vt bene deducunt informantes pro
3 Claudia, & contra † istam præsumptionem non admittuntur testes, nisi sint omni exceptione maiores, Rimin, *cons. 289. num. 12. & 13.*

Non obstat, quod Samen. *in reg. de annal. quæst. 58.* refert, *in Causa Placentina legati coram eo*, fuisse resolutum quod præsumptio *dict. §. defuncto*, cessat quando adsunt plures præsumptiones, quod sit filius adul-
4 teri. Quia † in illa causa concurrebant nominatio, & reputatio consanguineorum, & amicorum; fama communis vicinorum; similitudo lineamentorum adulteri; & pariter vti eius filius fuerat baptizatus, legitimatus, & in testamento ei legatum relictum Achil. *dict. dec. 1.* Mohed. *dec. 85. alias 115.* Quæ omnia hic deficiunt. Et ideo conclusum, non constare de filiatione.

ROMANA REMISSIONIS AFFICTVS.

Veneris 15. Decembris 1595.

ARGVMENTVM.

Remissio affictus peti potest in casibus insolitis; etiamsi illi sit renunciatum. Casus insolitus, quis dicatur.

SVMMARIVM.

1 *Casus insolitus probatur per testes deponentes, quòd similis casus nunquam fuit visus.*
2 *Promissio de non petendo remissionem ex quavis causa, non intelligitur de casibus insolitis; contra Baldum, & alios.*
3 *Casus præuisus non connumeratur inter insolitos.*
4 *Inter casus insolitos dantur gradus.*
5 *Casibus insolitis, qui verisimiliter præuideri non possunt, non intelligitur renunciatum.*

DECISIO CXXXIX.

IN dubio per me proposito in hac causa, An sit facienda remissio D. Mutio, quia per informantes, hinc inde plures excitabantur difficultates, Domini firmarunt aliquas conclusiones, Et primo, quòd satis verificatur, quod per aliquot annos ante tempus locationis, & tempore locationis, in istis casalibus,

bus, & in locis vicinis non aderant banniti, vt bene deponunt 2. super 2. 3. iuxta 24. & super 2. 4. super 2. 5. iuxta 37. & super 2. 6. iuxta 14. & 21. 10. iuxta 14. Vel saltim numerus bannitorum erat exiguus, & damna, quæ ab eis inferebantur dominis, & conductoribus Casalium, erant multum leuia, vt deponunt 12. & 14. super 3. & 3. & 8. testes Dominorum de Casarellis super 2. & 10. super 2. & 3.

Secũdo fuit firmatum, probari quòd post obitum Sanctæ memo. Sixti V. superuenit magnus numerus bannitorum, qui postea fecerunt grauissimos excessus, & intulerunt maxima damna Dominis, & conductoribus Casalium, & in specie in istis Casalibus D. Mutio: Et quòd à memoria hominum non fuit tantus numerus bannitorum, neque vnquam ab eis fuerunt illata tot damna, vt deponunt 2. iuxta 22. 23. 30. 31. & super nono, & 11. 4. iuxta 22. & super 9. 5. iuxta 22. 30. 34. & super 9. 6. iuxtà 23. 7. iuxta 22. & super 5. 9. 14. 15. & 18. 10. iuxta 22. 24. super 2.

Et quatuor nobiles Romani, inter quos adsunt duo senes, 3. super 9. 11. 12. 13. super 2.

Et ex his duabus conclusionibus inferebant Do-
1 mini, quòd iste est casus insolitus: quia † sufficit ad istum effectum quod per testes probetur, quod similis casus nunquam fuit visus à recordatu ipsorum, Alexand. *cons.* 28. *num.* 10. *lib.* 1. Caputaqu. *dec.* 1. *lib.* 2. *in manuscr.* & *decis.* 96. *par.* 1. *in impress.* Guidob. *decis.* 79. Accoramb. *decis.* 39. *lib.* 2. Et consequenter cum sit casus insolitus, renunciatio nõ obstat D. Mutio, vt
2 non possit petere remissionem: Quia † promissio de non petendo remissionem ex quauis causa, & occasione, non intelligitur de casibus insolitis, Bart. *in leg. sed & si quis, §. quæsitum, num. 3. in fin. ff. si quis caut.* Bald. *consil.* 119. *lib.* 1. *& consil.* 145. *sub num.* 1. *lib.* 3. Alexand. *dict. cons.* 28. *num.* 10. *& cons.* 107. *num.* 16. *lib.* 3. Corn. *cons.* 23. *sub num.* 13. *lib.* 2. Rip. *in tract. de priuil. caus. pest. numer.* 97. Purpur. *cons.* 465. *numer.* 17. Grat. *resp.* 94. *num.* 42. *lib.* 2. Natta *cons.* 356. *num.* 5. Aim. *cons.* 95. *num.* 2. Tiraq. *de legib. connub. glos.* 7. *nu.* 108. Roland. à Vall. *cons.* 45. *num.* 16. *cum seq. volu.* 3. Andr. Gail. *pract. obseru. lib.* 2. *obseru.* 23. *num.* 19.

Et licet Baldus *in dict. leg. sed & si quis, §. quæsitum, num.* 4. & *ibi* Aug. & Fulgos. & Alex. *num.* 15. Iacobus de Sancto Georgio *sub num.* 12. Roman. *sub num.* 9. & alij multi dissentiant ab ista opinione, Tamen opinio Bartol. est magis recepta vt testatur Ripa, Grat. Roland, à Valle, & Andreas Gail in dictis locis, & Ioan. Guttier. *in tract. de iuram. cap.* 24. & sæpius tenuit Rota, vt per Mohed. *dec.* 236. Put. *dec.* 3. *de transact.* & fuit resolutum *in Causis Nursina Lacus, & Andrien. Pensionis*, vt per Caputaquensem, Guidob. & Accoramb. *in dictis decisionibus.*

Non obstat quòd iste casus fuit præuisus: cum, vt testes deponunt, ista Casalia ex sua natura sint subiecta bannitis, & in specie adesserit tempore locationis; & multum verisimile est quod D. Mutius sciuerit
3 eorum statum, & conditionem ideo † iste casus non connumeratur inter insolitos, Alex. *cons.* 112. *num.* 4. *lib.* 2. Quia testes D. Mutij, qui sunt plures numero, & reddunt rationes magis concludentes, deponunt cõtrarium, quòd tempore locationis non aderant banniti. Quod etiam deponit 12. testis Dominorum de Caffarellis iuxta 13.

Pręterea, si aderãt banniti, numerus erat exiguus, cui facile ressisti poterat: impedimẽta etiam, & damna, quæ ab eis tunc inferebantur, erant leuia, & tolerabilia, vt deponunt testes vtriusque partis; Ideo notitia D. Mutij de statu casalium, potuit solum operari, quòd cogitauerit, & susceperit in se similem casum, non autem, quòd censeatur cogitasse quòd postea deberent superuenire banniti in tanto numero, & ei inferre tot damna. Vt enim bene deducit Corn. *in dict. cons.* 23. *num.* 12. & *in cons.* 12. *num.* 5. *& 6. lib.* 4.
4 inter † casus insolitos dantur gradus. Nam aliqui in genere verisimiliter pręuideri, & excogitari possunt: aliqui vero sunt ita insoliti, quòd verisimiliter præui-
5 deri non possunt; & propterea † illis non intelligitur renunciatum. Et Corneum sequuntur Ripa *in dict. tract. num.* 99. Purpur. *dict. cons.* 465. *num.* 18. Cels. Hug. *cons.* 18. *num.* 4.

Et tanto magis, cùm scientia Domini Mutij, quòd in istis Casalibus tempore locationis adessent banniti, non probetur concludenter, & decimus testis iuxta 20. deponit quòd D. Mutius se contulit ad ista Casalia ante quam ea accepit in locationem, & ab hominibus Ardeæ, & alijs fuit certificatus, quòd in eis non aderant banniti. Et quintus etiam super secundo facit vrgens adminiculum, quòd D. Mutius non suspicabatur adesse bannitos in istis Casalibus. Ideo conclusum, renunciationem non obstare D. Mutio.

PAMPILONEN. PRIORATVS DE VXVE.

Lunæ 18. Decembris 1595.

ARGVMENTVM.

Agitur de distinctione Prioratus à Parochiali.

SVMMARIVM.

1. *Alleganti Prioratum esse diuersum à Parochiali, onus incumbit probandi diuersitatem.*
2. *Prioratum non esse distinctum à Parochiali, probatur ex multis, de quibus hic.*
3. *Actor si plenè probauit intentionem suam, reus etiam debet plenè, & concludenter probare suam exceptionem.*
4. *In multis Ecclesijs Hispaniæ adsunt simul Regulares, & Beneficiati sæculares.*
5. *Prior non habens titulum in alia Ecclesia, debet residere in illa, cuius cura ad ipsum spectat; & seruire per seipsum.*
6. *Ecclesiæ curatæ non dantur Monasterijs in titulum.*
7. *Qui non potest per seipsum seruire in personali, & dependenti; satis est quòd per seipsum seruiat in personali, & per Vicarium in dependenti.*

DECISIO CXL.

PLures fuerunt excitatæ difficultates, Prima, Cui incumbat onus probandi diuersitatem Prioratus à Parochiali? In qua Domini resoluerunt; quòd istud onus spectat ad Priorem. Quia cùm constet Ecclesiam esse parochialem, & Prior excipiat, quòd teneatur ad residentiam personalem, quia Prioratus est di-
1 uersus à Parochiali, in ista exceptione est actor; & † ideo illam probare tenetur vt fundamentum suæ intentionis, *leg.* 1. *& 2. ff. de excep.*

Secunda difficultas fuit, Præsupposito quòd istud onus spectet ad Incolas, An ab eis probetur concludenter quòd Prioratus non sit diuersus à Parochiali? Et Domini tenuerunt, quòd ab Incolis affertur probatio

batio concludens, quòd Prioratus non est diuersus à
2 Parochiali. Mouebantur ex † denominatione, ex confessione Prioris, ex diuersis enunciatiuis, & quia concurrunt plures coniecturæ: Nam dos istius Prioratus consistit in decimis, & fructibus huius Ecclesię, in ea Prior habet primam sedem, & non cōstat quod habeat titulum in alia Ecclesia; Et ex his omnibus plene, & concludenter probatur intentio Incolarū.

Tertia, & vltima difficultas fuit, An ista probatio Incolarum elidatur ex probatione Prioris? In qua
3 fuit conclusum pro negatiua. Quia † quando actor plene probauit suam intentionem, reus etiam debet plene, & concludenter probare suam exceptionem. Egid. *decis.* 617. Put. *decis.* 406. *lib.* 2. Felin. *in cap. in pręsentia, num.* 12. *& ibi* Dec. *num.* 48. *& 49. de probat.*

Istam autem probationem concludenter dicebāt Domini hic non adesse. Quia licet Prioratus sit regularis, & alij beneficiati sint sæculares; tamen hoc
4 non concludit diuersitatem; cum † in multis Ecclesijs Hispaniæ adsint simul regulares, & beneficiati sæculares. Vltra quod ista diuersitas non esset releuans ad effectum excusandi Priorem à seruitio per-
5 sonali. Quia cùm † non habeat titulum in alia Ecclesia, & cura istius spectet ad ipsum, debet in ea residere, & seruire per se ipsum. *Clem.* 1. *§. sane de stat. Monach.*

Prout etiam non concludit depēdentia Prioratus à Monasterio Montis Aragonum. Quia ista dependentia non facit, quod Prior non possit habere titu-
6 lum in ista Ecclesia; cùm † Ecclesiæ curatæ non dentur Monasterijs in titulum Vitalin. *in Clement.* 1. *num.* 97. *de excess. prælat.*

Præterea dependentia excusaret, si probaretur quòd Prior teneretur seruire in Monasterio Montis
7 Aragonum: nam † cùm non possit seruire in personali, & dependenti per se ipsum; sufficit quòd seruiat in personali per seipsum, & in dependenti per Vicarium, *capit. exstirpandæ, §. qui vero, de præbend.* Sed cum Prior non teneatur seruire in Monasterio, cessat ratio impossibilitatis considerata in dict. *§. qui vero:* ideo debet in sua Ecclesia seruire per seipsum.

Nec mouit Dominos actus capitularis in Monasterio Montis Aragonum, in quo interuenit Prior: Quia est vnicus actus, & de re spectante ad interesse Prioris; in quo etiam interuenerunt procuratores Vniuersitatis, qui non erant de Capitulo: Ideo Prior potuit interuenire pro suo interesse. Et licet Prior nominetur inter eos, qui habent officia in Monasterio, tamen potuit nominari ratione sui Prioratus. Vltra quod hoc non concludit necessario diuersitatem: quia potest esse quod Canonicus Regularis tunc obtineret illum Prioratum, vt beneficium separatum, & destinatum à Monasterio.

REGIEN. CANONICATVS, ET PRÆBENDÆ.

Veneris 26. *Ianuarij* 1596.

ARGVMENTVM.

De vi clausulæ, *Cum potestate citandi quos opus fuerit.*

SVMMARIVM.

1 *Clausula,* Cum potestate citandi quos opus fuerit, *apposita in Commissione, operatur vt citati, vel venientes ad causam pro suo interesse possint condemnari.*

DECISIO CXLI.

Fuit resolutum, propositis memorialib. loco Causæ, quantum ad Dominos Fabritium, & Octauium, non adesse defectum iurisdictionis, & ideo esse condemnandos in fructibus, & distributionibus ab eis perceptis.

1 Fundamentum Dominorū fuit: quia † in Commissio adest clausula, *Cum potestate citandi quos opus fuerit:* quæ clausula operatur vt citati, vel venientes ad causam pro suo interesse, possint condemnari, Put. *decis.* 25. *de iudic.* Vnde cum ipsi constituerint procuratorem Dom. Alphonsum Cataniam, qui comparuit in Causa eorum nomine, & vti eorum procurator fuit citatus à Domino Alexandro, cessat defectus iurisdictionis.

TIBVRTINA CASTRI ARSVLARVM.

Lunæ 12. *Februarij* 1596.

Summarium ponitur loco Argumenti.

SVMMARIVM.

1 *Taxatio fit iuxta dictum testium percutientium tempus venditionis, & qui concordent in minori summa.*

DECISIO CXLII.

Domini, attentis solum testibus D. Lepidi, taxarunt valorem grani ad rationem iuliorum 36. pro quolibet rubro Fundamentum principale fuit factum in duobus primis testibus, qui percutiunt tempus venditionis, & sunt concordes in minori summa iul. 36. iuxta decisionem Caputaq. 299. *par.* 3. quibus etiam faciunt adminiculum alij testes vt bene deducunt informantes pro Domino Lepido.

CIVITATIS CASTELLI BONORVM.

Lunæ 19. *Februarij* 1596.

ARGVMENTVM.

A sententia lata in spolio, quomodo detur appellatio. Ægidiana an habeat locum in secunda instantia.

SVMMARIVM.

1 *A sententia lata in spolio non datur appellatio ad effectum suspensiuum.*

2 *Sententia est nulla, & iniusta, quando exceptiones oppositæ non iustificantur.*

3 *Aegidiana habet locum, etiam in secunda instantia.*

DECISIO CXLIII.

Domini resoluerunt, executionem non esse reuocandam vti attentatam. Moti fuerunt: quia
1 sententia A. C. fuit lata in spolio, ideo † ab ea non dabatur appellatio ad effectum suspensiuum, & consequenter possessio eius vigore capta, pendente appellatione, non est attentata.

Non obstat, quod non competebat actio spolij Franciscæ, & Liuiæ, cùm Iulia esset immissa in possessionem vigore sententiæ Gubernatoris Ciuitatis Castelli. Quia fuerat oppositum, quòd persona Iuliæ non erat legitimata, & quod non constabat de identitate bonorum; & ista non fuerunt iustificata: ideo
2 † sententia Gubernatoris est nulla, & notorie iniusta;

&

& consequenter Francisca, & Liuia potuerunt agere spolio, Caputaq. *decis.*112.*par.*2.

3 Non obstat, quod † Egidiana non habet locum in secunda instantia. Quia contrarium fuit resolutum coram me in *Causa Romana Secretariatus* 29. *Nouembris* 1592. per decisionem Pereg. 201.*lib.* 2.

LEODIEN. CAPELLANIÆ.

Lunæ 4. Martij 1596.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Actore non iustificante suam Gratiam, reus possessor debet absolui.*

DECISIO CXLIV.

Domini resoluerunt, sententias vti iniustas esse reuocandas. Quia Lambertus † est actor, &
1 non iustificauit suam gratiam: ideo Laurentius reus & possessor debebat absolui Compost. *in cap. mandatum de rescript.* Rot. *dec.*1. *de re iud. in nou.* Dec. *in leg. qui accusare num.*14. *Cod. de edend.*

ROMANA REMISSIONIS AFFICTVS.

Lunæ 4. Martij 1596.

ARGVMENTVM.

Confirmatur Decisio 139. in hac eadem Causa, ex ijsdem rationibus.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum remissionis affictus, inspicitur, an tempore locationis fuerit verisimiliter cogitatum de casu postea secuto.*

2 *Inuerisimile est, quòd conductor putans se non posse vti re conducta, ad vsum destinatum, velit nihilominus obligare se ad solutionem pensionis.*

3 *Iuramentum in supplementum non datur contra Instrumentum, nisi adsit semiplena probatio erroris Notarij.*

DECISIO CXLV.

Domini concorditer, & sine difficultate perstiterunt in resolutis: Quia testes D. Mutij probant concludenter, quod post locationem superuenit magnus numerus bannitorum qui ferè continuo versati sunt in istis Casalibus, & præstiterunt impedimentum agrorum culturæ, & alia grauissima damna intulerunt D. Mutio. Et ista probatio non eliditur ex testibus Dominorum de Caffarellis, qui non deponunt, neque quod prius permaneret in istis Casalibus tantus numerus bannitorum, neque quod inferrent eadem damna. Et ideo est casus insolitus: quia † ad
1 istum effectum inspicitur, attento statu tempore locationis, si verisimiliter fuit cogitatum de casu postea sequuto vt bene deducit Alciat. *in resp.*49. *tom.*3. *lib.* 8. Et videbatur Dominis multum inuerisimile,
2 quod † reperiatur aliquis conductor tam stultus, qui existimans non posse, vti, & frui re conducta ad vsum destinatum, & ibi esse infesta tot damna in rebus proprijs, velit nihilominus se obligare ad solutionem pensionis *leg. si fundus & ibi glos. in versicul. inueniatur, ff. de rebus eorum leg. cum de indebito, ff. de probat.*

Nec placuit Dominis, quòd in minuta, quam vnus ex testibus instrumentarijs scripsit fuisse stipulatam, verba sint magis ampla; & ideo sit locus iuramento in supplementum. Quia testis non dicit quòd instrumentum fuit stipulatum eo modo, quo continetur in minuta, sed solum in principio instrumenti fecit memoriam diei stipulationis. Et ex illa memoria non re-
3 sultat semiplena probatio erroris notarij, sine † qua non datur iuramentum in supplementum, Doct. *in leg. admonendi, ff. de iureiurando.* Propterea in hoc casu requiritur probatio plena, & non datur iuramentum in supplementum Bald. *in leg. emptor, la prima sub num.* 1. *versic. sed an poterit deferri iuramentum, ff. de stat. hom.* Ias. *in repet. leg. admonendi sub num.*295. *vers. quarta fallentia, ff. de iureiuran.*

MEDIOLANEN. HAEREDITATIS.

Lunæ 11. Martij 1596.

ARGVMENTVM.

De Statuto Mediolan. tollente facultatem ascendenti, relinquendi plus vni filio, quam alteri.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Mediolanense prohibens, ne ascendentes relinquant plus vni filio, quàm alteri, est validum, & præsumitur vsu receptum.*

2 *Forensis quis non dicatur, & num.*3.

4 *Pater si non est forensis, multò minus erit filius, qui in ea Ciuitate natus est.*

5 *Statutum inhabilitans personam, trahitur extra territorium, quoad bona sita in territorio.*

6 *Statutum fauorabile laicorum trahitur etiam ad clericos, si eo vti volunt.*

DECISIO CXLVI.

Domini resoluerunt, medietatem bonorum existentium in territorio Mediolani spectare ad D. Sanctium, Moti fuerunt: quia testamentum D. Antonij sui patris est nullum, propter Statutum Mediolani, quod tollit facultatem ascendenti relinquendi
1 plus vni filio quam alij quod † Statutum est validum Put. *dec.*298.*lib.*1. Et præsumitur vsu receptum, Goz. *cons.*16. & Cresc. *dec.*79.

Non obstat quod istud Statutum non comprehendit, forensem. Quia D. Anton. non erat forensis, cum
2 † per spatium longi temporis habitauerit in Ciuitate Mediolani, in ea vxorem duxerit, & emerit bona,
3 Dec. *cons.* 282. *num.* 11. & † demum in testamento se ciuem Mediolanen, appellauerit, Bald. *in leg. vltima, Cod. si à non comp. iud.* Felin. *in cap. cum causam num.*6. *de probat.* Alciat. *de præsumpt. reg. secunda præsumpt.*15.
4 *num.*3. Et si ipse non † erat forensis, multo minus D. Sanctius eius filius, qui in ea Ciuitate natus est; vt latè deducit Siluan. *cons.*1. *num.*96. *cum pluribus, & seqq.*

Non obstat quod testamentum fuit conditum in
5 loco non subdito statuentibus: Quia † Statutum inhabilitans personam trahitur extra territorium, quo ad bona sita in territorio; cum Statutum iuxta eam opinionem, quam Rota sequitur, siue sit conceptum in rem, siue in personam, afficiat bona; vt fuit resolutum *in causa Terracinen. Bonorum* 10. *Februarij & 16. Martij 1576. coram Reueren. P. D. Blanchetto,*

Nec

Nec obstat quòd Sanctius erat clericus; Quia non constat quod esset clericus tempore testamenti. Præ-
6 terea † Statutum fauorabile laicorum trahitur ad clericos, si volunt eo vti; vt in terminis istius Statuti tradit, Dec. *in cons. 114. sub num. 1. vers. sed tamen his minimè obstantibus*.

Non obstat acceptatio testamenti; Quia non probatur.

ROMANA PECVNIARIA.

Veneris 15. Martij 1596.

ARGVMENTVM.

Dispositio legis, *Scripturas, Cod. qui potior. in pign. hab.* quo casu non habeat locum. An possit debitor facere cedulam cum obligatione Camerali ad fauorem vnius, in præiudicium aliorum Creditorum.

SVMMARIVM.

1 *In probanda scriptura in præiudicium Creditorum, vel alterius tertij, debent necessariò concurrere requisita legis*, Scripturas, Cod. qui post. in pign. hab.

2 *Nisi veritas probetur per testes, qui fuerunt præsentes; & per alia documenta, de quibus hic.*

3 *Complementarius potest facere cedulam cum obligatione Camerali, licèt præiudicet alijs creditoribus, quando ratio bancaria manet incolumis in suo statu, & decoctio ignoratur.*

4 *Solutio facta vni ex creditoribus non potest retractari ab alijs, quando ratio bancaria soluit omnibus, & creditores non instant pro consecutione sui crediti.*

5 *Angeli Doctrina* in leg. pupillus, sub num. 3. ff. de his, quæ in fraud. credit. *nempe, quod quando decoctio est latens, non potest imputari negligentia alijs creditoribus, reijcitur.*

6 *Scientia negotiorum non infert necessariò scientiam decoctionis.*

7 *Cessante animo nocendi alijs creditoribus, potest creditor meliorem facere suam conditionem.*

8 *Declaratur textus* in leg. pupillus, ff. de his, quæ in fraud. credit.

DECISIO CXLVII.

Dubium fuit distinctū in duas Difficultates. Quarum prima fuit, An constet de veritate cedulæ? Secunda Difficultas fuit, An ista cedula cum obligatione camerali potuerit fieri à Bonsio in præiuditium aliorum creditorum?

Quantum ad primam, visa est Dominis res clara ad fauorem D. Io: Baptistæ, quòd constet de veritate cedulæ. Quia licèt non concurrant requisita legis,
1 *Scripturas Cod. qui pot. in pign. hab.* quæ † sunt necessaria ad effectum probationis in præiudicium creditorum, vel alterius tertij; vt fuit resolutum *in Causa Aquen. Simoniacæ 10. Decembris 1593. coram Reuer. P. D. Blanchetto, & in Causa Comen. Iurispatronatus 6. Martij*
2 *de anno prædicto coram me*; Tamen † veritas probatur ex testibus qui fuerunt præsentes, ex libro rationis bancariæ, & ex literis D. Io: Baptistæ. Ideo non habet locum dispositio dictę legis *Scripturas*. Bald. *consil. 198. num. 5. lib. 1.* Caputaq. *dec. 112. lib. 3.* & fuit resolutum *in Causa Romana Pecuniaria 3. Decembris 1593. coram R. P. D. Pamphilio.*

Quantum ad secūdam Domini resoluerunt, quòd ista cedula cum obligatione Camerali potuit fieri à Bonsio, etiam quod præiudicet alijs creditoribus: Potissimum fundamentum istius resolutionis fuit: Quia quando fuit facta ista cedula, ratio bancaria manebat incolumis in suo antiquo statu; & decoctio, quæ illinc ad duos menses fuit secuta, ignorabatur.
3 Ideò † potuit Bonsius, qui erat complementarius, & habebat amplissimum mandatum, facere istam cedulam cum obligatione camerali, licet præiudicet alijs creditoribus, qui non instabant pro consecutione sui crediti, glos. *in leg. 2. in versic. proponatur, ff. de his quæ in fraud. credit.* Et sicut, si ista summa fuisset so-
4 luta D. Io: Baptistæ, † solutio non posset retractari ab alijs creditoribus; quia ratio bancaria soluebat omnibus, & ipsi non instabant pro consecutione sui crediti Afflict. *dec. 190.* Paris. *consil. 96. lib. 4.* Paleott. *decis. 195.* vel si ista summa fuisset tunc depositata, quando fuit facta cedula, Bonsius potuisset eam facere cum obligatione camerali, & præiudicaret alijs creditoribus eam non habentibus: Ita pariter, stante veritate crediti D. Io. Baptistæ, & sufficienti facultate Bonsij, & quod ratio bancaria erat soluendo; Domini non vident rationem diuersitatis, propter quam non potuerit eam facere, quamuis præiudicet alijs creditoribus, quibus sine difficultate tunc fuisset solutum, si fecissent instantiam pro consecutione sui crediti.

Nec placuit Dominis, quòd non poterat fieri solutio D. Io: Baptistæ in præiudicium aliorum credi-
5 torum; quia † latens erat decoctio rationis bancariæ: ideo alijs creditoribus non potest imputari negligentia; vt dicit Ang. *in leg. pupillus, sub num. 3. ff. de his, quæ in fraud. credit.* Quoniam, vt bene deducit Cuma. *ibi sub num. 3.* istud dictum non habet fundamentum, cùm non possit imputari aliqua culpa, neq; creditori, qui suum creditum consecutus est, neq; debitori, qui tenebatur soluere, quando tempore factæ solutionis erat soluendo.

Non obstat quòd Bonsius sciebat decoctionem, & ideo non potuit gratificare: Quia ista scientia non probatur concludenter, cùm non constet quod bilancium fuerit factum ante istam cedulam. Et licet ipse deponat, quòd Ioan. Baptista erat creditor, quia
6 ipse vti minister sciebat omnia negotia; tamen † ex scientia negotiorum non infertur necessariò ad scientiam decoctionis, quæ à principalibus solet teneri occulta. Preterea, etiamsi Bonsius habuisset istam scientiam status rationis bancariæ, tamen in Vrbe communiter ignorabatur: Et sufficit ad istum effectum, quod non probetur scientia D. Io. Baptistæ: quia non probata scientia, cessat in eo animus nocendi alijs
7 creditoribus & † cessante isto animo, potuit meliorem facere suam conditionem, *leg. 1. in princip. & ibi* Ang. & Cuman. & *leg. qui autem, §. hoc edictum, ff. de his, quæ in fraud. credit.*
8 Non obstat text. in dicta lege pupillus. Quia procedit quando est facta extorsio per modos illicitos, Paul. *consil. 446. sub num. 3. lib. 1.* Ideo non applicatur.

RO-

ROMANA REMISSIONIS AFFICTVS.

Veneris 22. Martij 1596.

Hæc Decisio ponitur tantum ad continuandam seriem huius Causæ.

DECISIO CXLVIII.

DOmini resoluerunt constare de damnis passis à Domino Mutio in genere cum testes ea probent concludenter vt fuit resolutum.

PORTVEN. BENEFICII.

Mercurij 27. Martij 1596.

ARGVMENTVM.

Contra assertionem Papæ de Iurepatronatus, quæ probationes admittantur.

SVMMARIVM.

1 *Ex assertione facta à Papa in motu proprio, de Iurepatronatus, resultat plena probatio.*

2 *Præsertim, si fundando se in tali assertione; reuocet vnionem antea factam.*

3 *Contra plenam probationem resultantem ex assertione Papæ, admittitur probatio in contrarium, quod Papa fuit malè informatus. Sed hæc probatio debet esse certa, & concludens.*

4 *Verba,* Fundata, & erecta nutu consensu, & auxilio alicuius, &c. *excludunt quòd iste fuerit fundator Iurispatronatus.*

5 *Iuspatronatus in antiquis, non probatur per testes deponentes de auditu, & de publica voce, & fama.*

6 *Augmentum dotis non potest stare sine dote præcedente.*

7 *Argumentum à præsenti in præteritum non concludit præsumptiuè: maximè, si vrgeant coniecturæ in contrarium.*

8 *Testes non coarctantes negatiuam, quòd aliter esse non possit, quia ipsi scirent; non probant concludenter.*

9 *Iuspatronatus ex fundatione, & dotatione non probatur ex sola enunciatiua Ordinarij.*

10 *Ambiguitate stante, non resultat præsumptio, quòd Papa fuerit malè informatus.*

DECISIO CXLIX.

DOmini concorditer persliterunt in resolutis coram R.P.D. meo Corduba. Moti fuerunt: quia
D. Nicolaus habet intentionem suam fundatam in
assertione feli. record. Gregor. XIII. in suo motu proprio, qui attestatur innotuisse sibi, quòd iuspatronatus spectabat ad bon. mem. Cardinalem Farnesium,
1 ratione dominij oppidi Insulæ. Et † ex ista attestatione facta motu proprio à Papa, tanquam plenè informato, resultat probatio plena iurispatronatus cõpetentis ratione dominij oppidi, vt post gloss. tradũt omnes *in clem. 1. de probat.* Soccin. *in cons. 266. num. 27.*
2 *vol. 2.* Præsertim, cùm, † fundando intentionem suam super ista assertione, reuocet vnionem antea factam ad fauorem Collegij Germanici, Alexand. *Cons. 15. num. 2. lib. 5.*
3 Et licet contra istam probationem † admittatur probatio in contrarium, ostendendo quòd Papa fuit male informatus, vt per glossam, quam omnes Doctores, ibi sequuntur, *in dicta clem. 1. in versic. fuisse*, & Soccin. *dict. consil. 266. num. 27.* Tamen Domini, distinguendo materiam in tria capita, dixerunt, quod pro parte Excellentissimi D. Virginij, non affertur probatio certa, & cõcludens, prout requiritur, quod iuspatronatus competeret suis antecessoribus, ex fundatione, vel dotatione, vel vigòre reseruationis ad fauorem Familiæ. Ideo assertio Papæ remanet in suo robore, & consequenter ex ea probatur concludenter iuspatronatus spectare ratione dominij oppidi ad Serenissimum D. Ducem Parmæ, à quo D. Nicolaus est præsentatus.

Quantum ad caput fundationis, Dominis visa est res clara. Quia ex scriptura de anno 1500. in qua fit fundamentum, colligitur contrarium: cùm Ioannes
4 Iordanus in ea exprimat, quòd † illa Ecclesia fuit fundata, & erecta nutu, consensu, & auxilio suo. Quæ verba penitus excludunt quòd ipse fuerit fundator.

Non obstant testes. Quia deponunt de auditu, &
5 quando † non sumus in antiquis, iuspatronatus non probatur per testes, etiam de publica voce, & fama. Paleott. *dec. 128.* Præsertim, cùm scriptura Io: Iordani repugnet depositionibus istorum testium Purpurin. *cons. 278. num. 8.* Caputaq. *decis. 283. par. 3.*

Quantum ad secundum caput dotationis, Domini tenuerunt non constare de integra, & totali dotatione, ex qua fuerit acquisitum iuspatronatus Familiæ. Quia verba Io: Iordani hoc necessario non important: immo videntur denotare contrarium, cum
6 vtatur verbo, *adijcere*, & notissimum est, † augmentum dotis non posse stare sine dote præcedenti, Abbas *consil. 46. numer. 3. lib. 1.* Nec probatur concludenter
7 quod ista Ecclesia nõ habebat tunc alia bona, & † argumentum à præsenti in præteritum non concludit præsumptiuè, quod Ecclesia non haberet alia bona, Alciat. *de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 26. num. 6.* Præsertim, cum concurrant coniecturæ in contrarium & si concludenter non releuarent, cum testes examinati in visitatione, & de nouo coram me, non probent concludenter quod Ecclesia hodie non habeat alia
8 bona, cùm † non coarctent negatiuam, quod aliter esse non possit, quin ipsi scirent, Bald. *in leg. actor. Cod. de probat.* Rimin. Sen. *consil. 75. num. 78. lib. 1.* Dec. *cons. 94. num. 5.* Rip. *in cap. cum Ecclesia num. 83. de caus. poss. & propriet.* Excepto quarto, qui est vnicus, & frater D. Io: Baptistæ præsentati ab Excellentissimo Domino Virginio.

Nec placuit Dominis, quod Iuspatronatus ex dotatione, & fundatione probetur ex enunciatiua Or-
9 dinarij de anno 1504. Quia per † se sola non probat, cùm sit vnica, & emanauerit ad assertionem partis in institutione familiaris instituentis; & non sit de antiquo, Achil. *decis. 5. de iurepatr.* Si vero deducitur pro adminiculo scripturæ Io. Iordani de anno 1550. & non potest seruire pro adminiculo: quia ex ea apparet quod Io: Iordanus non fuit fundator; & quod ius præsentandi fuit reseruatũ alijs, & ista præsentatio est in omnibus difformis dictæ scripturæ, vt bene deducunt informantes pro D. Nicolao. Ideo domini vtebantur hoc argumento, quod aut ista enunciatiua fuit fundata in scriptura Io: Iordani, & eius nulla est habenda ratio, cùm conuincatur erronea, & repugnet contentis in dicta scriptura. Aut Ordinarius fuit motus ex alia scriptura, in qua contineretur dotatio, & fundatio, & sic si exhibeatur, non potest re-

dargui

datqui atteſtatio Papæ: quia poteſt eſſe quod iuſpatronatus in ea fuerit reſeruatum ratione dominij oppidi, & quod Papa eam viderit.

Quantum ad tertium caput reſeruationis ad fauoré Familiæ, Domini pariter fuerunt concordes, quod non probatur: Quia Io: Iordanus facultatem eligendi, & nominandi tribuit alijs: ideo impoſſibile eſt, quòd voluerit reſeruare pro ſe, & ſuis. Et licet dicat quod vult Eccleſiam eſſe Gentilitij, ſeu Patronatus ſui: tamen, ne incontinenti inducatur correctio, Domini intelligebant iſtam reſeruationem de iure honorifico, & ad iſtum effectum, vt non redarguatur atteſtatio Papæ, ſufficit quòd reſeruatio ad fauorem Familiæ ſit ambigua, & non legatur clarè in iſta ſcri-
10 ptura: Quia ſtante † ambiguitate, non reſultat probatio concludens, quia Papa fuit malè informatus, prout requiritur, vt ſupra dictum eſt.

Non obſtat enunciatiua felic. record. Pauli Tertij, & obſeruantia, quæ deducitur ex pręſentationibus. Quia cùm dominium huius oppidi eſſet anteceſſorum Excellentiſſimi D. Virginij, iſta ſunt æquiuocà, nec concludunt quòd iuſpatronatus ſpectaret, & præſentationes fuerint factę potius ratione Familię, quam dominij oppidi.

ROMANA REDDITIONIS COMPVTORVM.

Veneris 29. Martij 1596.

ARGVMENTVM.

Redditio computorum poteſt fieri, etiam ſine libro rationum.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtrator particularis non tenetur conficere librum rationum, & contra eum non datur iuramentum in litem.*

2 *Adminiſtratori ſufficit reddere ſine libro rationem de ijs, quæ probantur ad ſuas manus perueniſſe.*

DECISIO CL.

Domini concluderunt remiſſoriam non eſſe concedendam Reuerendiſs. Domino Archiepiſco-
1 po. Principale fundamẽtũ deciſionis fuit: Quia † Adminiſtrator particularis nõ tenetur conficere librum rationum, & contra eum non datur iuramentum in litem; vt in iſta cauſa fuit reſolutum *coram Domino meo Lata*. Ideo, etiam ſi probaretur quòd D. Ioannes fuiſſet magiſter domus, & quòd non confeciſſet librum rationum; iſta probatio non releuaret; quia
2 † ei ſufficit ſine libro reddere rationem de ijs, quæ probantur ad eius manus perueniſſe.

Mouit etiam maximè Dominos inuerisimilitudo. Quia ſi Ioannes fuiſſet magiſter domus, & confeciſſet libros, eſſet multum facile hoc probare in Curia, & non eſſet neceſſaria remiſſoria pro tribus diuerſis locis.

ROMANA DE NARDONIBVS.

Lunæ 1. Aprilis 1596.

ARGVMENTVM.

Agitur de probatione retrouenditionis.

SVMMARIVM.

1 *Faciens mentionem ſecundæ declarationis, in qua explicitè continetur tenor primæ; non pręſumitur primam ignorare.*

DECISIO CLI.

Domini reſoluerunt, conſtare de retrouenditione ad fauorem Angeli; ſed ipſum teneri ad ſolutionem reſidui pretij.

Moti fuerunt; Quia deliberatio fuit facta Angelo, tanquam plus offerenti. Et licèt declarauerit, quòd emerat nomine Antonij: tamen poſtea Adriana, & Ariodantes gener Antonij, declarauerũt quòd non obſtante prima declaratione, emptio facta ab Angelo deberet habere effectum; & ad computum pretij receperunt ſcuta 23. Ideo cùm ex ſecunda declaratione ad fauorem Angeli, ſit ſublatus effectus primæ factæ ab Angelo ad fauorem Antonij, ſufficienter conſtat de retrouenditione.

Non obſtat quòd iſta ſecunda declaratio ad fauorem Angeli fuit facta à perſonis non habentibus hãc facultatem ab Antonio. Quia adeſt ratificatio ipſius, cùm fecerit bona Angelo dicta ſcuta 23. recepta ab Andrea, & Ariodantes.

Non obſtat, quòd Antonius ignorauit primam declarationem Angeli ad ſui fauorem. Quia in inſtrumento ratificationis ſolutionis dictorum ſcutorum 23. Antonius facit mentionem iſtius ſecundæ declarationis ad fauorem Angeli, & diei, menſis, & anni, & in ea explicitè continetur tenor primæ declarationis. Ideo non *pręſumitur*, quod eam ignorauerit, *leg. non eſt ferendus, ff. de tranſact.*

POSNANIEN. DECIMARVM.

Lunæ 16. Iunij 1597.

Ex Summario deſumitur Argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes deponentes ad propriam exonerationem, non probant.*

2 *Sententia indiſtinctè loquens de Decimis manipularibus grani, & ſeminis, poſt araturas omnium colonorum, comprehendit Decimas colonorum, & conductitiorum.*

DECISIO CLII.

Fuit reſolutum, non conſtare de ſufficienti paritione Capituli, quãtum ad decimas perceptas. Quia inſtrumentum non probat concludenter, quòd ſolutio Florenorum 655. fuerit integra pro tota ſumma. Præſertim, ſtante proteſtatione Valentini, quòd executoriales maneant in ſuo robore, donec totalem integram, & liberam decimam manipularem habuerit.

Aſſertio vero factoris, & ſubditorum Villæ Pirijſ-
1 zeuo affirmantium ſoluiſſe, non probat, † cùm deponant ad eorum exonerationem, *Alex. conſ. 71. num. 4. lib. 7.* & eſt reſtricta ad decimas de bobus, & araturis
2 ſuis proprijs, & ſententiæ generaliter † & indiſtinctè loquuntur de decimis manipularibus grani, & ſeminis, poſt araturas, omnium, & ſingulorum colonorum, & agricolarum. Et conſequenter comprehendunt decimas non ſolum colonorum, ſed etiam conductitiorum.

HISPALEN. CAVRIEN. PERMVTATIONIS BENEFICIORVM.

Lunæ 23. Iunij 1597.

ARGVMENTVM.

Defectus consensus quando dicatur adesse, ad effectum, vt permutatio sit nulla.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia procuratoris permutantis, non attenditur, ad effectum nullitatis permutationis; sed sufficit scientia principalis.*

2 *Inuerisimile est, quòd quis velit vnicum negocium expedire in duabus supplicationibus, & subijcere se duplicibus expensis super expeditione Literarum.*

3 *Incompatibilitas inducit defectum consensus.*

4 *Permutatio quando est nulla ex defectu consensus, est necessarius nouus consensus formalis; & ante illum præstitum, est locus pœnitentiæ.*

DECISIO CLIII.

DOmini resoluerunt, sententiam esse confirmandam, cùm permutatio fuerit nulla, ex defectu consensus. Quia concordia continet pacta incompatibilia cum primo mandato: ideo non potuit expediri permutatio à procuratore vigore primi mandati. Et licèt procurator non habuerit notitiam de con-
1 cordia; tamen † eius ignorantia non attenditur; sed sufficit ad istum effectum nullitatis permutationis scientia principalis permutantis in partibus, Gemin. *in cap. vlti. §. sane num. 6. de procur. in 6.*

Nec placuit Dominis, quòd partes non intellexerunt alterare primum mandatum per concordiam, sed intellexerunt, quòd fieret particularis expeditio super confirmatione concordiæ, separata ab ipsa per
2 mutatione. Quia † est insolitum, & valdè inuerisimile, quòd voluerint partes vnicum negotium permutationis expediri in duabus supplicationibus, quarum vna contineat liberam permutationem, alia vero non liberam, subijciendo se duplicatis expensis super expeditione Literarum vtriusque gratiæ.

Non obstat, quòd partes potuerint cogitare, quãdo fuit inita concordia, quòd iam permutatio esset expedita. Quia vltra quod, stante breuitate trium dierum inter mandatum, & concordiam, est multum verisimile, quòd partes cogitauerint, quòd expeditio, quæ non solet ita propere fieri in Curia, non esset facta; hoc non releuat ad istum effectum: quia stante scientia concordiæ ipsorum principalium, expeditio vigore priorum mandatorum erat nulla.

Non obstat, quòd Notarij Cameræ, & Cancellariæ attestantur, quod vigore concordiæ non poterat expediri permutatio. Quia ex hoc nõ sequitur, quod concordia esset ad partem expedienda, cùm posset vnicum negotium perfici vnica expeditione, tam vigore primi mandati, in eo, quod non erat alteratum; quàm vigore secundi, respectu eorum, in quibus erat alteratum.

Non obstat, quòd propter impensam 600. ducatorum non est verisimile quod partes, quę potuerunt cogitare permutationẽ fuisse expeditam, voluerint, reddendo nullam expeditionem, amittere hanc impensam, sed potius quod ad partem expediretur confirmatio concordiæ. Quia magis verisimile est, quòd partes cogitauerint non fuisse factam præsertim, cum confirmatio concordiæ cum pactis difficilius fuisset expedita, si præcessisset expeditio libera sine pactis.
3 Vltra quod, stante † incompatibilitate, quæ inducit defectum consensus, vt expeditio non posset fieri separatim vigore primi mandati, non sufficiunt verisimilitudines, & coniecturæ non concludentes, sed necessariæ, quod partes voluerint expeditionem posse fieri solum vigore primi mandati.

Non obstat, quòd concordia continet modum. Quia hoc non releuat, cùm hoc negotium permutationis cum pactis contentis in concordia, sit vnicum, & vnica expeditione expediendum, vt supra dictum est.

Non obstat quòd Ferdinandus ratificauit permutationem expeditam sine pactis. Quia ratificatio nõ probatur concludenter, cùm ad eam probandam adducantur testes examinati lite pendente, & sine citatione partis; solutio partis expensarum facta per Ferdinandum, quæ erat necessaria: quia per mutationem voluntatis inter ipsos contrahentes, non erat liberatus respectu expeditorum, qui ignorantes concordiam, bona fide expeditionem fecerãt, & aliquæ enunciatiuæ, quibus bene respondetur per informantes pro Ferdinando. Sed etiam si ratificatio probaretur, non releuaret: quia cùm permutatio, fuerit nulla ab initio, ex defectu consensus, erat necessarius nouus consensus formalis in Camera, vel Cancella-
4 ria, & ante illum pręstitum est locus pęnitentię, Sarn. *in reg. de infir. quæst. 31. num. 2.*

TIRASONEN. TAXATIONIS EXPENSARVM.

Lunæ 23. Iunij 1597.

ARGVMENTVM.

Expensarum taxationi quando sit locus.

SVMMARIVM.

1 *Cessio non excusat ab expensis antea factis.*

2 *Nullitas sententiæ ex defectu citationis non influit ad nullitatem Processus validi.*

DECISIO CLIV.

DOmini resoluerunt, expensas esse taxandas. Moti fuerunt: quia super iure præsentandi ad Vicarias, quod Capitulum Tirasonense prætendebat, fuerunt latæ tres sententiæ ad eius fauorem, in quibus Capitulum Borgiæ fuit condemnatum in expensis; ideo istæ expensæ sunt taxandæ vsque ad diem
1 cessionis; cùm cessio † non excuset ab expensis antea factis.

Quantum vero ad iudicium agitatum super annexione Canonicatus, Vicariæ Ecclesiæ Collegiatæ, & ad aliud iudicium super annexione portionum, similiter Capitulum Tirasonen. habet tres sententias cõformes ad eius fauorem, cùm condemnatione expensarum: ideo pariter istæ expensæ sunt taxandæ, exceptis expensis sententiæ latę per Illustrissimum Dominum Cardinalem Blanchettum.

Non obstat quod expensæ fuerũt factæ simul cum articulo annexionis portionum; & sunt ita confusæ, vt non possint diuidi: Quia licet tunc Capitulum Tirasonense non obtinuisset super articulo annexionis,

nis, nisi respectu Canonicatus, non autem aliarum portionum: tamen, cum hodie sententia lata per bo. mem. D. Bubalum ad fauorem Capituli Borgiæ super non annexione portionum, fuerit reuocata, & per tres conformes fuerit pronunciatum ad fauorem Capituli Tirasonen. super annexione Canonicatus, & portione, cum condemnatione expensarum; illæ sunt taxandæ.

Non obstat quod sententia Illustrissimi Cardinalis Blanchetti fuerit nulla, & Capitulum Tirasonen.
3 ei cesserit. Quia † ista nullitas ex defectu citationis non influit ad nullitatem processus, qui est validus, & ideo debent solum deduci expensæ ipsius sententiæ; quas Capitulum Tirasonen. non petit.

Nõ obstat quod stante cessione litis Capituli Borgiæ super iure præsentandi ad Vicarias, lis ista sit imputanda Capitulo Tirasonensi. Quia diuersa erat lis super annexione; & cessio fuit facta prꝫterquamquod ad annexionem.

ROMANA DEPOSITI.

Lunæ 27. Octobris 1597.

ARGVMENTVM.

Obligatus in forma depositi, an facto deposito liberetur, etiamsi pecunia deposita, non fuerit soluta creditori, cui se obligauit; sed alijs anterioribus.

SVMMARIVM.

1 *Obligans se in forma depositi, liberatur deposito facto.*
2 *Executio ad instantiam vnius creditoris, prodest omnib. alijs, & anteriores si compareant, sunt in ea præferendi.*
3 *Approbans depositum, non potest opponere quòd deponens non sit liberatus.*
4 *Obligatus in forma depositi, superuenientibus sequestris, non debet soluere, sed denunciare, & deponere. Nec censetur velle promittere de suo, & num. 5.*

DECISIO CLV.

Fuit resolutum, Gasparem fuisse liberatum. Ratio communis Dominorum fuit: quia ipse se obligauit in forma depositi consignare bona in executione capta pro summa scutorum 200. ad instantiam Pierini, ad omne mandatum A.C. Vnde cùm superuenerint sequestra plurium creditorum, & Gaspar pro liberatione ab istis molestijs, citato Pierino, & alijs creditoribus, depositauerit scuta 200. in Monte Pietatis, & postea idem A.C. mãdauerit istam summam
1 alijs creditoribus anterioribus consignari, ipse † fuit liberatus Cuman. *consil.* 185. *circa fin.*

Quod tanto magis dicebant Domini procedere in hoc casu: quia mandatum A.C. ell iustum; cum
2 executio † ad instantiam vnius creditoris prosit omnibus alijs *leg. cum vnus, ff. de bon. auct. iud. possid.* Bald. & Salic. *in leg. vltima. Cod. eod. tit.* & anteriores si compareant, in ea sint præferendi; vt tradunt Doctor. *in leg. à Diuo Pio, §. sed & illud, ff. de re iud.*

Considerabant etiam Domini, quòd Pierinus cõparuit coram A. C. & petijt sibi vti poriori creditori
3 consignari cedulam depositi: ideo † cùm approbauerit depositum, non potest opponere, quòd Gaspar per istud depositum non sit liberatus.

Non obstat, quòd Gaspar debebat soluere, & non
4 deponere. Quia † stantibus sequestris non debebat soluere, sed denuntiare Pierino, & deponere prout fecit; vt per Cuman. *in dict. cons.* 185.

Non obstat quod Gaspar debebat deponere bona, & non pecunias. Quia vltra quod Pierinus approbauit istud depositum, in hoc nullum interesse habebat Pierinus: quia etiam si Gaspar consignasset bona, fuissent prælati anteriores creditores.

Nõ obstat, quòd promissio Gasparis est intelligẽdã de alijs pecunijs, quàm de pretio bonorum: Quia ipse se obligauit solum consignare bona, super quibus fuerat facta executio: ideo satisfecit soluendo
5 de pretio illorum bonorum, cùm † non intelligatur voluisse promittere de suo, *leg. cum de indebito, ff. de probation.* Tanto magis, cum Pierinus approbauerit istud depositum, vt supra dictum est.

MEDIOLANEN. DECIMARVM.

Veneris 5. Decembris 1597.

ARGVMENTVM.

Decimæ an sint soluendæ de omnibus fructibus, an verò pro libito soluere debentium?

SVMMARIVM.

1 *Habitatores intra limites Plebaniarum, tenentur de Iure communi, soluere Decimas Ecclesiæ matrici, de omnibus fructibus, & non de libito eorum Voluntatis, & numero 2.*
3 *Consuetudo non inducitur ex eo, quod vario modo obseruatum fuit.*

DECISIO CLVI.

Domini resoluerunt, quòd cùm lis non vertatur inter Ecclesiam Matricem, & Parochiales sibi subiectas; & Rectores istarum Ecclesiarum non sint in Causa, & declarauerint eos nunquam decimas exegisse, nec eas prætendere; Capitulum habet funda-
1 tam intentionem in Iure communi, vt † habitatores intra limites plebaniarum teneantur ei soluere decimas, *cap. statuimus 16. quæst. 1. cap. ex transmissa de præscript.* Præsertim, cùm sit in quasi possessione exigendi *cap. ad Apostolicę, de decim.* Abb. *cons. 58. sub num. 2. lib. 1.* Et ex hoc sequitur, quòd cum Capitulum habeat intentionem fundatam in Iure cõmuni, & alius
2 non sit in possessione; isti habitatores † teneantur soluere decimas integrè de omnibus fructibus, & non pro libito eorum voluntatis; prout ipsi prætendunt, *cap. cum in tuã, cap. non est, cap. nuntios, cap. concessa, de decim.*

Nec placuit Dominis, quod isti habitatores possint excusari sub prætextu, quod Decimæ fuerunt solum solutæ de certis fructibus pro libito eorum voluntatis. Quia quantum ad Decimas illorum fructuum, quas Capitulum petit, non probatur aliqua consuetudo respectu quotæ, cùm solutiones non sint vniformes, sed semper fuerunt variatæ, modò in
3 maiori, modò in minori summa: Et † ex eo quod vario modo fuit obseruatum, non inducitur consuetudo, *leg. nemo, §. temporalis, ff. de regul. iur.* Alexand. *consil. 5. num. 7. lib. 5.*

TIBVRTINA LOCATIONIS,

Veneris 5. Decembris 1597.

ARGVMENTVM.

Locatio bonorum Ecclesiæ facta vltra triennium, an sit valida.

SVMMARIVM.

1 *Extrauagans;* Ambitiosæ, *habet locum etiam in locationibus factis ad sexennium.*
2 *Solemnitates non sunt necessariæ in re solita locari.*
3 *Intellige: Dummodo præcesserit vna locatio solemnis, & valida, vel, ea deficiente, duæ concessiones, cum cursu quadraginta annorum.*
4 *Declaratur Parisius* consil. 98. lib. 4.
5 *Locatio facta pro vnico precio si est nulla in parte, est nulla in totum.*
6 *Cellerarius habet solum nudum officium, vt præsit rationibus Monasterij.*
7 *Locatio bonorum Monasterij facta à non habente potestatem, non censetur ratificata per receptionem affictus, & alios actus: sed est necessarius consensus totius Monasterij.*

DECISIO CLVII.

Domini resoluerunt, locationem fuisse nullam. Principale fundamentum resolutionis fuit; quia locatio est facta vltra triennium contra formam ex-
1 trauagantis, *Ambitiosæ*, quæ † habet locum, etiam in locationibus factis ad sex annos, vt fuit resolutum *in Causa Brixien. Locationis 5. Decembris 1594. coram R.P.D. Penia.*

Non obstant limitationes, quæ afferuntur per in-
2 formantes pro conductoribus. Et primo, quod † solemnitates non sunt necessariæ in re solita locari *cap. 2. de feud.* Dec. *cons. 329. col. vlt.* Quia ista limitatio licèt sit vera in iure, tamen non applicatur; cùm ad
3 istum effectum, vt † concessio sine solemnitatibus valeat, tanquam de re solita locari, vnum ex duobus requiratur: vel quòd præcedat vna locatio solemnis, & valida; vel, ea deficiente, duæ concessiones cum cursu 40. annorum, Ias. *cons. 155. col. penult. lib. 2.* Put; *decis. 1. de reb. Eccles. non alien.* & fuit resolutum *in Causa Zamoren. Castri 14. Decembris 1579. coram Reu. P. D. Seraphino, in Causa Auersana Tenimenti 24. Nouembris 1581. coram bon. mem. Lauretano in Causa Senen. Prædij 8. Octobris 1584. coram R.P.D. Pamphilio*, & aliàs sæpius. Et hic neutrum probatur: cùm fides, in quibus fit fundamentum pro probando isto solito, non concludant de tempore 40. annorum; neque quod ista bona fuerint possessa vigore locationis, vltra tres annos.

4 Non obstat consilium Paris. 98. *lib.* 4. Quia † potest esse quod Casale longhezzæ, de quo ipse loquitur, esset solitum ita locari; & ex eo non infertur ad alia bona.

Alia limitatio, quòd locatio substineatur, quia consistit in terris, & oliuetis, ex quibus non percipiuntur fructus quolibet anno; vt fuit resolutum *in Causa Romana Remissionis contractus 28. Nouemb. 1580. coram S. D. N. tunc Rotæ Auditore*, & postea *in Causa Veliterna Casalis coram R.P.D. Litta*, & in alijs causis, minus visa est Dominis applicari: Quia in locatione vltra terras, & olíueta, sunt etiam alia comprehensa, ex quibus percipiuntur fructus quolibet an-
5 no: & cum locatio sit facta pro † vnico pretio, si est nulla in parte, est nulla in totum, vt fuit resolutum *in Causa Melphien. & Rappolen. Fructuum 19. Ianuarij 1582. coram bon. mem. Lauretano.*

Existimabant etiam aliqui ex Dominis, locationem esse nullam ex defectu potestatis Cellerarij, nisi ostendatur quòd haberet sufficiens mandatum, vel quòd per constitutiones sit ei tributa ista facultas;
6 quia istis circumscriptis, habet † solum nudum officium, vt præsit rationibus Monasterij, Purpur. *consil.* 378. Ideo non potuit facere istam locationem, sed super hoc vti non necessario, alij Domini non fecerunt fundamentum. Erant tamen in hoc omnes concordes, quòd si Cellerarius non habebat istam fa-
7 cultatem locandi, locatio † non censeatur ratificata per receptionē affictus, & iudicium motum coram A. C. & mandatum executiuum obtentum pro affictu tertij anni, quia ista omnia processerunt à Cellerarijs, & alijs non habentibus istam facultatem: ideo erat necessarius consensus totius Conuentus, Cresc. *decis.* 125. & fuit dictum ita aliàs fuisse resolutum *in causa Cortonen. bonorum coram Illustrissimo Cardinale Platto.*

Sed quia pro parte conductorum prætenduntur melioramenta, Domini dixerunt, quòd facta hinc inde compensatione receptorum per Monachos, & impensæ in melioramentis, cum fructibus perceptis per conductores, bona restituantur Monasterio.

BRIXIEN. PENSIONIS.

Veneris 19. Decembris 1597.

ARGVMENTVM.

Agitur de reductione Pensionis.

SVMMARIVM.

1 *Valor Beneficij quando est expressus per modum affirmatiuum est plenè, & concludenter probandus deductis oneribus.*
2 *Testes asserentes se ignorare alia onera, ver. grat. non probant concludenter.*

DECISIO CLVIII.

Domini resoluerunt narratiuam in litteris Scipionis, quòd pensio D. Leandri cassata esset librarum 450. esse iustificatam ex litteris reseruationis ad fauorem ipsius D. Leandri.

Non obstat quòd de tempore gratiæ Scipionis de anno 1584. pensio erat reducta per sententiam, quæ continet, quòd Rector retineret centum pro se, & residuum solueret pensionarijs: Et per concordiam de anno 1582. per quam fuerunt assignati Leandro omnes fructus, cum hoc, quod daret centum Rectori, & solueret aliam pensionem, & subiret onera. Quia vltra quod à sententia fuit appellatum, & non constat quod concordia habuerit effectum, ista, & etiam decretum Cardinalis Visitatoris, non concludunt reductionem pensionis ad aliquam minorem summam: quia potest esse, quòd deductis centum pro Rectore, alia pensione triginta Ducatorum, & oneribus, remaneret sufficiens quantitas pro integra pensione D. Leandri.

Non

Non obstat alia concordia in fine anni 1583. reductionis pensionis ad libras 200. Quia non fuit inita à D. Leandro, neque probatur eius mandatum, aut ratificatio.

Quantum ad narratiuam, quod de anno 1584. valor Parochialis ascenderet ad ducatos 235. Domini censuerunt, non esse sufficienter iustificatam. Quia
1 cum † valor sit expressus per modum affirmatiuum, est plenè, & concludenter probandus, deductis oneribus; vt fuit resolutum *in Causa Pampilonens. Beneficij de sol. 17. Maij 1577. coram Illustrissimo Domino Cardinali Blanchetto; & in Causa Rauennaten. Pensionis 20. Iunij anni præteriti coram R.P.D. Litta*. Et ista negatiua, quòd non adsint alia onera, non probatur ex calculo Federici, neque ex testibus: Quia licet affirment,
2 quòd † ignorant alia onera; tamen non probant concludenter: quia potest esse quod adsint alia onera, quæ ipsi ignorent.

ROMANA LIBERATIONIS AB OBLIGATIONE.

Veneris 19. Decembris 1597.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussor licet non fuerit damnum passus, potest tamen, vigore Statuti Vrbis, agere pro liberatione à fideiussione, vel præstatione fideiussoris, pro conseruatione indemnitatis.*
2 *Statutum Vrbis* lib. 1. c. 157. *est decisorium, & perimit ius partis.*

DECISIO CLIX.

Domini dixerunt, quòd licet Illustrissimus Cardinalis non steterit diu in obligatione, nec fue-
1 rit passus damnum; tamen † potest agere pro liberatione à fideiussione, vel præstatione fideiussoris, pro conseruatione indemnitatis, vigore Statuti, *lib. 1. cap.*
2 157. quod fuit † habitum pro decisorio, cùm perimat ius partis, vt per Paul. de Castr. *in cons. 320. num. 5. lib. 1.* Et ideo concluserunt sententiam A. C. esse iustam, & confirmandam.

ROMANA SOCIETATIS OFFICII.

Lunæ 12. Ianuarij 1598.

ARGVMENTVM.

De identitate computorum; & de probatione præsumptiua.

SVMMARIVM.

1 *Actor debet probare concludenter identitatem computorum.*
2 *Identitas probatur præsumptionibus, & coniecturis.*
3 *Probatio præsumptiua non concludit; & ad eam tollendam, sufficit alia probatio præsumptiua.*

DECISIO CLX.

Fvit resolutum, non constare quòd computa sint illa, de quibus fit mentio in Apoca. Moti fuerunt Domini: quia ista computa sunt informia, & D. Bernardus prætendit quòd fuerint confirmata per apo-
1 cam. Ideo debet † probare concludenter, quod ista computa sint illa, de quibus loquitur apoca; cum in hac exceptione fit actor, *lib. 2. ff. de probat.*

Ista autem probatio concludens, non videbatur
2 Dominis adesse. Quia licèt † identitas probetur præsumptionibus, & coniecturis; tamen præsumptiones, quæ afferuntur, non sunt concludentes; & in contrarium vrgent plures præsumptiones; cùm apoca discordet à computis in tempore, & modo solutionis, & habeat solum relationem ad partitas subscriptas in computo manu vtriusque: Et ista computa non sunt subscripta. Ideo cùm D. Bernardus fundet in-
3 tentionem suam in probatione præsumptiua, quæ † non concludit; vtique ad eam tollendam sufficere debet alia probatio præsumptiua, cùm præsumptio præsumptione tollatur, & probatio, quæ non est plena, verisimili coniectura offuscetur, & elidatur Bartol. *in leg. admonendi nu. 51. & ibi Rip. n. 211. de iureiurand. Alexand. cons. 183. num. 12. lib. 6.*

Mouit etiam maxime Dominos, quòd ista computa non solum non sunt subscripta, sed neque constat quòd fuerint facta de voluntate partium, nec à quo fuerint scripta. Ideo esset multum absurdum; velle intelligere quòd habuerint relationem ad ista computa, quæ non probantur facta ab eis, nec de eorum voluntate. Prælertim, cùm certissimum sit, computa, ad quæ fit relatio, habere subscriptionem ipsorum, quæ in his computis deficit.

Non obstat, quòd summa contenta in apoca, & aliæ qualitates conueniunt computis. Quia ex his, non resultat probatio concludens sed præsumpta, quæ non sufficit; cùm ex alijs præsumptionibus contrarijs tollatur, vt supra dictum est.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 19. Ianuarij 1598.

ARGVMENTVM.

Statutum Vrbis, *lib. 1. cap. 178. De duabus conformibus*, an comprehendat casum mixtum.

SVMMARIVM.

1 *Casus mixtus, ad effectum Statuti, est ille, in quo concurrunt simul Ciuis, & Forensis.*
2 *Statutum Vrbis* lib. 1. capit. 178. *est correctorium Iuris communis, & strictè intelligendum.*
3 *Casus mixtus assumit naturam illius simplicis, per quem Iuri communi non derogatur, & ius alterius conseruatur.*
4 *Clausula*, appellatione remota, *intelligitur solùm inter nominatos in Commissione.*
5 *Statutum remouens appellationem propter guarentigiam, habet locum solùm inter ipsos contrahentes.*
6 *Tertius, qui habet scientiam litis, non potest appellare.*
7 *Declaratur Puteus Decis. 71. lib. 3.*
8 *Declaratur textus in leg. is, à quo, ff. de rei vendic.*

DECISIO CLXI.

Fvit resolutum, non esse locum executioni duarum conformium, vigore Statuti, *cap. 178. lib. 1.* Potissima ratio resolutionis fuit: quia D. Rodulfus venit ab initio ad causam pro suo interesse, quod propter regressum quem habet contra eum D. Alexander est principale: &, cùm quantum ad eum, non habeat locum Statutum, cum non sit Ciuis, incola, vel districtualis; iste est casus mixtus, in quo concur-
1 runt simul Ciuis, & Forensis. Ideo, cùm Statutum †

disponat solum in casu simplici, quando sententiæ sunt latæ contra ciuem, incolam, vel districtualem, non debet extendi ad hunc casum mixtum, Anchar. *cons.* 37. *sub num.* 2. Cassad *decis.* 35. *num.* 3. *super regul.* Bologn. *cons.* 31. *num.* 11. Riminald. Sen. *cons.* 125. *num.* 20. & 21.

2 Considerabant etiam Domini, quòd cùm † Statutum in casu simplici sit correctorium iuris communis, & strictè intelligendum, vt aliàs fuit resolutum coram me *in Causa Romana Cambiorum* 4. *Decembris* 1592. non debet extendi, vt corrigat etiam in casu mixto *leg. præsumptione*, §. *vim passam*, *ff. ad leg. Iul. de adult.* Cassad. *dec.* 5. *num.* 4. *de const.* Put. *dec.* 10. *de dispensat.* Peregr. *dec.* 117. Ruin. *cons.* 78. *num.* 2. *lib.* 2. Rim. *dict. cons.* 125. *num.* 22. Purpur. *cons.* 465. *sub num.* 6.
3 cùm † casus mixtus assumat naturam illius simplicis, per quod iuri communi non derogatur, & ius alterius conseruatur, vt inter recentiores benededucit Hier. Gabr. *cons.* 197. *num.* 7. *lib.* 1.

Placuerunt quoque Dominis similia, quæ afferuntur per informantes ex *cons.* Baldi 141. *num.* 7. *lib.* 1. & *cons.* Soccin. 132. *sub num.* 3. *lib.* 1.

4 Et de clausula, *appellatione remota* quæ † intelligitur solum inter nominatos in Commissione, & de
5 Statuto † remouente appellationem propter guarentigiam, quod similiter solum locum habet inter ipsos contrahentes Franch. *in cap. Pastoralis num.* 25. & 26, *de appellat.* Dec. *cons.* 198. *num.* 4.

6 Nec placuit Dominis, quòd † tertius, qui habet scientiam litis, non potest appellare; & quòd eius appellatio debeat fieri cum expressione causæ, & quòd sufficit præstare cautionem, iuxta *leg. is à quo*, *ff. de rei vend.* Quia non versamur in tertio, qui fuit admissus ad causam post latas sententias in eisdem statu,
7 & terminis; in quibus terminis † procedit *decis.* Put. 71. *lib.* 3. Sed in eo, qui venit ad causam ab initio, ratione sui principalis interesse, & vti consors eiusdem litis, pro necessaria defensione D. Alexandri, & in hoc casu non habent locum ea quæ dicuntur de tertio, Bisignett. *decis.* 4. *de iudic.* Conar. *pract. quæst. cap.* 14. *num.* 4. nec habet locum *dict. leg. is à quo*: quia
8 † non procedit in eo, qui venit ab initio ad causam, & potest appellare.

Præterea, cùm non sit locus Statuto, quia non comprehendit casum mixtum, non applicantur ea, quæ dicuntur de tertio; Quia, circumscripto Statuto, etiam contra D. Alexandrum nō potest fieri executio, cum non præcedant nisi duæ sententiæ.

BONONIEN. BONORVM.

Mercurij 11. *Februarij* 1598.

ARGVMENTVM.

Resolutioni contractus quando non sit locus.

SVMMARIVM.

1 *In contractu nominato non est locus resolutionis ob non adimplementum.*
2 *In contractu venditionis bonorum, si bona vendita, sint alteri hypothecata, agendum est pro adimplemento, vel pro liberatione.*
3 *Oblatio fideiussorum facta in tempore præstituto, citatis interesse habentibus, operatur, vt non possit agi ad rescissionem contractus ob non adimplementum.*
4 *Alienatio rei hypothecatæ, fit valida per subrogationem alterius rei, & hypothecam super alijs bonis venditoris.*
5 *Quando dolus dat causam contractui, contractus est nullus, vel saltem annullandus. Intellige, vt num.* 6.
7 *Dolus incidens non sufficit ad annullandum contractum.*

DECISIO CLXII.

FVit per Dominos in præsenti disputatione restricta difficultas ad illud caput, An esset locus resolutioni contractus? Et concorditer resoluerunt, quod non sit locus resolutioni contractus.

Fundamentum principale decisionis fuit: Quia licèt fideiussores non fuerint dati intra decem dies ad satisfactionem emptorum, & istud prædium prætendatur subrogatum in locum prædij Gadij fundi dotalis D. Hippolytæ vxoris D. Horatij venditoris, & etiā obligatum pro restitutione dotis D. Helenæ
1 Scadinariæ: Tamen, cùm versemur † in contractu nominato, non est locus resolutioni contractus ob non adimplementum, *leg. in ciuile, Cod. de rei vend.* Put. *dec.* 315. *lib.* 3. Curt. Iun. *cons.* 331. *num.* 20. *cum seq.* & fuit resolutum *in Causa Romana Casalis, Aquæ frigidæ* 17.
2 *Iunij* 1575. *coram Cotta*, & alias sæpe: Sed † debet agi pro adimplemento, vel pro liberatione, quando bona vēdita, sunt alteri hypothecata, vt fuit resolutum *in Causa Romana Census* 15. *Martij* 1577. *coram R. P. D. Decano*,

Mouit etiam maximè Dominos, quod fideiussores fuerunt præstiti in tempore præstituto, citatis emptoribus, cum obligatione dandi alios, quatenus
3 illi qui erant dati, eis non placerent: & † *ista* oblatio in tempore sufficit ad illum effectum, *leg. si ita quis promiserit*, §. *Seia cauit*, *ff. de verbor. obligat*, Præsertim, cùm nunc etiam offerant alios præstare arbitrio boni viri, quod etiam si non præcederet obligatio in tempore posset facere. Nam cùm in tempore alios præstiterit, & dederit etiam illorum approbatores, iuxta legem *cum ostendimus*, *ff. de fideiuss. tut.* & non fuerit certioratus quod fideiussores non placerent, non potest ei imputari aliqua culpa, aut negligentia, si alios non præstitit in tempore.

Quantum autem ad dotem Helenæ, & inualiditatem alienationis illius prædij, quod prætenditur esse fundus dotalis, videbatur Dominis sufficienter prouisum emptoribus, ita vt nullam pati possint molestiam, cùm dos Helenæ sit assecurata super alio prædio, & Domini dubitant, an istud prædium sit fundus dotalis, ex his quæ deducunt informantes in memorialibus. Sed etiam si esset fundus dotalis; cùm nō instet pro nullitate alienationis, immo velit quòd
4 sit valida, & † mediante subrogatione, quæ fieri debet super prædio della Beuerara, & hypotheca super alijs bonis venditoris, reddatur magis secura, alienatio est valida, *leg. ita constante*, & *ibi* Glos. & *leg. vlt. ff. de iure dot.* Rimin. Sen. *cons.* 31. *nu.* 27. *lib.* 1. Et si ex hoc capite emptores non possunt pati molestiam; præsertim, cùm etiam adsint fideiussores. Et licet prætendatur quòd iste consensus sit nullus, quia fuit præstitus ante lapsum biennij; tamen cessat ista difficultas: quia emptor se offert facere illam consentire de nouo.

5 Nec placuit Dominis, quòd † quando dolus dat causam contractui, contractus est nullus, vel saltim
6 annullandus: Quia † venditor nihil falsò narrauit, quod

quod potuerit inducere emptores ad emendum; sed tacuit quòd prædium non erat liberum, & ideo est
7 dolus incidens, qui † iuxta communem opinionem Doctorum, non sufficit ad annullandum, ut per Pinell. in leg. 2. par. 2. cap. 2. num. 32. Cod. de rescindenda vendit.

Alijs, quæ dicuntur de iuribus Scadinarij, & Codibò, placuerunt responsiones, quæ dantur per informantes; cum quibus Domini transierunt.

Reseruarunt tamen Domini, ut pariter videatur, an scriptum sit exequendum.

BONONIEN. BONORVM DE BOVIIS.

Veneris 20. Februarij 1598.

ARGVMENTVM.

Donatio in quo casu dicatur resoluta. Donatione resoluta, an semper æqualiter admittantur omnes de familia ad successionem bonorum donatorum.

SVMMARIVM.

1 *Donatio sub certo modo, cum clausula annullatiua, resoluitur, si modus non adimpleatur.*

2 *In resolutione contractus non fit differentia inter modum, & conditionem.*

3 *Pactum idem sæpius repetitum in Instrumento, ostendit enixam voluntatem contrahentis.*

4 *Quando in contractu imponitur necessitas disponendi, cum clausula annullatiua resoluitur contractus, non solum si dispositio aliter fiat; sed etiam si facta non sit.*

5 *Verbum, Debet, importat necessitatem.*

6 *Donatio non dicitur captatoria, quando donans nihil acquirere potest.*

7 *Verba, Purè, merè, & simpliciter, non repugnant donationi continenti modum, vel conditionem. Et intelligitur cum sua causa, Dummodo adimpleatur conditio, vel modus, & num. 8.*

9 *Promissio de non reuocando donationem ex quacumque causa, &c. intelligitur, modo impleatur ex alia parte, & non sit factus locus resolutioni contractus ob non adimplementum.*

10 *In contractibus nominatis est locus pœnitentiæ, quando apponitur pactum resolutiuum, si conditio vel modus non fuerit adimpletus.*

11 *Declarantur textus in leg. vnum ex familia. §. rogo, & in leg. si quis Titio. §. vlt. ff. de leg. 1. & num. 13.*

12 *Familia melius conseruatur per vnum, quàm per plures.*

DECISIO CLXIII.

IN causa Bononiensi Bonorum de Bouijs proposui Dubium, An D. Carolus posset admitti simul cum D. Andrea ad bona donata per Iulium Bouium Episcopo Ostunensi. Verba autem substantialia donationis in parte dispositiua ita erant concepta, Quod dictus Iulius cum pactis, legibus, modis, declarationibus, & conditionibus infrascriptis, & non aliter, nec alio modo, donauit inter viuos Episcopo bona expressa, cum pacto, & modificatione adhibitis prædictis omnibus, & singulis, ab initio, medio, & fine, & qualibet parte instrumenti, & contractus, quòd sint reseruati ipsi Iulio omnes fructus bonorum donatorum, eius vita durante: ac etiam cum lege, pacto, & conditione præmissis similiter, & ut supra appositis, & adiectis, quod Episcopus possit, & debeat, siue in vita, siue in vltima voluntate, disponere de dictis bonis hoc modo, videlicet. Primò, ad fauorem vnius ex filijs masculis natis ex legitimo matrimonio alicuius ex fratribus, suo arbitrio eligendi, si extent; & eis non extantibus, ad fauorem vnius ex personis in dicta donatione successiuè nominatis. Ex quibus verbis, cùm Episcopus decesserit, nulla facta dispositione, & electione iuxta voluntatem Iulij, prætendebat D. Andreas, donationem fuisse resolutam; & ideo cum ipse postea fuerit hæres institutus à Iulio, debere succedere in totum vigore testamenti, excluso D. Carolo: Et domini resoluerunt, donationem fuisse resolutam; Et ideo D. Carolum non posse admitti simul cum D. Andrea ad ista bona.

Moti fuerunt: quia donatio est facta cum hac conditione seu modo, ut Episcopus debeat disponere de istis bonis ad fauorem vnius ex filijs fratrum, cum clausula resolutiua. Et cum decesserit non facta di-
1 spositione, donatio † fuit resoluta propter defectum adimplementi conditionis, seu modi, sub quo facta
2 fuit cum clausula annullatiua, cum † in hoc, respectu resolutionis contractus non sit differentia inter modum, & conditionem; quia non datur defectus potestatis in donante apponendi hanc legem ab initio, ut modo non adimpleto, donatio resoluatur; & voluntas est clara, cum apposuerit clausulam annullatiuam, si modus non fuerit adimpletus, cap. verum, & ibi glos. in versic. conditione de condit. apposit. glos. & Doctor. in leg. 1. Cod. de donat. quæ sub modo, Castad. dec. 10. num. 7. de reseru. Couar. var. resolut. lib. 1. capit. 14. num. 6.

Mouit etiam maximè Dominos reiteratio istius clausulæ, in principio, in medio, & in fine instrumenti, declarando quod donatio sit facta prout illam sic facit, cum limitationibus, & conditionibus, & legibus præfatis, & non aliter, nec alio modo; Et quòd hanc clausulam apposuit, & appositam esse, & intelligi debere voluit in qualibet parte instrumenti; quæ
3 repetitio † in tot partibus instrumenti cum verbis, tam prægnantibus ostendit enixam voluntatem donantis quod conditione, seu modo, non adimpleto resoluatur donatio, ac si facta non esset, Paris. consil. 39. num. 25. lib. 2.

Nec placuit dominis principale fundamentum D. Caroli, quod ista clausula resolutiua non est adiecta substantiæ donationis, quæ est pura, & simplex; sed electioni, & nominationi, seu executioni donationis: scilicet, resoluendo, & reddendo nullam dispositionem, seu electionem factam contra modum in donatione præscriptum, sed non resoluendo donationem, dispositione, seu electione non facta. Quia iste intellectus expressè repugnat verbis, & menti donantis. Verba enim sunt satis clara cum Iulius donet cum hac conditione, & non aliter, quòd Episco-
4 pus debeat disponere de dictis bonis. Ideo † cum imponat Episcopo necessitatem disponendi cum clausula resolutiua inducitur resolutio donationis, non solum, si dispositio aliter fiat, sed etiam si facta non sit.

Mens quoque visa est Dominis perspicua: Quia principalis intentio donantis fuit, ut pro conseruatione bonorum in agnatione, & in vna persona, dispositio omnino fieret ab Episcopo, cum non fuerit con-

contentus relinquere in eius facultate, quòd possit eligere, sed adiecerit eum grauando, vt debeat elige-
5 re: quod † verbum *debet*, importat necessitatem, glo. *in clem. attendentes, in vers. debeat* & *ibi* Abb. & alij, *de statu Monach.* Tanto magis cum sit, positum post verbum *possit*, quod ideo esset sine effectu operandi, si non tolleret facultatem eligendi, & non imponeret necessitatem.

Non obstat, quòd secundum istum intellectum,
6 donatio redderetur captatoria. Quia † cùm donans nihil acquirere possit ex ista donatione captatoria, non potest habere locum in hac spetie, Cuman, *in le. captatorias, ff. de hared. institut.* cum alijs per Sarmient. *select. interpr. cap. 4.* & fuit late deductum *in Causa Romana Donationis de Vitellis, coram R. P. D. meo Decano, de anno* 1578.

Non obstat quòd donans asserit, quòd donat pù-
7 rè, merè, & simpliciter. Quia † illa verba non repugnant donationi continenti conditionem, vel modũ, Dec. *in leg. si donat. num. 4. Cod. de collat.* Put. *decis. 3. de*
8 *renuntiat.* Accorambon. *dec. 48.* Intelliguntur † enim cùm sua causa, dummodo adimpleatur conditio, vel modus Rimin. Sen. *cons. 383. num. 31. & 35.* presertim cum clausula annullatiua, si modus non seruetur; intelligatur repetita in qualibet parte instrumenti, & sic etiam in hac parte.

Non obstat quòd donans promisit donationem
9 non reuocare, etiã ex causa ingratitudinis. Quia † ista promissio intelligitur, dummodo impleatur ex alia parte, & non sit factus locus resolutioni, ex defectu modi non adimpleti.

Non obstat quod ex hac donatione fuit Ius quæsitum filijs fratrum. Quia fuit eis ius quæsitum cum sua causa, quatenus Episcopus disponeret in fauorem vnius ex eis: qui casus non euenit.

Non obstat quòd in contractibus nominatis non
10 est locus pœnitentię. Quia hoc non procedit † quando apponitur pactum resolutiuum, si conditio, vel modus non fuerit adimpletus, vt supra dictum est. Præsertim, cùm, stante obitu Episcopi, qui non potest amplius disponere, res deuenerit ad eum casum, qui non potest amplius adimpleri.

Non obstat quod donatio non fuit resoluta, cùm, electione non facta, succedat dispositio legis, æqualiter admittendo omnes, *leg. vnum ex familia, §. rogat. leg. si quis Titio, §. vltimo, ff. de legat. 2.* cùm alijs allegatis. Quia huic fundamento fuerunt datæ plures responsiones.

11 Et primo, quòd termini sunt diuersi, cùm † isti tex. loquantur in relicto in vltima voluntate purè, & sine conditione, quod non reuertitur ad testatorem, vel eius hæredes, electione non facta; & propter incertitudinem personæ, de qua testator intellexit, admittuntur æqualiter omnes. Sed in contractu continente conditionem, vel modum, cum clausula resolutiua, est diuersa ratio: quia non adimpleta conditione seu modo, inducitur resolutio contractus, & bona reuertuntur ad donantem, vel eius hæredes. Ideo non possunt admitti æqualiter omnes ex dispositione legis: quia non operatur contra expressam, & specialem prouisionem donantis.

Secundò respondebant Domini, quòd mens Te-
12 statoris fuit, vt pro conseruatione familiæ, quæ † melius conseruatur per vnum, quàm per plures Tiraqu. *de iure primog. quæst. 71.* vnus solus, & non plures eligerentur; cum disposuerit, vt primo eligatur vnus ex filijs fratrum, & successiuè vnus ex fratrib. vnius ex descendentibus masculis Alexandri, & vnus ex spurijs. Et ista voluntas declaratur etiam ex testamento, in quo instituit D. Andream vti primogenitum, & substituit fratrẽ primogenitum. Ideo non ha-
13 bet locum dispositio dictarum legum, cùm † limitentur, vt non procedant quando concurrit verisimilis mens Testatoris, vt vnus solus eligatur, Imol. *in dict. leg. vnum ex familia, §. si duos,* Molin. *de Hispan. primogen. lib. 2. cap. 4. num. 41. cum seqq.*

Vltima responsio fuit, quòd solus D. Andreas erat natus tempore obitus Episcopi: Ideo etiam si donatio non esset resoluta ex dispositione dict. §. *rogo*, ipse solus censetur nominatus, qui superstes erat tempore obitus Episcopi, & quem Episcopus, non disponendo, satis elegisse censetur, cum non adesset alius habilis ex filijs fratrum, in quo potuisset verificari ista dispositio: præsertim attenta verisimili mente ipsius, qui vel nesciebat D. Carolum esse conceptum; vel ob incertitudinem euentus, masculum esse nasciturum.

BRIXIEN. PENSIONIS.

Veneris 6. Martij 1598.

ARGVMENTVM.

De actione spolij, in materia pensionis Ecclesiasticæ.

SVMMARIVM.

1 *Confessio Titularis prædecessoris præiudicat successori.*
2 *Actio spolij non competit ei, qui cecidit à possessione facto suo.*
3 *Consentiens extinctioni pensionis conditionaliter, habet actionem spolij.*
4 *Gratia vt sit valida, non sufficit quòd habuerit effectum per certum tempus; sed necesse est quòd totaliter sit sortita suum effectum.*

DECISIO CLXIV.

FVit resolutũ, Domino Leandro competere actionem spolij, cùm primum extremum concludenter probetur confessionibus Antecessoris de solutionibus factis; quæ sunt valdè adminiculatæ: quia non obstante clausula, sine retardatione, fuit processum in causa, parte opponente: & concurrunt plures solutiones factæ Tranquillo nomine D. Leandri. Et
1 cùm iste confessiones sint factæ à prædecessore, † tempore quo erat titularis, præiudicant successori, sicut præiudicaret solutio, Guidopap. *decis. 629.* Put. *decis. 151. lib. 3.*

2 Non obstat quòd D. Leander cecidit † à possessione facto suo, & ideo ei non cõperit actio spolij. Quia D. Leander consensit cassationi, & extinctioni pensionis, ad effectum, vt alia pensio D. Scipioni reseruare-
3 tur, cum clausula, & non aliter: Ideo † consensus est conditionalis, si pensio validè, & irreuocabiliter acquiratur Scipioni; vt fuit resolutum *in Causa Bononien. Translationis pensionis 23. Ianuarij 1579. coram S. D. N.* Et si pensio non est validè, & irreuocabiliter acquisita Scipioni, ei competit actio spolij, Mohed. *decis. 81.* *Corradus de Grassis.*

Hoc

Hoc autem quod pensio non sit validè, & irreuocabiliter acquisita Scipioni, videbatur dominis satis constare: quia Simeon impugnat translationem Scipionis, vti inualidam, cùm eius gratia non fuerit iustificata; & fuit resolutum non esse iustificatam: & cessante iustificatione gratiæ, cessat etiam acquisitio valida, & irreuocabilis pensionis.

Nõ obstat quòd gratia Scipionis habuit effectum per certum tempus ante trãslationem in Federicum;
4 Quia † sufficit quòd non sit totaliter sortita effectum suum; vt fuit dictum *in dicta Causa Bononien. Translationis pensionis*. Præsertim, cum opponatur à Simeone de eius nullitate, ad effectum reddendi inualidam, translationem factam in D. Federicum.

TVRRITANA CAPELLÆ.

Veneris 6. Martij 1598.

ARGVMENTVM.

Vnio facta ante Seminarium erectum, est nulla.

SVMMARIVM.

1 *Vniones factæ Seminarijs erigendis, sunt nullæ, ex Decreto Congregationis Concilij.*

DECISIO CLXV.

DOmini resoluerunt, gratiam Simeonis esse iustificatam, quantum ad existentiam beneficij, seu Capellæ, de qua agitur, ex depositionibus trium testium; scilicet primi, tertij, & quarti. Et quantum ad obitum Thomæ in mense Decembri 1591, cùm de eo concludenter deponat tertius testis, cuius dictum coadiuuatur ex confessione Oeconomi; Et pariter gratiam esse iustificatam in ea parte, in qua narratur vnionem fuisse nullam, vti factam ab Ordinario Seminario nondum erecto, cum Oeconomus fateatur vnionem factam fuisse de hoc beneficio, vacante de anno 1591. quod etiam deponit tertius testis, & tamen ex instrumento ipsius erectionis constat, quòd Seminarium fuit erectum de anno 1593. ex quo se-
1 quitur nullitas vnionis, cùm † vniones factæ Seminarijs erigendis sint nullæ, vt Sacra Congregatio Card. Concilij Tridentini interpretum censuit, vt fuit resolutum *in Causa Giennen. Præstimonij 15. Februarij 1593. coram Illustrissimo Domino Card. Blancbetto.*

Quantum ad qualitates Simeonis, & verificationem valoris beneficij impetrati, & obtenti, Domini dixerunt, probationem esse debilem, & coadiuuandam.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 9. Martij 1598.

ARGVMENTVM.

Error descriptionis partitæ quomodo probetur.

SVMMARIVM.

1 *Testis inductus censetur approbatus ab inducente.*

DECISIO CLXVI.

DOminis placuit decisio alias, facta in hac causa coram R.P.D. meo Decano, quòd ex pluribus coniecturis, & depositione Francisci, sufficienter probetur error descriptionis illius partitæ ad fauorem D. Alexandri, cùm esset describenda ad fauorem Troncij.

Nec placuit Dominis, quòd Franciscus sit reijciendus propter interesse, quod habet. Quia vltra quod fuit inductus à D. Rodulfo; Et ideo fuit approbata eius persona, *leg. si quis cum ibi not. Cod. de testibus*, Abb. *in cap. præsentium num. 6. eod. titul.* cessat eius interesse, cùm non constet ipsum habuisse pecunias à D. Alexandro, ita vt ad restitutionem teneatur, nisi ex libris mercatorum, qui non probant contra tertium.

CIVITATIS CASTELLI BONORVM.

Lunæ 9. Martij 1598.

ARGVMENTVM.

Requisita ad immittendum in possessionem bonorum defuncti. Declaratur Statutum Ciuitatis Castelli, *De testamento vxoris.*

SVMMARIVM.

1 *Statutum Ciuitatis Castelli, De testamento vxoris, non requirit expressionem præsentiæ, & consensus viri in ipso testamento.*

2 *Præsentia, & consensus viri in testamento vxoris sufficienter probatur, si eadem die, in eodem loco, loco loci, coram iisdem Notario, & testibus, eodemque modo, & verbis iisdem, ambo fecerint testamentum.*

DECISIO CLXVII.

DOmini resoluerunt, Iuliam esse immittendam in possessionem, bonorum Honestæ, cùm concurrant omnia requisita. Quia exhibetur testamentum non abolitum, nec cancellatum: probatur obitus cohæredis ante testatricem; obitus ipsius testatricis, & viri relicti vsufructuarij, & quod Iulia est filia testatricis; & testatrix possedit ista bona, in quibus petitur immissio, vsque ad eius obitum.

Non obstat, quod Testamentum est nullum, cùm fuerit conditum sine præsentia, & consensu viri contra formam Statuti. Quia cùm † Statutum non requi-
1 rat expressionem præsentiæ, & consensus in ipso testamento, sufficit quòd aliunde probetur interuenisse in ipso testamento.

Hoc autem videbatur Dominis satis probari, cùm eadem die, in eodem loco, & loco loci, in sacristia Conuentus Sanctæ Mariæ, coram eisdem Notario, & testibus, eodem modo, & eisdem verbis, ambo fecerint testamentum, & Viro fuit relictus vsufructus, quem postea percepit Petr. Pecch. *de Testam. cond. lib. 3. cap. 4.*

BARCHINONEN. CANONICATVS.

Lunæ 9. Martij 1598.

ARGVMENTVM.

Subrogatus gratiosè, quando non teneatur suam gratiam iustificare.

SVMMARIVM.

1 *Subrogatus gratiosè ad possessionem sui auctoris, si probat illius possessionem, & suum Clericatum, non tenetur iustificare narratiuam suæ gratiæ.*

2 *Quando Beneficium non est litigiosum, est necessaria iustificatio.*

ficatio. Contrarium in casu, num. 4.

3 *In Beneficio litigioso, quare non sit necessaria iustificatio.*

4 *Stante reseruatione, vel affectione, nec Ordinarius, nec qui uis alius possunt se intromittere in prouisiones.*

5 *Quando possessio est vacans, non fit præiudicium possessori.*

6 *Vnio licet sit nulla, remanet tamen affectio, propter appositionem manus Papæ.*

7 *Vacatio Beneficiorum promoti ad Episcopatum, non inducitur ante consecrationem, & adeptionem possessionis: quando promotus non fuit in mora petendi consecrationem.*

DECISIO CLXVIII.

FVit per Dominos resolutum, D. Honufrio esse dandum mandatum de immittendo. Quia cum sit gratiose subrogatus ad possessionem sui auctoris,
1 & † probet illius possessionem, & suum clericatum; hoc ei sufficit, nec tenetur iustificate narratiuam suæ gratiæ, iuxta *dec. Put. 495. lib. 2. Paluott. dec. 119.*

Nec placuit Dominis fundamentum, quòd sit ne-
2 cessaria iustificatio, cùm † beneficium non sit litigiosum, iuxta distinctionẽ alias factam *in Causa Burgen. de Pancoruo*, & postea confirmatam in pluribus alijs causis. Quia sicut in beneficio litigioso non requiritur iustificatio, ex eo quòd non infertur præiudicium Ordinario, nec alteri, cùm non possit fieri prouisio stante lite; Ita pariter dicendum est, quando
3 adest reseruatio, vel affectio; cùm, † stante reseruatione, vel affectione, nec Ordinarius, neq; alius possint se intromittere; vt fuit resolutum coram me *in Causa Calagaritana Dimidiarum portionum del Burgo 20. Decembris 1593.*

4 Preterea, cùm † non exhibeatur titulus Francisci, nec probetur eius possessio, non requiritur iustificatio,
5 rio, licet beneficium non sit litigiosum: Quia † possessio est vacans, & non fit præiudicium possessori, vt fuit resolutum *in Causa Parmen. Beneficij de Tholentin. 21. Aprilis 1589. coram R. P. D. meo Pegna*, & *in Causa Parmen. Prioratus 23. Iunij 1589. coram Illustrissimo Domino Card. Mantica.*

6 Non obstat quòd vnio est nulla. Quia † licet vnio sit nulla, remanet affectio propter appositionem manus Papæ: siue nullitas proueniat ex defectu causæ, siue ex inhabilitate prouisi, aut ex alio capite.

Non obstat, quòd vnio fuit facta de Canonicatu primo vacaturo, & non constat istũ fuisse primum, qui vacauit. Quia Honofrius habet fundatam suam intentionem in ista vacatione: &, si Franciscus pretendit quòd successerit alia vacatio, ipse debet probare; vt fuit resolutum coram me *in Causa Regien. Prebendæ Theologalis 13. Nouembris 1595.*

Hoc autem dicebant Domini non probari: Quia Villa, ex cuius persona pretenditur alia vacatio ob promotionem ad Episcopatum, non erat adhuc con-
7 secratus: & † vacatio beneficiorum non inducitur ante consecrationem, & adeptionem possessionis quando promotus non fuit in mora petendi consecrationem, *Innoc. in cap. cum in cunctis, num. 4. Abb. in dict. ca. §. cum verò, num. 6. de elect.* & ita fuit alias resolutum *in Causa Panormitana Beneficiorum 9. Ianuarij 1548. coram Accorambono*; & *in causa Veglen. Pensionis 19. Iunij 1570. coram R. P. D. meo Seraphino*, & *in causa Toletana Scholastica 22. Iunij 1592. coram Reueren. P. D. meo Oreno.*

SPOLETANA. BONORVM.

Lunæ 15. Martij 1599.

ARGVMENTVM.

Venditio bonorum fideicommissariorum, in quo casu sustineatur.

SVMMARIVM.

1 *Promissio facta in venditione, quòd bona sunt libera, &c. intelligitur limitate, respectu validitatis venditionis, per securitate emptoris.*

2 *Alienatio est valida, quando fideicommissum non impedit validitatem alienationis.*

3 *Prohibitio alienationis, si non est facta contemplatione certæ personæ; vel est nulla, vel censetur facta in odium alienantis, fauore cohæredis, vel venientium ab intestato. num. 4.*

5 *Pactum resolutiuum habet locum, si is, in cuius fauorem est appositum, eo vti velit.*

6 *Alienans, & sustinens litem super validitate alienationis, censetur nolle vti pacto resolutiuo.*

7 *Filij positi in conditione, regulariter, non censentur vocati.*

DECISIO CLXIX.

FVit resolutum, venditionem substineri. Principa-
1 le fundamentum Dominorum fuit: Quia promissio facta in contractu venditionis, quòd bona sunt libera, & non subiecta alicui fideicommisso intelligitur limitate, respectu validitatis contractus venditionis, pro securitate emptoris vt fuit alias resolutum *in Causa Romana Bonorum de Lilio 7. Februarij 82. coram Reu. P. D. Seraphino.* Et ideo, etiam si adsit fideicom-
2 missum, si non impedit validitatem alienationis, alienatio est valida, & partes non possunt ab ea recedere. Vnde cùm in casu isto prohibitio alienationis non
3 sit facta contemplatione alicuius certæ personæ, vel est nulla, iuxta vnam opinionem, vt per Ang. *in cons. 154. Iac. in leg. filius familias, §. Diui, nu. 68. de leg. 1*
4 Vel saltim censetur facta in odium alienantis, fauore cohæredis, vel venientium ab intestato: vt per Rip. *in dict. §. Diui num. 35.* Et cùm tempore alienationis Nicolaus decessisset ab intestato, relicto solum Aurelio filio masculo hærede, expirauit ista prohibitio in persona ipsius Aurelij venditoris, qui in venditione obligauit se de euictione; & repellitur ex regula legis *venditionem, ff. de euict.* & consequenter venditio est valida, & emptor est tutus.

Nec placuit Dominis, quòd ista alienatio sit nulla propter pactum resolutiuum positum in donatione in euentum alienationis. Quia resoluta donatione, bona donata remanserunt libera in hæreditate Nicolai iam defuncti ante alienationem; & sic spectabant ad Aurelium eius vnicum filium, & hæredem, qui non se restrinxit in venditione ad titulum donationis: Ideo, si alienatio non fuit valida titulo donationis, substinetur vti facta ab hærede Nicolai.

5 Preterea, † pactum resolutiuum habet locum, si is, in cuius fauorem est appositum, eo vti velit *leg. 2. ff. de leg. commis.* Et cùm hodie nullus adsit, præter Aurelium, qui non declarauit se velle eo vti; cessat pactum resolutiuum. Tanto magis, quia alienando,

&

6 & sustinendo † litem super validitate alienationis,
satis declarauit nolle vti pacto, *leg. cum de lege, §. vlt. & leg. sequen. ff. de leg. commiss.*

Non obstat substitutio facta Aurelio, si sine filijs
decesserit. Quia bona in istũ casum debebant redire
ad Nicolaum, & eius hæredes, & successores: & cùm
Nicolaus decesserit, bona effecta sunt libera in per-
7 sona Aurelij eius filij, & hæredis; cùm † filij Aurelij
sint solum positi in conditione, & consequenter non
intelliguntur vocati, iuxta glos. in *leg. Lutius, ff. de hæred. inst.* quàm Rota sequitur: & non est locus Statuto
Vrbis; cùm bona sint sita in territorio Spoletano; vt
fuit resolutum *in Causa Terracinen. Bonorum 9. Octobris 1570. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.*

SEGVNTINA DECIMARVM.

Veneris 19. Martij 1599.

ARGVMENTVM.

Examen vt sit validum, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Citatio ad videndum iurare testes, sufficit pro toto termino probationis.*

2 *Examen extra locum Iudicij vt sit validum, debet præcedere citatio pro remissoria. Vel saltem remissoria intimatio, & num. 3.*

4 *Scientia loci examinis, efficit vt examen absque citatione pro remissoria, sit validum. Dummodo scientia habeatur ante completum examen.*

DECISIO CLXX.

Domini resoluerunt, examen Capituli esse validum: Quia fuit factum infra terminum probatorium, cum successiuis prorogationibus intimatis,
1 & cùm citatione ad videndum iurare testes: quæ †
sufficit pro toto termino probatorio; vt fuit resolutum *in Causa Toletana Decimarum de Salcedon 16. Februarij 1590. coram R.P.D. Penia, & in Causa Pacen. Decimarum 20. Iunij 1594. coram me.*

Quantum ad examen Episcopi, Domini censuerũt
esse nullum: Quia fuit factum extra locum iudicij in
loco de Anguita, absque citatione Capituli: & cum
citatio præcedens intelligeretur pro loco iudicij, re-
2 quirebatur, vt † examen in alio loco esset validum,
quòd Capitulum fuisset citatum, quando fuit decreta remissoria pro isto loco, Caputaq. *dec. 272. par. 3.*
3 Vel saltim; quòd † fuisset ei intimata remissoria, vt
potuisset habere notitiam loci examinis, Caputaqu. *dec. 274. par. 3.*

Nec placuit Dominis, quòd examen sit validum,
propter scientiam, quam habuit Capitulum loci exa-
4 minis; propter † quam scientiam examen absque ci-
tatione partis fuit aliàs declaratum validum *in Causa Legionen. Sancti Facundi 19. Martij 1590. coram R.P.D. meo Pamphilio, & in Causa Calaguritana Oblationum 26. Martij eiusdem anni coram D. Episcopo Perusino.* Quia
ad istum effectum esset necessaria scientia Capituli
de tempore examinis, vt potuisset dare sua interrogatoria: & ista scientia non probatur concludenter.
Licèt enim pro eodem loco Capitulum obtinuerit remissoriam, & coram eodem receptore examinauerit
vnum testem: tamen examen Capituli non fuit factum vigore eiusdem Commissionis, neq; eodem tempore, quo factum fuit examen Episcopi: In quo casu
posset intrare præsumptio scientiæ: Sed examen Capituli fuit factum post completum examen Episcopi,
5 & cùm sit vis in tempore, † scientia post completum
examen non sufficit ad illud conualidandum, Rain. *cons. 95. num. 9. lib. 4.*

ELVEN. BENEFICII.

Lunæ 22. Martij 1599.

ARGVMENTVM.

Residentia Episcopi in sua Ecclesia, qualis esse debeat, ad effectum priuilegij alternatiuæ. Declaratur Regula Cancellariæ reseruationum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet alternatiuam, quandiu in sua Ecclesia verè, & personaliter resederit.*

2 *Regula reseruationis concedens alternatiuam, requirit præsentiam temporalem Episcopi; dummodo sit per integrum mensem.*

3 *Præsentia temporalis Episcopi, pro alternatiua, debet esse ordinata ad effectum residendi in sua Ecclesia.*

4 *Residentia Episcopi casualis, & momentanea in sua Ecclesia, absque animo permanendi; non dicitur propriè residentia requisita à Regula reseruationum.*

5 *Regulæ reseruationum intentum fuit, allicere priuilegio alternatiuæ, Episcopos ad residentiam.*

DECISIO CLXXI.

Reuerendissimus Episcopus Eluen, cõtinuò commoratur in Ciuitate Vlixbonensi, vbi præest officio Sanctissimæ Inquisitionis totius Regni: sed ante festa Paschalia solet accedere ad suam Ecclesiam; Et ijs peractis, iterum reuertitur ad dictam Ciuitatem. De anno 1598. accessit ad suam Ecclesiã diè 6. Martij, in qua resedit per totum mensem Aprilis: de quo mense vacauit per obitum Baltasaris de Lucena Beneficium simplex in Ecclesia Parochialis Sancti Saluatoris. Et cùm dubitaretur, an collatio spectaret ad eum vigore alternatiuæ, quam acceptauerat; vel Beneficium esset reseruatum: Proposui Dubium, An Beneficium esset reseruatum? Et fuit resolutum, esse reseruatum.

Potissima ratio istius resolutionis fuit: Quia licèt
1 regula tribuat Episcopis priuilegium alternatiuæ,
quandiu apud suas Ecclesias verè, & personaliter re
2 sederint; & sic est † contenta præsentia temporali,
Episcopi, dummodo sit per integrum mensem, iuxta
interpretationem aliàs datam *in Causa Fauentina Canonicatus 16. Decembris 1586. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.* Tamen debet intelligi de præsentia
3 temporali ordinata ad effectum permanendi, & resi-
dendi in sua Ecclesia; non autem de casuali momen-
tanea, & temporali, non cum animo permanendi, sed
4 recedendi: quia † ista non dicitur propriè residen-
tia, quàm regula requirit. Archid. *in cap. licet canon, num. 5. de electione in 6. Com. cons. 244. num. 18. & 19. lib. 2.*

Et ista interpretatio est multum, conformis men-
5 ti regulæ, quæ † fuit, allicere Episcopos ad residen-
dum, propter hoc priuilegium. Cui menti non satisfit per præsentiam momentaneam, & temporalem,
cum animo discedendi. Vnde cùm Reuerendissimus

Epi-

Episcopus, non accesserit ad suam Ecclesiam, cum animo permanendi, sed iuxta solitum aliorum annorum, peractis functionibus Paschalibus, redeundi, prout rediit, ad dictam Ciuitatem, in qua, vt dictum est, continuo commoratur, non est locus regulæ, & consequenter, cessante alternatiua, Beneficium est reseruatum ratione mensis.

CAMERINEN. PECVNIARIA.

Veneris 2. Aprilis 1599.

ARGVMENTVM.

Promissio correspectiua ad contractum, cessat resoluto contractu.

SVMMARIVM.

1 *Resoluto contractu, cessat onus ei correspectiuum.*
2 *Amplia, etiamsi contractus resoluatur ex causa voluntaria.*

DECISIO CLXXII.

FVit resolutum, non esse locum executioni. Fundamentum principale Dominorum fuit: Quia ista promissio soluendi Domino Perbenedicto scuta quinquaginta quolibet anno durante appaltu gabellę, est
1 correspectiua ad ipsum appaltum. Ideo cùm † appaltus fuerit resolutus, succedit regula correspectiuorum, quòd cessante appaltu, cesset etiã ista promissio *leg. vltima, ff. de acceptil. leg. filio, §. matri, ff. de adim. leg.*
Nec placuit Dominis, quòd appaltus non habuit
2 effectum, ex † causa voluntaria, quæ non debet nocere Domino Perbenedicto, cui erat ius quæsitum. Quia resolutio appaltus fuit facta vigore transactionis, occasione litis, quæ pendebat super hoc coram A.C. ob inobseruantiam locationis, & læsionem conductoris. Et ideo cum ista promissio sit correspectiua ad appaltum, vt supra dictum fuit, intelligitur ei ius quæsitum cum sua causa scilicet, si appaltus esset obseruatus, & duraret, vt fuit resolutum *in Causa Romana de Zambecariis 10. Martij 1589. coram D. Episcopo Perusino.*

SALAMANTINA PORTIONIS.

Veneris 30. Aprilis 1599.

ARGVMENTVM.

De collatione simultanea Episcopi, & Capituli.

SVMMARIVM.

1 *Turnus dicitur consumptus per prouisionem factam, si non probetur vel vacationem non habuisse effectum; vel postea aliam vacationem successisse.*
2 *Collatio Beneficiorum, de Iure communi, est simultanea.*
3 *Regula (nunc) tertia Cancellariæ excipit Beneficia ad collationem cum alio: Et reseruat solum Beneficia spectantia ad collationem Episcopi, & non Capituli, & num. 4. & 6.*
5 *Capitulum Sede vacante, potest conferre in vacatione in turno Episcopi.*

DECISIO CLXXIII.

DOmini resoluerunt quòd ista vacatio contingit in turno Capituli: Quia turnus Episcopi fuit consumptus per prouisionem ab eo factam de anno
1 1586. cùm Didacus non probet † quòd ista vacatio non habuerit effectum, vel postea successerit alia vacatio; prout ad illum effectum est necessarium; vt fuit resolutum coram me, *in Causis Regien. Præbendæ Theologalis, & Barchinonen. Canonicatus.* Et ideo non est locus reseruationi vigore regulæ secundæ, neque de
2 Iure Communi secundum † quod collatio est simul-
3 tanea, *Cassad. decis. 22. de præbend.* Et regula † excipit beneficia ad collationem cum alio. Neque vigore concordiæ: quia vacatio cadit in turno Capituli, vt
4 dictum est, & regula † reseruat solum beneficia spectantia ad collationem Episcopi, & non Capituli. Cui Papa non intellexit præiudicare.
5 Aliqui etiam ex Dominis tenebant, quod † Sede Episcopali vacante, Capitulum possit conferre in vacatione in turno Episcopi. Intelligebant enim, quòd per concordiam fuerit solum diuisum exercitium cõferendi, Sede Episcopali plena; & ea vacante, dispositio fuerit relicta in terminis iuris communis, iuxta decisionem Put. 184. *lib. 3.* Et ideo, cum remanente collatione simultanea, collatio Sede Episcopali vacante non spectet ad Episcopum, sed ad Capitulum,
6 *cap. 1. ne Sed. vac. in 6.* cessat regula, † quæ solum habet locum in beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi. Sed super hoc, vti non necessario, alij Domini non fecerunt fundamentum.

ROMANA CONSIGNATIONIS GRANI.

Mercurij 5. Maij 1599.

Argumentum per se patet.

SVMMARIVM.

1 *Fructus pensione non soluta, non pertinent ad conductorem.*
2 *Identitas grani non probatur ex translatione illius ab vno granario ad aliud.*

DECISIO CLXXIV.

DOmini censuerunt mandatum esse exequendũ: quia adest obligatio Domini Octauij in forma Cameræ de restituendo prioribus, & potioribus creditoribus; Et hypotheca ad fauorem istorum filiorum est anterior: & ideo mandatum de consignando ad eorum fauorem relaxatum, est iustum, & consequenter exequendum.
Nec placuit Dominis, quòd sub ista hypotheca, non veniant fructus Casalis Rotondi locati à D. Octa
1 uio: cùm, pensione † non soluta, fructus non pertineant ad conductorem: Quia etiam si testes essent validè examinati, non probatur identitas grani. Licet
2 enim † granum ex isto Casali fuerit allatum ad granarium de Guarinariis, vt testes deponunt, tamen ex hoc non sequitur, quòd idemmet granum fuerit postea consignatum D. Octauio; cùm possit esse quod in illo granario adesset etiam aliud granum.
Aliqui etiam ex Dominis existimabant, quòd etiã si probaretur identitas grani, Dominus Octauius sibi præiudicauerit, accipiendo illud granum in depositum, cum obligatione de restituendo prioribus, & potioribus creditoribus, & per actus subsequentes.

CRE-

CREMONEN. AQVARVM.

Mercurij 5. Maij 1599.

ARGVMENTVM.

Consensus promissus quatenus opus sit, in quo casu præsumatur.

SVMMARIVM.

1 *Executio obligationis in forma Cameræ non potest retardari per exceptionem non releuantem, vel saltem turbidam.*

2 *Consensus præsumitur interuenisse, dum consentire debens habuit scientiam actus, & illi non repugnauit.*

DECISIO CLXXV.

Fuit resolutum, mandatum relaxatum per A. C. esse iustum, & exequendum; fundamentum resolutionis fuit: Quia promissio restitutionis aquarum,
1 est pura, & liquida; & † exceptio, quam proponunt Oprandi, vel non est releuans, aut saltim est turbida: & ideo ex ea non potest retardari executio obligationis in forma Cameræ. Licèt etiam consensus Communitatis Brixiæ, qui fuit reseruatus, non fuerit adhibitus; tamen fuit reseruatus, quatenus opus sit; & respectu Oprandorum non fuit necessarius, cùm ipsi nihil promiserint Communitati circa requisitionem faciendam, vel alienationem in personas prohibitas, sed illa promissio fuit facta, solum à Comite Nicolao, qui deinde obtinuit licentiam liberam à Communitate alienandi in Oprandos, remanente sua obligatione de soluendo integrum liuellum in totum, & de affrancando. Et ideo, cùm consensus Communitatis, qui debebat solum interuenire in alienatione Comitis Nicolai, fuerit adhibitus; & Oprandi non sint obligati ad illum obtinendum, non possunt vigore pacti se excusare à restitutione aquarum, eo quia consensus Communitatis fuerit necessarius, & non interuenerit.

Præterea, cùm Oprandi sint obligati affrancare has aquas, & non curauerint eas liberare à dominio Communitatis, prout poterant, & tenebantur; ista exceptio, quòd consensus Communitatis, non fuit adhibitus, eis non suffragatur, cùm per eos stet, quominus iuxta conuentionem factam restituant aquas.

Addebant etiam Domini, quod consensus requi-
2 rebatur ad fauorem Communitatis; & † cum Communitas certificata non repugnet huic venditioni, nō possunt Oprandi, ad effectum impediendi restitutionem, opponere, quod non interuenit consensus Communitatis, Crosc. *decis.* 122. Anton. Augustin. *in epit. tit. de loc. §. 6.* & in his terminis fuit sæpe resolutum. Tanto magis, cùm attendatur promissio consensus quem hodie impugnant Oprandi; quæ impugnatio arguit, eos non adhibuisse eam diligentiam, quam debebant, pro obtinenda licentia Communitatis.

CIVITATIS CASTELLI CENSVS.

Lunæ 10. Maij 1599.

ARGVMENTVM.

Agitur de expressione confinium, in contractu Census.

SVMMARIVM.

1 *Expressio generalis, super vna domo in Censu impositione, habet vim specialis, & indiuiduæ designationis confinium.*

2 *Expressio confinium in Censu requiritur, vt possit constare de peremptione rei, super qua Census imponitur.*

3 *Census in dubio intelligitur impositus super domo existente in loco contractus.*

DECISIO CLXXVI.

Domini cum præsupposito, quòd Lelius tempore impositionis census haberet solùm vnam domum in Ciuitate Castelli, censuerunt censum substineri. Quia si non adesat nisi vna domus, in qua posset verificari impositio census, expressio generalis super vna domo habet vim specialis, & indiuiduæ designationis confinium, vt in his terminis tradit Bart.
1 per illum text. *in leg. 2. vers. 1. ff. de lib. & posthu.* & *ibi* Ias. *num.* 14. idem Bart. *in le. demonstratio falsa, n.* 7. *qu. num.* 16. *ff. de condit. & demonstr.* & post Cinum Iacob. de Aret. Bald. & alios, quos citat, bene deducit Tib. Decian. *in resp.* 22. *num.* 70. *lib.* 4.

2 Et hoc eo magis dicendum est: quia ista expressio confinium est necessaria ad effectum, vt possit constare de peremptione rei, super qua est impositus census, cuius periculum spectat ad emptorem. Et si verificatur præsuppositum, quod Lelius non haberet nisi vnam domum, est satisfactum menti, & intentioni Bullæ: quia succedente casu per emptionis non poterat esse dubium super qua domo fuisset impositus census.

Non obstat quòd Lelius habebat alias domos ex-
3 tra Ciuitatem Castelli: Quia in dubio † census intelligitur impositus super domo existente in loco contractus, Bart. *in leg. si cum dies*, §. *si arbiter ff. de recept. arbitr.* Et cessat omnis difficultas ex confessione, & declaratione ipsius Lelij, quòd census fuit impositus super ista domo.

CAMERINEN. DOTIS.

Lunæ 17. Maij 1599.

ARGVMENTVM.

Stipulatio in casu restitutionis dotis ab extraneo datæ, cui censeatur facta? Dotanti nè, an mulieri.

SVMMARIVM.

1 *Dos data ab extraneo, in euentum restitutionis, illi restituenda venit, & num. 4.*

2 *Mulier ab extraneo dotata, in stipulatione restitutionis dotis, potius videtur adiecta solutioni, quam obligationi.*

3 *Verba, iuxta stilum, & cōsuetudinem Ciuitatis, &c.*

4 *Efficiunt vt contrahentes censeantur voluisse se conformare dispositioni. Statuti illius Ciuitatis.*

5 *Mulier ab extraneo dotata, si decedat sine filijs, non potest de dote, etiam in testamento, disponere in præiudicium dotantis.*

DECISIO CLXXVII.

Domini resoluerunt, sententias esse confirmandas: Potissima ratio istius resolutionis fuit: Quia dos fuit data Camillæ à matre, & fratre, dè bonis proprijs; Ideo, cum non versemur in patre dotante,

tante, sed in extraneo, stipulatio in euentum restitu-
1 tionis sibi vel mulieri, censetur † facta soli dotanti,
cuius persona est posita in prima parte alternatiuæ;
2 non autem mulieri, quæ potius † videtur adiecta so-
lutioni, quam obligationi, Bald. *in leg. vltima num.* 11. *Cod. com. vtriusque iudic.* Bald. Nouell. *de dot. par. 6. priuil. 28. sub num. 2. vers. si autem stipulator.* Et consequen
ter sententiæ in ea parte, in qua declaratur dotem
esse restituendam Tiburtio hæredi matris, sunt iustę.
Tanto magis, cum postea sint adiecta illa verba, *Vel cui de iure veniret restituenda iuxta stilum, & consuetudi-*
3 *nem Ciuitatis Camerini*: Quæ operantur vt contrahen
tes censeantur voluisse restitutionem fieri sicut Statu
tum disponit Imol. *in leg. Caius col. penul. ff. solut. mat.*
4 Bald. Nouell. *priuil. 29.* Et sic † dotanti, vt disponit
Statutum Camerini in casu soluti matrimonij sine fi-
lijs, quando dotaos de proprijs bonis stipulatus est
dotem sibi reddi.

Non obstat testamentum vxoris ad fauorem ma-
5 riti. Quia † non potuit disponere de hac dote in prę-
iudicium Tiburtij, cui est debita. Alba *cons. 50. num. 1.*

BONONIEN. DE SAVONANTIIS.

Lunæ 17. Maij 1599.

ARGVMENTVM.

Agitur de substitutione filiorum ad inuicem. Reij-
ciuntur nonnullę exceptiones contra validitatem
sententiæ.

SVMMARIVM.

1 *Venditori debentur fructus recompensatiui rei venditæ, pro rata precij non soluti.*
2 *Substitutio filiorum ad inuicem, continet tantùm vulgarem: Et hæc expirat per aditionem hæreditatis.*
3 *Conditio tacita habet locum in substitutione vulgari.*
4 *Dictio &c. apposita post verbum* Substituit, *an debeat extendi,* Vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum.
5 *Iudex successor non habet facultatem cognoscendi Causas delegatas antecessori nomine proprio.*
6 *Cognitio Causæ commissa Iudici sub nomine Dignitatis, transit in eius successorem.*
7 *Bononiæ, in Causis coram Auditore, proceditur sub nomine Vicelegati.*

DECISIO CLXXVIII.

FVit resolutum, esse locum executioni sententia-
rum ad fauorem D. Hieronymi. Moti fuerunt Do
mini: quia sunt duæ conformes, quæ vigore Statuti
habent vim trium. Et de earum iustitia non potest
1 dubitari, cùm declarent, fructus † recompensatiuos
rei venditæ, pro rata pretij non soluti, esse debitos
Hieronymo, iuxta dispositionem legis, *curabit, Cod. de act. empt.* & pro illis esse locum executioni: &
consequenter sunt exequendæ.

Non obstat fideicommissum Hieronymi Senioris,
2 Quia † substitutio filiorum ad inuicem continet tan-
tum vulgarem, *leg. iam hoc iure, in princ. ff. de vulg.* Bart. *in leg. Lutius in pen. quæst. vers. vtrum substitutio breuiloqua,* & *ibi* Ripa *num. 41. ff. eodem* Bart. *in leg. Centurio, num. 37.* & *ibi* Iason *num. 54.* & Ripa *num. 149. eodem titulo.* Quæ per aditionem hæreditatis expirauit, *leg.*
3 *post. aditam, Cod. de impub. & alijs subst.* Et conditio †
tacita ex dispositione legis, *cum auus*, non habet lo-
cum in substitutione vulgari, glos. Alber. & alij *in leg. generaliter, § cum autem, Cod. de inst. & substitut.* Soccin. *in dict. leg. cùm auus, num. 19.* Dec. *cons. 416. num. 5.* Il-
lustrissimus Cardin. Mantica *de coniectu. lib. 10. titul. 8. num. 1.*

Nec placuit Dominis, quod dictio, *&c.* debeat ex-
tendi, vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum:
4 Quia ista dictio, *&c.* non est apposita immediatè
post verbum *substituit*, sed post illud adest album va-
cuum, & postea sequitur verbum cancellatum; & de-
inde est apposita dictio, *&c.* Et ideo Collegium No-
tariorum noluit extendere, neq; declarare quod clau
sula substitutionis terminetur ab ista dictione, *&c.*

Non obstant nullitates. Et primò quòd sententia
Lucæ Antonij sit nulla ex defectu iurisdictionis, cùm
non haberet facultatem cognoscendi causas delega-
5 tas nomine proprio Cruccio, licèt successerit in eius
locum, *cap. cum iure, de offic. delegat.* Quia causa fuerat
6 commissa Cruccio, vti Auditori generali, & sic sub no
mine dignitatis, & consequenter iurisdictio transit
in successorem, *cap. quoniam Abbas de offic. deleg.*

Non obstat alia nullitas ex defectu citationis ad
sententiam, quæ fuit facta coram Vicelegato, & non
coram Auditore qui pronuntiauit. Quia in Ciuitate
7 Bononiæ coram Auditore proceditur sub nomine
Vicelegati, sicut in Curia in tribunali A.C. citationes
fiunt coram A.C. & Locumtenens procedit in causis,
& pronuntiat.

Non obstat quod executio fuit concessa Hierony-
mo, vti hæredi Francisci ab intestato. Quia tam peti-
tio, quam sententiæ, habent clausulam, *omni meliori modo*: neque in eis fit mentio quòd Hieronymus sit
hæres Francisci ab intestato. Ideo hoc fundamentum
cessat, cum ab eo fuerit deductum omne ius suum; &
iudices in sententijs se non restrinxerint.

COLIMBRIEN. CANONICATVS.

Lunæ 24. Maij 1599.

ARGVMENTVM.

Concordia inter Episcopum, & Capitulum, non
præiudicat reseruationibus Apostolicis, nisi à Pa-
pa, sit confirmata pure, simpliciter, & absque vl-
la præseruatione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest, vigore alternatiuæ, conferre Beneficium non vacans in vno ex quatuor mensibus.*
2 *Alternatiua non capit Beneficia simultaneæ collationis.*
3 *Papa, in dubio, non censetur sibi velle præiudicare, extendendo alternatiuam ad ea Beneficia, in quibus Episcopus residens ea gaudere non potest.*
4 *Declaratur Decisio coram Episcopo Oriolensi*, in Salamantina Alternatiuæ.
5 *Alternatiua tollit tantùm obstacula. Intellige vt num. 6.*
7 *Diuisio inter Episcopum, & Capitulum, pro sedandis controuersijs, est valida, etiam absque confirmatione.*
8 *Sed non ideo præiudicatur reseruationibus Apostolicis, si non est confirmata.*
9 *Inferiores non possunt, eorum pactis priuatis, præiudicare reseruationibus Apostolicis.*

DE-

DECISIO CLXXIX.

DOmini resoluerunt, quòd cùm iste Canonicatus
non vacauerit in vno ex quatuor mensibus, E-
piscopus non potuit illum conferre vigore alterna-
tiuæ.

Fundamentum resolutionis fuit. Quia cessante
1 concordia, collatio † erat simultanea, cùm non pro-
betur, quod priùs spectaret ad solum Episcopum,
Cassad. decis. 22. de præbend. Et ideo, cùm concordia,
qua ipse nititur, sit confirmata, saluis reseruationi-
bus, & affectionibus Apostolicis, & sine earum præ-
iuditio; sicut ante concordiam Episcopus, & Capitu-
lum non poterant conferre, nisi in quatuor mensibus,
2 propter regulam reseruatoriam; cùm † alternatiua
non capiat beneficia simultaneæ collationis: ita nec
etiam post concordiam: cùm, vt dictum est, in confir-
matione sit preseruatum preiuditium Sedis Aposto-
licæ, & reseruationum Apostolicarum.

Nec placuit Dominis, quòd præseruatio facta in
confirmatione intelligatur de alijs reseruationibus,
ratione familiaritatis, vel personarum. Quia verba
sunt generalia, & apta compræhendere omnem re-
seruationem: & militat eadem ratio in omnibus,
3 quòd † Papa noluerit sibi præiudicare, extendendo
priuilegium alternatiuæ ad ea beneficia, in quibus
Episcopus residens ea gaudere non potest:

Non obstat quòd hoc præiudicium non est atten-
dendum, cùm veniat in consequentiã eo ipso, quod
est facta concordia, iuxta decisionem alias factam
*in Causa Salamantina Alternatiuæ coram bon. mem. Epi-
scopo Orolen.* Quia in eo casu confirmatio erat sim-
plex, & pura, sine aliqua præseruatione. Ideo non
potest habere locum in hoc casu: cum in confirma-
tione adsit illa expressa præseruatio.

5 Non obstat quòd † alternatiua tollat tantũ obsta-
6 culum. Quia hoc procedit † respectu Benefitiorum
liberæ collationis, non autem respectu illorum, quæ
erant simultaneæ collationis, & effecta sunt liberæ
collationis, cum ista limitatione, vt non præiudice-
tur reseruationibus Apostolicis.

7 Non obstat quod ista † diuisio facta inter Episco-
pum, & Capitulum, pro sedandis controuersijs, sit
valida, etiam absque confirmatione; cum ipse Epi-
scopus sit auctor concordiæ, *cap. vlt.* & *ibi* glos. & Do-
ctor. *de præbend. in* 6. Ios. *in clem.* 2. & *ibi* Anch. *nu.* 13.
de iure patr. Et ideo cùm non sit necessaria confirma-
tio, Episcopus potest se fundare in sola concordia, in
qua non adest præseruatio. Quia ad illum effectum,
8 vt ex † concordia inferatur præiudicium reseruatio-
nibus Apostolicis in mensibus, quibus ante concor-
diam Episcopus non gaudebat, propter simultaneam
9 collationem, est necessaria confirmatio, cùm † non sit
in potestate inferiorum, per eorum pacta priuata
præiudicare reseruationibus Apostolicis, *cap. cùm in-
ferior, de maior. & obed. clem. ne Romani, de electio.* glos.
Bartol. Bald. Paul. & alij *in auth. quæ supplicatio, Cod. de
precib. Imper. offer.* Paris. *cons.* 118. *num.* 6. *lib.* 1. Alias, si
non esset necessaria confirmatio, aperiretur facilis
via includendi, in alternatiua Benefitia, simultaneæ
collationis, & eludendi dispositionem regulæ.

ROMANA REDHIBITIONE LIBRARVM.

Mercurij 2. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

Redhibitoria vtilis datur, etiam in libris.

SVMMARIVM.

1 *Redhibitoria vtilis datur etiam in libris, quando propter
vitium latens expedit eos non habere, vel multum im-
peditur eorum vsus.*

2 *Quando vitium latet, generalis protestatio,* talis qualis
*est, non releuat: sed necessaria est expressio in specie. In-
tellige, vt num.* 3.

4 *Ignorantia vitij rei venditæ non præsumitur in vendito-
res sed potius scientia.*

5 *Verba dubia contractus venditionis declarantur ex quan-
titate precij.*

6 *Redhibitoria datur in totum, quando libri sunt venditi vni
co precio, & vnus sine alio manet imperfectus.*

7 *Redhibitoria non datur emptori scienti vitium.*

8 *Redhibitoria cessat, quando vitium superuenit.*

9 *Tempus sex mensium præfinitũ redhibitoriæ, currit à die
scientiæ.*

10 *Redhibitoria non habet locum, quando vitium est modi-
cum.*

DECISIO CLXXX.

PLacuit Dominis Votum R.P.D. mei Decani aliàs
datum in hac Causa tunc pendente coram Reu.
P.D. Ala, & ideo concorditer resoluerunt, quòd sit
locus redhibitoriæ vtili: quia habet locùm etiam in
libris. In quibus licèt non concurrat qualitas mor-
bosi, vel vitiosi, propter quam datur emptori redhi-
1 bitoria directa; tamen † si propter vitium latens ex-
pediat eos non habere, vel multum impediatur eo-
rum vsus, competit redhibitoria vtilis, glos. *in leg.* 1.
ff. de ædilit. edict. Azo *in summa, Cod. de ædil. act. num.* 6.
Odofred. Alber. & Bald. *num.* 5. *in leg. vlt. Cod. eod. tit.*
Aret. *in* §. *vlt. num.* 2. *instit. de suspect. tut.* Et ista opinio
est communis, vt per Anton. Gomez. *var. resolut. lib.* 2.
cap. 2. *tit. de empt. & vend. num.* 48. Et ideo cum iste li-
ber fuerit emptus pro pretio satis notabili scutorum
2105. ad effectum vt typis excuderetur pro vsu Ec-
clesiarum; & ex depositione peritorum, & testium,
& ex Decreto Sacre Congregationis Rituum constet
esse ita refertum erroribus, & varietatibus, vt impri-
mi non possit, & sic non possit seruire ad vsum desti-
natum; bene intrat supradicta communis opinio,
quod sit locus vtili redhibitoriæ.

Non obstat, quod liber fuit venditus talis qualis
est. Quia vitium non erat tale, vt ab emptoribus
posset facile cognosci, cùm pro eo detegendo neces-
sarium fuerit adhibere peritos, qui præcedente dili-
genti discussione retulerunt librum, continere erro-
2 res, & varietates. Et † quando vitium non apparet;
generalis protestatio non releuat, sed necessaria est
expressio in specie, Bald. *num.* 4. & Salic. *num.* 2. *in leg.*
3 1. *Cod. de ædil. act.* Et licèt † hoc procedat solum in
venditore sciente vitium, & non in ignorante; in quo
casu sufficit generalis protestatio, vt per Bald. *in dict.
leg.* 1. *num.* 4. & Veronen. *in leg.* 1. §. *causa, ff. eod.* Tamen
4 ignorantia non probatur, & † scientia qualitatis rei
presumitur in venditore, vt bene deducunt informan-

tes. Præsertim cum etiam concurrant coniecturæ scientiæ.

Præterea dicebant Domini, quòd illa generalis protestatio debet intelligi vltra expressa; & sic, quando venditur liber talis qualis est, compositus, vel correctus, & reformatus à Ioanne Petro Aloysio de ordine Sanctæ mem. Gregorij XIII. quod est falsum, quantum ad Sanctuarium, quòd non fuit ab eo compositum, nec correctum, vt periti testantur: & ideo generalis protestatio venditori, non suffragatur. Et licèt fuerit appositum verbum, *vt dicitur*; tamen fuit appositum ad effectum, vt venditor se non restringeret solum ad compositionem factam à Io. Petro Aloysio, vt etiam si ab eo non esset compositus, sufficeret quod esset correctus, & reformatus; & non ad effectum restringendi, vt liber talis qualis est intelligatur venditus; & quod non sit compositus, neque correctus, & reformatus: Quia hoc repugnat intentioni contrahentiū, quæ fuit, vt liber imprimeretur. Quod

5 etiam colligitur † ex quantitate pretij, ex qua declarantur verba dubia contractus venditionis.

Non obstat quod Graduale de tempore est correctum. Quia venditio est facta vnico pretio; & emptores non emissent Graduale sine Sāctuario, cùm vnum sine alio sit opus imperfectum, & non afferens tantam vtilitatem emptoribus, quātam attulisset simul

6 cum alio. Ideo datur redhibitoria in totum, *leg. cùm eiusdem, & leg. Ediles, 1. §. vltimo, ff. de ædil. edict.* Bald. & alij *in leg. si prædium, Cod. de ædilit. act.*

7 Non obstat, quòd † redhibitoria non datur emptori scienti vitiū *leg. 1. §. si intelligatur, ff. de ædilit. edict.* Quia ista scientia non probatur, & est multum inuerisimilis, cùm fuerit emptus liber vti compositus vel correctus, pro tanta summa, ad effectum vt imprimeretur.

8 Non obstat alia limitatio, quòd † redhibitoria cessat, quando vitium superuenit. Quia est vera in iure, sed non applicatur: cùm liber tempore venditionis esset in eodem statu.

9 Non obstat, quòd tempus sex mensium præstitutum redhibitorię expirauit. Quia † currit à die scientiæ; *leg. cum sex, ff. de ædil. edict.* glos. *in leg. cum proponas, in vers. sex mensium, Cod. de ædil. act.* & vt dictum est, ista scientia non probatur, neque præsumitur.

10 Non obstat quod † redhibitoria nō habet locum, quando vitium est modicum. Quia vitium est magnum, cùm liber non sit talis, vt imprimi possit.

ANCONITANA FIDEICOMMISSI.

Mercurij 9. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata, non seruatis terminis substantialibus, est nulla.*

DECISIO CLXXXI.

1 Domini resoluerunt sententiam esse nullam: Quia † fuit lata non seruatis terminis substantialibus, Castell. *decis. 8. de rescr.* p. Capitaq. *dec. 249. par. 3.*

ROMANA, SEV CORNETANA PECVNIARIA.

Veneris 18. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

De hypotheca locatori competente super bonis inuectis.

SVMMARIVM.

1 *Locator in bonis in loco conducto inuectis, sibi specialiter hypothecatis, præfertur omnibus creditoribus, etiam anterioribus.*

DECISIO CLXXXII.

Domini resoluerunt, constare de bono iure D. Vipereschi. Quia cum granum cum suis bobus aratū, & pecunia recollectum, esset reconditum in puteo ab eo conducto, & ei specialiter in instrumen-

1 to hypothecatum, in † eo præferebatur creditoribus, etiam antecessoribus Zerbini, *leg. interdum, & ibi* Bartol. & alij, *ff. qui pot. in pig. hab. leg. licet, Cod. eod. titu.* Negus *de pignor. par. 5. 2. memb. num. 15.* Ideo non poterat ad instantiam aliorum creditorum fieri executio super isto grano. Tanto magis, cùm Viperescus esset creditor anterior Fortunij, & Emilij in scutis 200.

Et licèt Vipereschus debeat docere de adimplemento pro parte sua; tamen videbatur Dominis satis constare de adimplemento, ex partitis eius libri, sub scriptis à Zerbino, ex depositionibus testium, & ex computo solidato inter ipsum, & Vipereschum, & tutores filiorum Zerbini. Et ita fuit resolutum, informante tantum Vipereschо, coram bo. me. D. Orano; & à me in eius locum in hac causa subrogato, de ordine Dominorum fuit extensa decisio.

SPOLETANA TERRARVM.

Lunæ 21. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

Filij positi in conditione, ex coniecturis censentur vocati; Et recensentur multæ coniecturæ.

SVMMARIVM.

1 *Filij positi in conditione, iuxta opinionem Rotæ, non censentur vocati. Dummodo non concurrant coniectura in contrarium mentis testatoris, & num. 2.*

3 *Filij positi in conditione, si in alia parte testamenti sunt vocati expressè, censentur, etiam vocati in alia parte, in qua sunt positi tantùm in conditione.*

4 *Coniecturæ, quæ singulæ de per se non probant vocationem positorum in conditione, simul iunctæ, cum expressa vocatione in alia parte testamenti, sufficienter probant.*

5 *Quando in testamento sunt vocati heredes & successores, per nomen collectiuum; inter ipsos est inductum fideicommissum simplex, & absolutum.*

6 *Actio personalis non datur contra tertium possessorem. Contrarium, quando adest stipulatio pro se, & heredib. &c. & num. 7.*

8 *Pactum resolutiuum habet locum, volente eo, in cuius fauorem apponitur. Intellige, vt num. 9.*

10 *Donatio ob causam matrimonij, non eget insinuatione.*

DE-

DECISIO CLXXXIII.

QVoniam resolutio istius Dubij aliàs propositi, & resoluti, An venditio substineatur, pendet ab alia inspectione, An extet, vel non extet fideicomissum. quia stante fideicommisso, non est satisfactum obligationi de tradendo rem liberam, neq; emptor est tutus, cum substituti, facto loco substitutionibus possint reuocare alienationem: Per informantes fuit potissimum restricta difficultas ad hoc caput, An extet fideicommissum? Et Domini concorditer resoluerunt adesse fideicommissum, & consequenter venditionem non substineri.

Moti fuerunt, primo ex substitutione facta Aure-
1 relio, si decesserit sine filijs. Licèt enim † filij in conditione positi, non censeantur vocati, iuxta opinionem glos. *in leg. Lutius, ff. de hæred. inst.* quam Rota ser-
2 uat: tamen † secus est, quando concurrunt coniecturæ in contrarium mentis testatoris, Corn. *cons.* 146. *volu.* 2. Caputaq. *decis.* 69. *lib.* 3. *in manusc.*

Hic autem videbatur Dominis concurrere vrgen-
3 tissimas coniecturas, quòd † illi filij Aurelij positi in conditione, in alia parte testamenti, scilicet in casum delicti, sunt expresse vocati: & sic succedit, *cons.* Ias. 108. *col.* 5 *lib.* 4. quòd etiam in alia parte, in qua sunt positi in conditionè, censentur vocati; & tenuit Rota *in Causa Vrbeuetana Castrorum* 21. *Aprilis* 1578. *coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, & in alijs causis.*

4 Præterea, concurrunt aliæ coniecturæ: quòd † sunt positi in conditione filij masculi Aurelij, & sunt descendentes donatoris: & adest digressio ad alios gradus. Et licèt istæ coniecturæ singulæ de per se valde controuertantur inter Doctores; tamen simul iunctæ cum vocatione in alia parte, sufficiunt; vt per Gabr. *de fideicommiss. conclus.* 4. *num.* 49.

Secundo, fideicommissum est clarum, si Aurelius committat delictum: in quo casu donator disponit, quod bona ad filios masculos ipsius Aurelij, alioquin ad eius hæredes, & successores deuoluantur. Et ideo cùm Aurelius possit habere filios, & committere delictum, casus fideicommissi stat in pendenti.

Tertio aliquibus ex Dominis placebat aliud fundamentum, quòd prohibitio alienationis non est nuda, sed vestita ex causa, pro conseruatione bonorum
5 in filio, & alijs, vt supra dictum est. Et cùm † supra sint vocati hæredes, & successores per nomen collectiuum, inter ipsos est inductum fideicommissum simplex, & absolutum *leg. cum ita, §. in fideicommisso, & ibi* Paul. & alij, *leg. peto, § fratre, ff. de leg.* 2. Dec. *consil.* 38. *num.* 1. Soccin. *cons.* 90. *col. vlt. lib.* 1. & *in leg. si cognatis, num.* 32. *ff. de reb. dub.* Et fuit resolutum *in Causa Ianuen fideicommissi* 24. *Nouembris* 1586. *coram Reu. P. D. meo Pamphilio*, & sæpiùs in alijs causis. Et licèt clausula declarans non sit posita statim post prohibitam alienationem; tamen secundum istos Dominos, est clausula generalis de per se in fine posita, & debet referri ad omnes substitutiones.

Non obstat quod ex isto fideicommisso oritur so-
6 lum actio personalis, quæ † non datur contra tertium possessorem *leg. quoties, Cod. de donatio. quæ sub modo.* Quia in casu isto adest stipulatio pro hæredibus, & successoribus, cum donatio fuerit facta Aurelio præsenti, &c. & sic acceptanti pro se hæredibus, & suc-
7 cessoribus: in † quo casu cessat dispositio dict. legis, *quoties*, cùm habeat locum solùm quando non interuenit stipulatio.

Non obstat quòd non potest amplius esse locus fideicommisso, cùm, stante pacto resolutiuo, resoluta donatione fuerit etiam resolutum fideicommissum, & bona redierint ad Nicolaum, & vti libera peruenerint ad Aurelium, qui solus est hæres Nicolai.
8 Quia † pactum resolutiuum habet locum, volente eo, in cuius fauorem est appositum, *leg.* 2. *ff. de leg. comis.* & sic donante, qui decessit absque aliqua decla-
9 ratione. Nec potest Aurelius, qui contrauenit, vti hoc pacto in eius odium adiecto, in præiudicium vocatorum ex fideicommisso, quibus post obitum donantis acquisitum est ius in spe in casu obitus ipsius sine filijs, vel delicti, vt dictum est.

Non obstat quòd ista donatio est nulla, cùm non
10 fuerit insinuata. Quia † donatio fuit facta ob causam matrimonij, vt Aurelius commodius posset matrimonium contrahere: ideo insinuatio, non est necessaria, Bart. Ang. Imol. & alij *in leg. Aquilius Regulus, ff. de donat.* Et in terminis Statuti fuit resolutum *in Causa Romana Viridarij* 23. *Februarij* 1590. *coram Reu. Pad. Dom. Orano.* Et ex his Domini recesserunt à resolutis.

SALAMANTINA PENSIONIS.

Veneris 25. *Iunij* 1599.

ARGVMENTVM.

Regula (nunc) tertia Cancellariæ an habeat locum in collationibus spectantibus ad Capitulum.

SVMMARIVM.

1 *Collatio, de iure communi, est simultanea Episcopi, & Capituli.*

2 *Sede Episcapali vacante, collatio, qua erat simultanea, spectat ad Capitulum, & num.* 7. *&* 8.

3 *Regula reseruatoria non comprehendit Beneficia spectantia ad collationem Capituli.*

4 *Prouisio spectat iure proprio, vigore Concordiæ, ad liberam collationem illius, qui est in turno. Intellige, & numero* 5.

6 *Exceptio Regulæ reseruatoriæ, Et non cum alijs, non habet locum, quando prouisio in turno Episcopi, propter diuisionem exercitij spectat ad eius liberam collationem.*

9 *Deuolutio non censetur, quando turnus non consumitur, nec alteratur; & Capitulum confert iure proprio.*

DECISIO CLXXXIV.

FVit resolutum, Capitulum potuisse cōferre istam portionem, Sede Episcopali vacante, etiam quod non sit in suo turno.

1 Fundamentum resolutionis fuit: Quia de iure † communi collatio est simultanea Episcopi, & Capi-
2 tuli, Cassa. *decis.* 22. *de prebend.* Et, stante † hac simultanea, collatio Sede Episcopali vacante spectat ad Capitulum, *cap.* 1. *ne sed. vac. in* 6. & consequenter non
3 intrat regula secunda reseruatoria; quia † non capit Beneficia spectantia ad collationem Capituli.

4 Nec placuit Dominis, quòd vigore † concordiæ prouisio spectet iure proprio ad liberam collationē illius: qui est in turno; vt in terminis huius concordiæ fuit resolutum coram bon. mem. Episcopo Oriolensi *in Causa Salamant. Alternatiuæ* 27. *Nouemb.* 1581.

5 & ideo sit locus regulæ. Quia per † hanc concor-
diam non diuiditur proprietas iuris conferendi, sed
remanente communione in proprietate, diuiditur
tantum exercitium; vt fuit resolutum *in Causa Roma-
na Benefitiatus Sancti Petri* 28. *Aprilis* 1595. *coram Reu.
Pad. D. meo Gipsio*. Propter quam diuisionem exer-
citij ius conferendi spectat ad illum, qui est in tur-
no. Et in his terminis loquuntur Io: Andr. Ancatan.
Gemin. & alij, qui allegantur. Et ideo etiam est lo-
6 cus alternatiuæ ad fauorem Episcopi: quia † proui-
sio in suo turno propter diuisionem exercitij, spectat
ad eius liberam collationem, & sic non intrat excep-
tio regulæ, *& non cum alijs*, vt fuit resolutum *in dicta
Causa Salamantina Alternatiuæ*. Sed Sede Episcopali
vacante hoc fundamentum cessat: quia concordia
in hoc casu non habet locum; & cessante concordia,
cessat diuisio exercitij, & remanet collatio commu-
7 nis, & † existente collatione communi, collatio, Se-
de Episcopali vacante, est libera Capituli *dict. cap.* 1.
ne Sed. vac. in 6. & consequenter cessat regula, quæ vt
dictum est, non habet locum in collationibus spectan
tibus ad Capitulum.

Et in hoc placuit Dominis decisio Putei 185. *lib.* 3.
quæ licet in impressis sit inemendata, & imperfecta,
tamen in originalibus quæ sunt penes vnum ex Do-
minis, est clara, quòd collationes Sede Episcopali va
cante per cap. 7. istius concordiæ, non imputantur in
8 turno Episcopi, sed Capituli, & quod Capitulum,
mortuo, Episcopo confert iure proprio, per text. *in
dict. cap.* 1. & sic propter collationem simultaneam.
In quo casu solum tribuitur *in dict. cap.* 1. facultas Ca-
pitulo conferendi. Et in margine illius decisionis,
idem Puteus annotauit, quòd proposito, postea ite-
rum eodem Dubio, fuit resolutum 3. Decemb. 1548.
Et hanc etiam dicebant Domini fuisse mentem Epi-
scopi, & Capituli, vt diuideretur solum exercitium,
Sede Episcopali plena: quia concordia fuit facta pro
euitandis discordijs, & dissensionibus inter eos, quæ
possunt solum oriri viuente Episcopo, propter simul
taneam collationem, & non Sede Episcopali vacāte.

Non obstat quòd Episcopus, & Capitulum *in dict.
ca.* 7. vtuntur verbo, *deuoluatur*: ex quo infertur, quòd
sic Capitulum Sede Episcopali vacante confert pro-
pter deuolutionem, & non propter communionem.
9 Quia ista non est propriè deuolutio, cùm turnus non
consumetur, neque alteretur, & Capitulum conferat
iure proprio ex dispositione iuris communis, vt di-
ctum est: sed perinde est, acsi dixissent, quòd collatio
spectet ad Capitulum.

ROMANA DOTIS.

Veneris 25. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

Confessio dotis, quo casu probet veram numera-
tionem. Statutum Vrbis *lib.* 1. *cap.* 152. an habeat
locum in dote,

SVMMARIVM.

1 *Promissione dotis præcedente, subsequens confessio probat
veram numerationem.*
2 *Confessio dotis præiudicat tertio, & creditoribus, quando
sunt lapsa tempora, opponendi de non numeratione se-
cuta.*
3 *Confessio receptionis dotis benè iustificatur ex verificatio-
ne aliarum partitarum in maiori summa.*
4 *Statutum Vrbis* lib. 1. cap. 152. *non habet locum in causa
dotis, & obligationis restitutionis illius.*

DECISIO CLXXXV.

FVit resolutum, vna tantum parte informante, con
1 stare de bono iure Barbatæ. Quia † vbi præcedit
promissio dotis, subsequens confessio probat veram
numerationem, *leg. in contract.* §. 1. *Cod. de non num. pec.*
2 Afflict. *dec.* 94. Et præiudicat † etiam tertio, & credi-
toribus, quando sunt lapsa tempora opponendi ex-
ceptionem non numeratæ dotis, Couar. *var. resol. lib.* 1.
cap. 7. *num.* 6.

Præterea, hic concurrunt solutio actualis scuto-
rum 100. etiam aliorum 36. à Fratribus de Populo:
item scutorum 50. acceptorum ad societatem officij
ad effectum soluendi dotem: item scutorum 50. in
acconcio: item scutorum 63. in tot vino, & sic in effe-
3 ctu confessio remanet solum in scutis 75. quæ † bene
iustificatur ex verificatione tot partitarum in longè
maiori summa.

Et licèt Iacoba se obligauerit sine solemnitatibus
4 Statuti: tamen † Statutum non habet locum in causa
dotis, Put. *decis.* 161. *lib.* 3. Caputaqu. *dec.* 199. *lib.* 3. &
obligatione restitutionis dotis; vt tradit Bald. No-
uell. *de dot. par.* 6. *priuil.* 12.

FERRARIEN. SOCIETATIS.

Lunæ 28. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

Contractus Societatis, in quo vnus ponit capitale,
alter verò operam, cum perceptione tertiæ partis
lucri; &, quòd, finita societate tenentur restitue-
re capitale, & omnia supellectilia. Item alius con-
tractus, quo ponens operam se obligat soluere so-
cio summam certam pro lucro incerto: An sint
contractus liciti?

SVMMARIVM.

1 *Verba debent interpretari secundum intellectum sanum,
bonum, &c. Ita vt in dubio excludatur contractus illi-
citus, & num.* 2.
3 *Promissio de restituendo capitale in fine societatis, intelli-
gitur de capitali tunc remanente.*
4 *Pactum de restituendo capitale remanens in fine societa-
tis, est validum, & licitum.*
5 *Quando capitale præponderat industriæ alterius socij, non
est illicitum, quòd ponens capitale percipiat duas tertias
partes lucri.*
6 *Lucrum incertum societatis vendi potest pro precio certo.*
7 *Exceptio posita ad diminuendum, non ampliat pactum.*
8 *Pactum assecurationis capitalis, vel lucri, in societate, non
est validum. Intellige, & num.* 9.
10 *Excessus taxationis lucri est probandus ab eo, qui illum
opponit.*

DECISIO CLXXXVI.

INter Sonzonios, & Truscardum Bolellum, fuerūt
initi duo contractus: quorum primus de anno
1585. continet societatem Aromatariæ duraturam
ad nouennium, in qua Sonzonij posuerunt capitale
librarum 15000. monetæ in tot mercibus, & duas
do-

domos cum apothecis,& massaritijs in eis existenti-
bus: Truscardus vero operam. Et cōuenerunt, quòd
Sonzonij perciperent duas partes lucri; & Truscar-
dus aliam tertiam partem: Et quod Truscardus te-
neretur ad omnes expensas necessarias, & quolibet
anno dare Sonzonijs libras 300. olei, & soluere fra-
tribus Sancti Poli lib. 60. pro vsu vnius ex dictis do-
mibus: Et quòd finita societate teneretur restituere
massaritias existentes in dictis apothecis, & etiam
capitale in mercibus, quæ tunc reperirentur extare,
Postea de anno 1586. fuit initus alius contractus: in
quo, præcedente narratiua, quòd Truscardus erat
quasi certus de lucro, quod in hac societate fieri po-
terat, cùm à multis annis esset versatus in eo exerci-
tio, conuenerunt quòd in locum duarum partium lu-
cri Truscardus solueret Sonzonijs quolibet anno scu-
ta 750. monetæ libera ab omnibus expensis; & to-
tum lucrum societatis esset suum: & quòd teneretur
infra certum tempus dare cautionem de dicta sum-
ma soluenda, & etiam pro valore capitalis, & quòd
in reliquis firma manerent pacta conuenta in dicto
primo instrumento societatis.

Sed quia Truscardus in tempore præstituto non
præstitit fideiussorem, fuit carceratus vti suspectus
de fuga, & ad effectum vt se liberaret à carceribus,
dedit fideiussorem de stando iuri, & judicatum sol-
uendo, Alexandrum Bergamum. Et hinc orta fuit lis
inter Sonzonios ex vna, & Truscardum, & Alexan-
drum eius fideiussorem; & postea eo defuncto Hip-
polytum eius filium ex alia; quæ posttemo fuit ter-
minata à supremo Consilio Iustitiæ ad fauorem Hip-
polyti. Et quia à sententijs Consilij non datur appel-
latio, fuit habitus recursus à Sonzonijs ad S. D. N. &
fuit ei supplicatum, vt comitteret in Rota Causam
appellationis à dicta sententia. Et quia inter alia
fundamenta pretendebatur sententia nulla ex defe-
ctu iurisdictionis, vti lata à judicibus laicis, cùm con
tractus prætenderentur vsurarij: sanctitas sua iussit
Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali
Aldobrandino Ciuitatis Ferrariæ, & illius Ducatus
Legato de latere, vt faceret proponere hoc Dubium
in Rota, An isti contractus essent vsurarij. Quod à me
de eius mandato executum fuit. Et cum prætende-
rentur illiciti, tam ex dispositione iuris communis,
quàm vigore Bullæ felic. record. Sixti V. placuit pri-
mo firmare, An essent illiciti ex dispositione iuris co
munis: & postea videre particulariter, An esset locus
Bullæ. Et Causa proposita, fuit resolutum contractus
non esse vsurarios ex dispositione iuris communis.

Quantum ad primum contractum, potissima ra-
tio resolutionis fuit: quia in eo non continetur quòd
capitale saluum, & integrum restituatur in fine socie-
tatis: sed continetur solum, quòd restituatur capita-
le. Quod Domini intelligebāt de capitale, quod supe
1 rerit in fine societatis: quia † verborum significatio
debet ad intellectum sanum, bonum, ciuilem, & vi-
tio carentem applicari, vt inquit Decisio nostra 10.
2 *num. 4. & 5. de testam. in antiq.* Et † vt excludatur con-
tractus illicitus, Alexan. *cons.* 191. *num.* 6. *lib.* 2. Ideo
3 ista † promissio de restituendo capitale, debet intel-
ligi de capitale remanente tempore finitæ societatis;
vt fuit alias resolutum *in Causa Forolinien. societatis* 2.
Decembris 1583. *coram bon. mem. Laurentan.*

Et hoc etiam Domini comprobabant ex verisimi-
limente contrahentium. Quia in cap. 11. continetur,
quod Truscardus sit obligatus consignare capitale,
in quello che si ritrouerà essere in dette botteghe: vel si Son-
zonij nollent accipere merces tunc existentes, soluere
earum valorem cum diminutione duodecim pro cen
tum. Poterat autem euenire quòd istæ merces non
ascenderent ad valorem capitalis: Ideo multum ve-
risimile est, quod si Sonzonij voluissent obligare Tru
scardum ad restitutionem totius capitalis, non se re-
strinxissent ad restitutionem capitalis, in mercibus,
tunc existentibus, vel ad solutionem earum valoris;
sed sibi prouidissent in istum casum, quòd si istæ non
ascendebant ad tantam summam, quantam impor-
tabat capitale, Truscardus esset obligatus soluere re-
siduum; sicut sibi expresse prouiderunt respectu mas-
saritiarum in cap. 7. quòd restituerentur in eo statu in
4 quo erant de tempore contractus. Et ideo † cum pa-
ctum non contineat, quòd capitale saluum restitua-
tur: sed intelligendum sit de restitutione capitalis re-
manentis, vt dictum fuit, istud pactum est validum,
& licitum, glos. *in leg. 1. in versic. obtinuit*, & ibi Bald.
Salic. Paul. & Fulg. *Cod. pro soc.* idem Salic. *in l. Mutuus
num. 3. ff. pro soc.*

Et licet in hoc contractu portiones lucri non sint
5 æquales tamen, † cum duæ domus Sonzoniorum,
cum apothecis, & auiamento, & capitale, cuius peri-
culum ipsi currebant, præponderent operæ, & indu-
striæ Truscardi, non est illicitum, quod Sonzonij per
cipiant duas partes lucri, Cald. *in capit. nauiganti, sub
n. 30. de vsur.* Couar. *var. resol. lib. 3. ca. 2. n. 2.* Purpur. *in
leg. si pascenda num. 25. & 26. Cod. de pact.*

Quantum ad secundum contractum, fundamen-
tum Dominorum fuit: quia continet solum assecuta-
6 tionem lucri, quæ est licita: Quia † sicut fructus agri
vel vineæ incerti, vendi possunt pro certo pretio, vel
locari; ita etiam vendi potest lucrum incertum hu-
ius societatis, Siluest. *in sum. in vers. societas, il primo,
num. 18.* & Armill. *num. 17.* Conrad. *de contract. quæst.
96. in 1. & 2. concl.* Nauarr. *in cons. 24. de vsur.* Io. Lop.
de contract. cap. 65. in fin. & late deducit Iacob Hein-
richman *cons. 8. num. 72. cum seqq.* Tanto magis, cùm
ex depositionibus testium appareat, quòd ista taxa-
tio non est excessiua, & cesset omnis fraus, & simula-
tio, cùm iste contractus fuerit initus elapsis sex men-
sibus post primum, & ad instantiam ipsius Truscar-
di, qui erat verisimiliter certus de quantitate lucri,
quod percipi poterat.

Non obstant quæ in contrarium adducuntur. Et
primo quod exceptio casuum fortuitorum in capit.
11. primi contractus, arguit quod capitale debebat
restitui saluum, etiam si perijsset ob alios casus. Quia
7 † exceptio, quæ est posita ad diminuendum, non
ampliat pactum, vt capitale saluum restitui debeat
contra dispositionem iuris communis, si ammittatur
ex alijs casibus, Cin. Bart. & alij *in leg. generali, §. vxo-
ri, ff. de vsufru. leg.* Anch. *in cap. 2. versic. quæro, Episco-
pus, de offic. vicar. in 6.* Milis *in versicu. exceptio*, Soccin.
cons. 47. num. 3. lib. 1. Felin. *in cap. quoniam frequenter,
num. 2. vt lit. non contest.* Et in terminis similis excep-
tionis casuum fortuitorum tradit Alexandr. *in cons.
28. num. 11. lib. 1.*

Non obstat quod in capit. 7. dicti contractus fuit
conuentum quod massaritiæ deberent restitui in fine
societatis in eo statu, in quo reperiebantur tempore
con-

contractus. Quia istæ massaritiæ non fuerunt datæ in partem capitalis, nec in illis cadebat societas: Ideo non est illicitum quod attendatur status de tempore contractus.

8 Non obstar quod † non valet pactum assecuratio
nis capitalis, neque lucri. Quia hic non adest assecu-
ratio capitalis, neque in primo, neque in secundo
9 contractu, cùm sit relatiuus ad primum: Et † cessante
assecuratione capitalis, assecuratio lucri est licita; vt
per Doct. supracitatos, & Iacob Heinrich. bene re-
spondet his, quæ in contrarium adducuntur per in-
formantes pro Hippolyto.

Non obstat quòd taxatio lucri sit excessiua. Quia
vltra quod hoc pertinet ad iustitiam contractus, de
10 qua hodie non quæritur; onus † probandi hanc ex-
cessiuitatem incumbit Hippolyto, Purpur, *in dict. leg. si pascenda num.* 29. qui eam non probat: Et ex depositionibus testium probatur contrarium, vt bene deducunt informantes pro Sonzonijs, in responsionibus.

LVNEN. SARZANEN. BENEFICII.

Lunæ 5. Iulij 1599.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus an acquiratur per solum augumẽtum dotis. De impetratione Gratiæ ob non publicationem.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia libera non potest redigi in seruitutem Iurispatronatus, per solum augumentum dotis.*
2 *Nec sufficit quòd sit depauperata; nisi totaliter dotem amiserit.*
3 *Vicarius sine mandato speciali non potest reseruare Iuspatronatus.*
4 *Mentio Iurispatronatus in Gratia, non est necessaria, quando Iuspatronatus fuit nulliter reseruatum.*
5 *Impetrans Gratiam ob non publicationem faciendam à primo prouiso, debet hanc negatiuam plenè, & concludenter probare.*
6 *Actore non iustificante suam Gratiam, reus possessor debet absolui.*

DECISIO CLXXXVII.

Fvit resolutum pro informante, sententiam A. C.
esse confirmandam. Moti fuerunt Domini: quia
in ea parte, in qua reuocatur prima sententia Vicarij
declarantis nullam gratiam Gabrielis, ob non factam
mentionem iuris patronatus, est iusta: quoniam Ec-
clesia erat iam ædificata, & erecta, & habebat suam
1 dotem. Ideò † per solum augumentum dotis Eccle-
sia libera non potuit redigi in seruitutem iurispatro-
natus, glos. *in cap. piæ mentis, in versic. patronum* 16. *qu.*
Abb. *consil.* 59. *lib.* 2. Roch. *de iurepatron. in versic. dotauit, quæst.* 2. Et non † sufficit ad illum effectum quod
sit depauperata, nisi totaliter dotem amiserit, ita vt
reducatur de non esse ad esse; vt *ibi* per Roce, *quæst.*
3. Bero. *cons.* 4. *num.* 26. *lib.* 1. Et in his terminis sæpe
fuit resolutum.

Præterea, iuspatronatus fuit reseruatum à Vica-
3 rio; qui † sine speciali mandato, non habet hanc
facultatem, Cald. *consil.* 1. *de offic. deleg.* Thom. de Tan.
decis. 20. & fuit dictum *in Causa Bononien. Iurispatrona-*
4 *tus coram bon. mem. Episcopo Oriolen.* Et † stante nulli-
tate reseruationis, non erat de eo necessaria mentio
in gratia Gabrielis, glos. *in capit. ex tenore*, & *ibi* Felin.
num. 2. *de rescru.* Rot. *dec.* 69. *eod. tit. in antiq.*

Quantum autem ad eam partem, in qua reuoca-
tur alia sententia Vicarij canonizatoria gratiæ An-
tonij, ob non publicationem Gabrielis, est etiam iu-
5 sta. Quia Antonius, qui dispositiue † impetrauit ob
non publicationem Gabrielis, tenetur hanc negati-
uam plene, & concludenter probare, Innoc. *in cap. super his col.* 3. *de accusat.* Bart. *in leg. in illa, ff. de verbor. obligat.* Et in his terminis fuit resolutum *in Causa Bononien. Canonicatus* 1. *Decembris* 1589. *coram Reuerend. Pad. D. meo Pamphilio*, & *in Causa Vlixbonen. Beneficij* 21. *Aprilis præteriti coram R. P. D. meo Lancellotto.* Ideo
non poterat præfigi terminus Gabrieli ad docendum
de publicatione, & declarari eius gratia nulla ob lap
6 sum temporis ad publicandum. Quia cum Anto-
nius esset actor, & non iustificauerit suam gratiam,
Gabriel reus, & possessor debebat absolui, Compo-
stell. *in cap. mandatum, de rescrip.* Rot. *decis.* 1. *de re iudic. in nou.* & consequenter sententia A. C. est iusta
& confirmanda.

PRÆNESTINA SPOLIJ. EXTRA ROTAM.

Lunæ 25. Octobris 1599.

ARGVMENTVM.

Examen testium extra terminum citationis ad videndum iurare testes, quando non sit nullum.

SVMMARIVM.

1 *Commissio sanatoria, arbitrio Rotæ dat facultatem dimittendi rigorem Iuris, & seruandi æquitatem.*
2 *Testes si sint examinati cum interrogatorijs Partis, Rota solet semper arbitrari, quòd eis sit adhibenda fides.*

DECISIO CLXXXVIII.

Licèt isti testes sint nulliter examinati, quia iura-
runt extra terminum citationis ad videndum
1 iurari testes: tamen stante † Commissione sanatoria
arbitrio Rotæ, per quam datur facultas dimittendi
rigorem iuris, & seruandi æquitatem, Cresc. *decis.*
287. Domini dixerunt eis esse adhibendam fidem.
2 Quia † sunt examinati cum interrogatorijs partis: in
quo casu cessante defectu iurisdictionis, Domini sem
per soliti fuerunt eorum dicta saluare, & arbitrari
quod eis sit adhibenda fides, Put. *dec.* 301. *lib.* 3. Caputaq. *dec. vltima lib.* 3. *in manuscr.* Et ita fuit resolutum *in Causa Cathanien. Illegitimitatis* 24. *Nouembris* 1586. *coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, in Causa Fulginaten. Domus* 3. *Iulij* 1589. *coram bon. mem. D. Gipsio*, & in quam pluribus alijs causis.

Fuit etiam per Dominos consideratum, quòd in casu isto multo magis est locus arbitrio: quia non adest totalis defectus citationis, sed defectus in eo versatur, quòd testes non iurarunt in tempore.

ROMANA VINEÆ DE PANNELLINIS.

Veneris 29. Octobris 1599.

ARGVMENTVM.

Cautio de restituendo prioribus, & potioribus, in quo casu non præstetur.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Immissus vigore Saluiani non tenetur cauere de restituendo prioribus,& potioribus.*

2 *Impedire volens immissionem, offerendo pecunias, non habet aliud remedium, nisi, vt creditor ei cedat actiones suas.*

3 *In actione tributoria est præstanda cautio de restituendo.*

4 *Creditoribus primò venientibus, regulariter, debet satisfieri, nulla præstita cautione.*

5 *Venditor coactus ad vendendum, non tenetur dare cautionem.*

6 *Inuerisimile est, quòd creditor per spacium plurium annorum neglexerit petere suum creditum.*

7 *Declaratur Baldus* in authent. hoc nisi, ad fin. Cod. de solution.

8 *In dictis Doctorum non sumitur argumentum à contrario sensu.*

9 *Hæres non tenetur petere cautionem de restituendo, nisi quando scit adesse alios creditores.*

DECISIO CLXXXIX.

DOmini resoluerunt, Petrum Lucam non teneri
ad præstandam cautionem de restituendo prio
ribus, & potioribus creditoribus ad fauorem Colle-
1 gij. Quia ei competebat immissio † vigore Saluiani;
& si fuisset immissus, non tenebatur præstare cautio-
nem: quia Collegium non poterat molestari ab ante-
rioribus creditoribus, cùm eis remaneret anterior
hypotheca super vinea. Nec ratione hypothecæ,
vel Saluiani, poterant auocare fructus bona fide con-
sumptos; nisi à die motę litis: Et ideo, si Collegium
vult impedire immissionem, offerendo pecunias, non
debet efficere eius conditionem deteriorem, vt tenea
tur ad pręstandam cautionem, ad quam non erat ob-
ligatus secuta immissione. Tanto magis, cùm in hoc
2 casu † offerenti non reperiatur prouisum de alio re-
medio, quàm vt creditor ei cedat actiones *leg. mulier, ff. qui pot. in pig. hab.*

Secundo moti fuerunt Domini, quia, excepta ac-
3 tione tributoria, in qua † debet præstari ista cautio,
quia æqualis est conditio; quandocumque agentium
leg. procuratoris, §. si plures, leg. non enim, & leg. illud, ff. de trib. act. & exceptis quibusdam casibus particula-
ribus, qui in dictis legibus referuntur per Doctores,
4 regulariter in alijs casibus † debet satisfieri credito-
ribus primo venientibus, nulla præstita cautione,
Alber. *in dict. leg. procuratoris, §. vlt.* & *ibi* Ang. *num.* 2.
Fulgos. *in vers. ratio differentiæ*, & Paul. de Castro *in dict. §. si plures*, Ioan. de Platea *in § introduxit, vers. & attende*, & Aret. *sub num. 4. instit. quod cum eo, qui in al. pot.* Et ideo, cùm non versemur in aliquo casu limita-
tionum, succedit supradicta conclusio Doctorum,
quòd non est locus cautioni.

Tertio placuit Dominis aliud fundamentum:
quòd Petrus Lucas petijt solum immissionem: Ideo
si Collegium vult eum cogere ad recipiendum pecu-
nias, & impedire immissionem, debet simpliciter
offerre, nec potest petere cautionem. Et placuit in
5 hoc simile, quod affertur per informantes de † ven-
ditore coacto ad vendendum; qui non tenetur ad prę
standam cautionem cum non vendat libere, & secun-
dum eius voluntatem, glos. *in leg. emptori duplam, ff. de euict.*

Quarto considerabant Domini, quod cessat timor
probabilis, quòd Collegium possit pati molestiam:
quia in actis non constat quod adsint creditores an-
teriores: Et creditum Petri Lucæ est de annis 1557.
Ideo multum verisimile est, quod verè non adsint:
6 quia † non fuissent negligentes in petendo per spa-
tium tanti temporis, Aim. *in cons. 269. num. 7. & 8.*

Non obstat doctrina Baldi *in authen. hoc nisi, ad finem, Cod. de solut.* vbi dicit, quòd quando adest suspi-
7 tio, debet præstari cautela. Quia † loquitur iuxta
secundam partem illius text. de cautela pręstanda à
debitore ad fauorem creditoris, quòd de pretio ex
venditione rei suæ, redigendo satisfaciet creditori.
Vltra quod, in casu isto lapsus tanti temporis exclu-
dit suspitionem, quòd adsint alij creditores, ante-
riores.

Non obstat quod Alciatus *in resp. 41. tom. 1. lib. 2.*
defendit quòd hæres cum beneficio legis, & inuen-
tarij, non debet accipere cautionem: & sic intelligit,
quòd cessante beneficio inuentarij, debeat eam pete-
8 re. Quia † in dictis Doctorum non sumitur argumen-
tum à contrario sensu, Calder. *cons. 3. de prębend.* Et,
quidquid indistinctè videatur sentire Ang. *in dict. leg.*
9 *si procuratoris, §. vlt.* hæres † non tenetur petere illam
cautionem, nisi quando scit adesse alios creditores,
Paul. de Castr. & Corn. *in leg. vlt. §. & si pręfatam num. 4. de iur. delib.* Et in casu isto neque constat, neque ve-
risimile est, quòd adsint alij creditores anteriores, vt
dictum fuit.

ROMANA CASALIS SANCTI ABROCCOLI.

Lunæ 8. Nouembris 1599.

Hæc Decisio non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *In quasi possessione negatiua est necessaria contradictio cum acquiescentia.*

DECISIO CXC.

DOmini resoluerunt, dandum esse Dominico mã
datum de manutenendo, etiam respectu facul-
tatis locandi, Quia constat quod Hieronyma eius
mater fuit immissa in possessionem 28. rubrorũ illius
Casalis vigore mandati relaxati à bon. mem. Cardi-
nali Paleotto, in executionem sententiæ Rotalis de
anno 1559. Et de anno 1560. locauit Bernardo Gua-
scono, & exegit pensionem, & post eius obitum
Dominicus de anno 1563. ratificauit locationem fa-
ctam Pompeio Antonino, & de anno 1587. locauit
Ægidio Stephani, & pariter exegit pensionem à Pas-
quino Zaccarello. Et licet aliquibus vicibus fuerit
facta locatio sine eius interuentu; tamen ex hoc non
sequitur, quòd fuerit quæsita Iacobo quasi possessio
1 priuatiua ad Dominicum. Quia in † hac quasi pos-
sessione negatiua est necessaria contradictio cum ac-
quiescientia, vt per Doctores *in capit. cum Ecclesia Sutrina*, & *ibi* Rip. *num. 50. de caus. possess. & propriet.* Quæ
hic non probantur.

Alia, quæ deducuntur per informantes pro Iaco-
bo, concernunt petitorium: de quo hodie non agi-
tur.

LVGDVNEN. COMPVTORVM.

Lunæ 8. Nouembris 1599.

ARGVMENTVM.

Existentia crediti, an probetur ex duplicato Instrumenti originalis.

SVMMARIVM.

1 *Translatio crediti facta in alios, vti procuratores, vel administratores, non præiudicat creditori transferenti, ita vt creditum non remaneat in eiusdem persona.*

DECISIO CXCI.

DOmini fuerunt concordes, quòd constet de existentia crediti Galeatij Cusani scutorum 2084. Cùm enim istud creditum probetur per instrumentum authenticum, & in cõfesso sit apud partes, quòd similia credita non soluuntur, nisi restitutis originalibus; eo ipso quòd constat de instrumento, constat de existentia crediti. Et licèt istud instrumentum non sit originale, sed duplicatum; tamen cum ex decreto Regis principalis debitoris detur eadem fides isti duplicato, quæ daretur originali hoc sufficit ad istum effectum. Præsertim, cùm fuerit adhibita causæ cognitio ante concessionem istius duplicati, super amissione originalis, & existentia crediti.

Non obstat fides Nicolai Dorlin Notarij magni partiti, attestantis quòd sine proprio instrumento, originali non possunt exigi similia credita, etiam quod instrumentum sit renouatum de mandato Regis, vel Consilij priuati. Quia ex ea nõ infertur, quòd creditum non extet, de quo solum hodie agitur. Præterea ista fides non concernit officium suum, & non concludit in hoc casu, in quo renouatio est facta adhibita causæ cognitione super amissione originalis, & existentia crediti, & cum decreto ipsius Regis, quòd ei fides adhibeatur.

Non obstat, quòd ex isto duplicato, non potest probari existentia crediti Galeatij, cùm postea hoc creditum fuerit positum in personam Caroli, & po-
1 stea Oricellariorum. Quia ista translatio fuit facta in Carolum vti procuratorem Galeatij, & Oricellarios vti administratores, & non vti veros creditores, & dominos; vt fuit resolutum coram bon. mem. Episcopo Oriolen. 24. Ianuarij 1571. & consequenter istud creditum remanet in persona Galeatij.

Quãtum ad aliud creditum scutorum 2009. quod fuit translatum in partitum Rotomagen. Domini dixerunt quòd videatur, An fuerit necessaria certioratio Galeatij de ista translatione? Et, si erat necessaria, an probetur facta sufficienter, & in tempore congruo.

COLONIEN. STATVS.

Veneris 12. Nouembris 1599.

ARGVMENTVM.

De concessione remissoriæ in Causa profana.

SVMMARIVM.

1 *Remissoria conceditur, quando Causa est profana, & articuli sunt releuantes.*

2 *Quadriennium restitutionis in integrum currit à die scientiæ.*

DECISIO CXCII.

DOmini censuerunt, remissoriam esse concedendam sine retardatione disputationis Causæ.
1 Quia Causa † est profana, & articuli sunt releuantes, cùm agatur de probanda descendentia ab Agnete; de cuius filiatione fuit resolutum constare: & ideo excluditur præsumptio calumniæ.

Non obstat, quod remissoria non datur post rem iudicatam. Quia pendet causa restitutionis in inte-
2 grum, quæ fuit commissa infra quadriennium, cùm † quadriennium currat à die scientiæ. Præterea etiam si quadriennium incepisset currere à die 7. Iulij 1592. adest prorogatio fatalium.

ROMANA DOTIVM.

Veneris 12. Nouembris 1599.

ARGVMENTVM.

Dos in primis debet constitui de bonis liberis; & in subsidium, de fideicommissarijs.

SVMMARIVM.

1 *Dos detrahitur in subsidium ex bonis fideicommisso subiectis, si non adsint bona libera: Sed ex portione dotare debentis, & num. 3.*

2 *Portio bonorum, quæ ratione Legitimæ patris detrahitur, computatur in dotem.*

4 *Onus dotandi filiam spectat ad patrem.*

DECISIO CXCIII.

FVit resolutum, quòd dos in primis est constituenda ex bonis liberis, si adsunt. Cùm enim Cardinalis Tranensis fecerit fideicommissum pro conseruatione bonorum in familia, eius dispositio ad fauorem fœminarum censetur facta in executionem obli-
1 gationis legalis, vt dotes detrahantur † ex bonis fideicommisso subiectis, in subsidium, si ex bonis liberis detrahi non possunt, Rub. Alex. *cons.* 124. Molin. *de Hispanorum primogen. lib. 4. cap. 7. numer.* 2. Et ideo
2 portio † bonorum, quæ ratione legitimæ partis detrahitur, in dotem computatur, Paul. *consil. 64. lib. 2.* & fuit resolutum *in Causa Portuen. Bonorum 23. Ianuarij, & 26. Februarij* 1580. *coram Reuer. P. D. Seraphino.* Quod etiam confirmatur ex verisimili mente Cardinalis, qui voluit, quod bona conseruentur in familia; &, si dotes detraherentur indistinctè, breui tempore consumerentur bona fideicommisso subiecta: Si verò non adsunt bona libera, est constituenda ex bonis
3 fideicommissi, sed † ex portione Io: Dominel patris
4 tantum. Quia cùm † onus dotandi filias spectet ad patrem, *leg. qui liberos, ff. de ritu nupt.* in dubio quilibet censeri debet grauatus, vt ex sua portione dotet proprias filias. Et hoc suadet etiam mens Cardinalis: quia vocauit descendentes in stirpes. Ideo multum verisimile est, quòd intellexerit, quòd quælibet stirps substineat istud onus dotationis distinctè, & separatim ab alia stirpe: aliàs posset dari casus, quòd plures vnius stirpis non habentes feminas, grauarentur onere dotandi feminas alterius stirpis, in qua posset esse vnus tãtum masculus: quod esset valdè absurdũ.

Quantum ad quantitatem dotis, pendet à quantitate patrimonij, de qua non liquet. Ideo nihil certè statui potest, nisi firmato prius statu patrimonij.

RO-

ROMANA VINEÆ,

Lunæ 15. Nouembris 1599.

ARGVMENTVM.

Laudum quando non sit exequendum.

SVMMARIVM.

1 *Laudum dicitur nullum, ex defectu citationis: & iniustum, quando non iustificatur ex actis.*

DECISIO CXCIV.

DOmini censuerunt, laudum non esse exequen-
1 dum: Quia est † nullum, ex defectu citationis:
& iniustum, cum non iustificetur ex actis. Tanto magis, cùm sit vulneratum per sententiam Reuer. P. D. Veralli.

Nec placuit Dominis, quòd nullitas cesset, cùm laudum fuerit latum ad instantiam D. Horatij. Quia in actis non constat, quòd ad eius instantiam fuerit citatus D. Gaspar, nec quòd ipse, vel eius procurator, comparuerit.

ROMANA DOTIVM DE TRINCIIS.

Lunæ 29. Nouembris 1599.

ARGVMENTVM.

Discutiuntur coniecturæ aliquot, & præsumptiones, contra solutionem, & pro ea.

SVMMARIVM.

1 *Non est verisimile, quòd quis soluat quantitatem magnam pecuniarum, sine quietantia.*

2 *Gener manens in domo soceri, verisimiliter censetur non vrgere solutionem dotis.*

DECISIO CXCV.

DOmini censuerunt, pro creditoribus non afferri tales coniecturas, & presumptiones, ex quibus probetur solutio scutorũ mille; facta Rugerio. Quia potissima coniectura, in qua fit fundamentum, quod in libro Rugerij Honorius est creatus debitor scutorum mille; & solum in eo fit mentio fructuum scutorum sex millium, non concludit quòd ipse receperit alia scuta mille, cùm partitæ non contineãt aliquam taxatiuam. Tanto magis, cùm ista scuta duo millia deberent simul solui tempore subarrationis.

Accedunt etiam coniecturæ in contrarium. Quia
Honorius fuit morosus, in soluendo alia scuta duo
1 millia temporibus conuentis: & † non est verisimile,
quòd soluerit scuta mille sine quietantia: presertim,
cum in actu subarrationis deberet confici instrumentum vigore apocæ.

Non obstat quòd Rugerius non petijt ista scuta,
mille per tantum tempus. Quia neque etiam petijt
alia scuta duo millia, quæ ei debebantur: & verisimi-
2 le est, quòd † non vrgeret solutionem: quia erat gener Honorij, & manebat in eius domo.

Non obstat, quòd Rugerius exegit integros fructus scutorum sex millium. Quia hoc non probatur.

BVRGEN. IVRIS VOTANDI.

Veneris 3. Decembris 1599.

ARGVMENTVM.

Portionarij Ecclesiæ Burgensis habent votum in electione Oeconomi, & Secretarij.

SVMMARIVM.

1 *Actus qui dederunt causam liti, non habentur in consideratione, ad effectum obseruantiæ in contrarium.*

2 *Quando verba sunt clara, non est locus obseruantiæ interpretatiuæ.*

DECISIO CXCVI.

FVit resolutum, quòd Portionarij debent habere votum in electione Oeconomi, & Secretarij. Quia in concordia adest Capitulum clarum, quòd Portionarij admittantur ad votum affirmatiuum, & negatiuum, in his in quibus agitur de administratione bonorum mensæ communis: & consequenter debent interuenire in electione Oeconomi, qui administrat bona mensæ, & Secretarij, qui retinet illius computa.

Non obstat obseruantia, quæ deducitur in con-
trarium ex pluribus actibus. Quia non sunt in forma
1 probanti, & † isti actus dederunt causam liti: ideo
non sunt habendi in consideratione; Præterea, quan-
tum ad Secretarium, non datur aliquis actus ante li-
tem: Quantum verò ad Oeconomum, dantur duo
actus, qui non sufficiunt: quia cùm administret bona
2 communia, verba concordiæ sunt clara: Ideo † non
est locus obseruantiæ interpretatiuæ, Aretin. *consil.* 115. *num.* 2.

PLACENTINA AQVARVM.

Veneris 3. Decembris 1599.

ARGVMENTVM.

Offerens se dare pro tali precio, an liberetur per non acceptationem, ita vt non teneatur dare pro precio oblato.

SVMMARIVM.

1 *Ex valore rei vnius temporis non infertur ad aliud.*

2 *Ex valore vnius rei non potest inferri ad valorem alterius, nisi probetur quòd idem sit precium vtriusque.*

3 *Precium conuentum, in dubio præsumitur iustum, nisi contrarium probetur.*

DECISIO CXCVII.

FVit resolutum, attendendam esse oblationem factam per Comitem. Cùm enim fecerit Monachis plures interpellationes iudiciales, vt reciperent aquam pro pretio oblato; & pro illius iustificatione, produxerit iura, & dederit articulos, non potest impugnare hanc oblationem, petendo maius pretium. Et licet Monachi eam non acceptauerint; tamen hoc ideo fecerunt, quia prætendebant, pretium oblatum esse excessiuum, & nolebant eam acceptando, sibi præiudicare: sed si Monachi succumbunt, ista non acceptatio non liberat Comitem, vt non teneatur date pro pretio oblato, quod fuit ab eo habitum pro iusto. Præsertim, cùm iuxta formam pacti locatio esset

ſet facienda Monachis, *per manco, che ſe ne trouarà da altri*.

Non obſtāt in contrarium deducta per informan-
tes pro Monachis, quòd iſtud pretium oblatum ſit ex
ceſſiuum. Quia hoc non probatur cōcludētet: Addu-
cuntur enim pro probatione iſtius exceſſiuitatis pre
tij, locationes, & depoſitiones teſtium: ex locationi-
bus autem, duæ non continēt aquas iſtius riui, neque
probatur, quòd eodem pretio vendatur aqua vtriuſ-
que riui, nec quòd in vtroque, ſit eadem quantitas
aquæ; quæ quantitas ad iſtum effectum potiſſimum
inſpicitur, cùm locatio fiat pro horis; alia vero fuit
1 facta Monachis de anno 1588. Et † ex valore vnius
temporis non infertur ad aliud.

Quantū ad teſtes, deponunt de aqua alterius riui
2 Bertoni; & † cùm non probetur, quòd ſit idem pre-
tium vtriuſque, ex valore vnius non poteſt inferri ad
valorem alterius: Præſertim, cùm probetur Comi-
tem ſolitum fuiſſe locare aquas iſtius riui Grazzani,
pro maiori ſumma. Et licèt excepto tertio teſte, qui
deponit de pretio currenti, alij deponant de pretio
3 conuento: nihilominus pretium † conuentum in du-
bio præſumitur iuſtum; niſi contrarium probetur.
Bald. *in leg. per diuerſa num. 8. quæſt. 4. Cod. mand.*

Nō obſtat quòd debebat fieri locatio Monachis,
per quel manco, che ſe ne trouaſſe da altri ſenza fraude.
Quia ſatis diminuitur de hoc pretio, cum conſtet Co-
mitem fuiſſe ſolitum locare, pro maiori ſumma; &
Monachi non probent iniuſtitiam pretij oblati tem-
pore requiſitionis.

OSCEN. INDVLTI.

Veneris 10. Decembris 1599.

ARGVMENTVM.

Declaratur Regula Cancellariæ, *De iure quæſito non tollendo*.

SVMMARIVM.

1 Regula, De iure quæſito non tollendo, *præſeruat quodcunque ius, etiam minimum*.
2 *Derogatio huic Regulæ debet eſſe ſpecialis; etiamſi Papa intellexerit præiudicium. Nec ſufficit mentio Regularum in genere, & num. 6.*
3 *Hæc Regula habet locum, etiam quando tollitur ius competens ex diſpoſitione Iuris communis. Niſi agatur de exemptione, vel alia ſimili Gratia de ſui natura præiudiciali, & num. 4.*
5 *Ius nominandi, ſuccedente vacatione, vt ſit plenè, & perfectè quæſitum, ſufficit quòd tollatur ius in ſpe habente cauſam de præterito.*
7 *Defectus intentionis in vna parte Gratiæ, non vitiat Gratiam in alia parte diſtincta, in qua ceſſat defectus intentionis.*

DECISIO CXCVIII.

FVit reſolutum, regulam de iure quæſito non tol-
lendo obſtare Indulto felic. record. Sixti Quinti,
quo ad nominationem, & examen Pœnitentiarij, &
Lectoris. Quo vero ad eam partem Indulti, in qua
continetur, quòd vnica præbenda inſeruiat pro Le-
ctore, & Pœnitentiario, non obſtare.

Quantum ad primam partem, fundamentum Do-
minorum fuit: Quia ante iſtud Indultum nominatio,
& examen Pœnitentiarij, & Lectoris, iuxta decreta
Concilij, competebat ſolùm Epiſcopo, vel ſaltim erat
ſimultanea inter Epiſcopum, & Capitulum, vigore
Bullæ Sixti Quarti, & Pij Quinti, & in hoc indulto
tribuitur Capitulo priuatiue ad Epiſcopum: Ideo,
cùm ei adimatur hoc ius, quod eſt valde conſidera-
bile, cum ſit perpetuum, & iuriſdictionale, & colla-
tio nominato ſit neceſſario facienda non eſt dubium,
1 quod eſt locus regulæ cùm † præſeruet quòdcunque
ius, etiam minimum; vt fuit reſolutum *in Cauſa Burgē. Iuris ſepeliendi coram bon. mem. Cæſare de Graſſis 10. Iunij 1575. & in Cauſa Cæſarauguſtana Exemptionis 13. Iunij 1594. coram Reu. P. D. Seraphino.*

Non obſtāt limitationes, quæ in contrarium affe-
runtur. Et primo, in Papa præſumitur ſcientia iſtius
præiudicij. Quia, etiam ſi hoc verum eſſet, propter
proteſtationem defectus voluntatis, in futuris con-
2 ceſſionibus in regula contentam, † requiritur dero-
gatio ſpecialis, etiam ſi Papa intellexerit præiudi-
cium, vt fuit reſolutum in dictis Cauſis, & *in Cauſa Peruſina Vnionis, coram Illuſtriſſimo Cardinali Blanchetto*, & ſæpius in alijs cauſis.

Non obſtat ſecundo, quòd regula non habet lo-
cum, quando tollitur ius competens ex diſpoſitione
3 iuris communis. Quia etiam † in hoc caſu eſt locus
regulæ Sarnen. *ſuper hac regula quæſt. 6. Put. dec. 31. lib.* 1. Tolom. *dec.* 81. Peregr. *dec.* 224. *lib.* 2. Niſi verſemur
4 † in gratia exemptionis, vnionis, vel alia ſimili de
ſui natura præiudiciali: in quibus terminis procedit
deciſio, Caſſad. *t. de priuil.* & *deciſio in Cauſa Nullius de Stepa coram Reu. P. D. Seraphino.*

Nō obſtat tertio, quòd regula habet ſolum locum
in iure radicato, & perfectè quæſito. Quia ius nomi-
nandi, ſuccedente vacatione, eſt plenè, & perfectè
5 quæſitum, & ad iſtum effectum † ſufficit quòd tolla-
tur ius in ſpe, habente cauſam de præterito, Sarn.
quæſt. 4. ſuper hac regula num. 14. in 2. caſu, Put. *deciſ. 4. ſuper eadem regula.*

Non obſtat quarto, quòd eſt ſufficienter deroga-
tum regulæ, propter mentionem factam in Indulto
regularum Cancellariæ in genere, & propter præ-
gnantiam clauſularum in eo contentarum. Quia cùm
regula requirat ſpecialem, & indiuiduam mentio-
6 nem, mentio † regularum in genere, & iſtæ clauſulæ,
non ſufficiunt, Sarn. *in proœm. regul. quæſt. 6. in fin. & quæſt. 19.* Put. *dec. 265. lib.* 2. Caputaq. *dec. 301. par. 3.* & fuit reſolutum *in dict. Cauſa Burgen. Iuris ſepeliendi.*

Quantum ad ſecundam partem, potiſſima ratio
7 deciſionis fuit: Quia † defectus intentionis in vna
parte gratiæ, non vitiat gratiam in alia parte diſtin-
cta, & ſeparata, in qua ceſſat defectus intentionis, *ca. ſi eo tempore, de reſcript. in 6.* Abb. *in cap. ſedes num. 4.* & *ibi* Felin. *num. 2. eod. tit.*

Videbatur autem Dominis in ea parte Indulti, in
qua continetur, quòd vnica Præbenda inſeruiat pro
Lectore, & Pœnitentiario, ceſſare præiudicium Epi-
ſcopi, & conſequenter ceſſare etiam defectum inten-
tionis Papæ; & ideo Indultum ſubſtineri. Nam ni-
hil intereſt Epiſcopo, quòd onus vtriuſque officij ſit
iniunctum vnicæ præbendæ, vel quòd quodlibet of-
ficium habeat ſuam Præbendam ſeparatam; dummo
do adſit in ſua Eccleſia vtrumque officium. Tanto
magis, cùm idem prius Statutum fuiſſet à Pio Quin-
to cum derrogatione iſtius regulæ; & conſequenter
tem-

tempore istius Indulti Episcopus non babebat amplius in hoc aliquod ius considerabile, cui esset derogandum.

Non obstat erectio officij Pœnitentiarij cum vnione Prębende de anno 1569. Quia, vt fuit resolutum, non habuit effectum, propter litem super Prębenda vnita, quæ fuerat impetrata vti reseruata à Sede Apostolica: & ideo postea fuit facta alia erectio de anno 1590. quæ fuisset superflua, si prima habuisset effectum, & ista secunda erectio, in qua fit fundamentum, est inualida, & ideo non obstat. Quia stante contraria dispositione pręcedenti Pij V. quòd eadem Prębenda inseruiret pro vtroque officio Pœnitentiarij, & Lectoris, cum clausulis ampliss. & derogatione regulæ, non potuit postea Episcopus contra hanc dispositionem erigere officium Pœnitentiarij, cum vnione vnius Prębendæ, quæ pro illo solo officio inseruiret. Et licet ista dispositio Pij V. non fuerit effectum sortita in prima Præbenda, quæ vacauit: tamen non ideo cessauit erectio officij, & coniunctio istorum duorum officiorum cum vna, & eadem Pręben-da: quod æquè principaliter statutum fuit à Pio V.

Non obstant illa verba Bullæ, *Quatenus de illis in pręfacta Ecclesia adhuc prouisum non sit*. Quia non fuerat de illis officijs prouisum, cùm erectio, de anno 1569. non esset sortita effectum, vt dictum fuit.

Reseruarunt autem Domini, vt particulariter videatur, An regula obstet, respectu Præbendæ doctoralis.

ROMANA BONORVM DE CINCIIS.

Veneris 10. Decembris 1599.

Hæc Decisio ponitur tantum, ne interrumpatur series Causæ.

DECISIO CXCIX.

DOmini dixerunt, quòd donec sequatur diuisio, decernatur administratio Reuerendissimo Episcopo, si eam vult; sin minus, detur D. Hieronymo; &, eo recusante, eligatur tertius: & omnes redditus deponantur penes aliquem mercatorem, & consignetur cuique sua rata, facta hinc inde obligatione de soluendo suam ratam debitorum communium, & de releuando se inuicem indemnes, & quòd fructus nunc extantes diuidantur,

SPOLETANA TERRARVM.

Mercurij 15. Decembris 1599.

Coincidit Argumentum cum Decisione 183. eiusdem Causæ.

SVMMARIVM.

1 *Substituti possunt reuocare alienationes bonorum fideicommissariorum.*

2 *Pactum resolutiuum habet locum, volente eo, ad cuius fauorem est appositum.*

3 *Donatio causa Matrimonij non eget insinuatione.*

4 *Verba*, purè, merè, irreuocabiliter, *non repugnant donationi continenti causam, vel modum.*

5 *Legitima, & Trebellianica non detrahuntur ex bonis fideicommissi particularis.*

6 *Actio personalis non habet locum contra tertium possessorem.*

7 *Pactum resolutiuum donationis, vel impedit translationem dominij ab initio; vel saltem, secuta contrauentione resoluit titulum donatarij.*

8 *Resoluto iure donatarij venditoris, resoluitur etiam ius emptoris.*

9 *Substitutis competit in casu alienationis, rei vendicatio vel saltem actio vtilis in subsidium, & num. 10.*

11 *Vt venditio non sustineatur, sufficit quòd res vendita non sit omnino libera, sicut fuit promissum: &, quòd emptor aliquo casu possit molestari.*

12 *Per solam prohibitionem alienationis non impeditur regulariter translatio dominij.*

13 *Secus verò, si cum prohibitione concurrit fideicommissum pro conseruatione bonorum in vocatis.*

DECISIO CC.

PLacuit Dominis decisio vltimo loco facta, quòd
venditio non substineatur. Quia fideicommissum
non controuertitur: &, stante fideicommisso, non est
satisfactum obligationi de tradendo rem liberam,
1 neque emptor est tutus; cum † substituti possint re-
uocare alienationes Ias. *in leg. quoties, Cod. de fideicom-
misso*, Dec. *cons.* 323. & fuit resolutum *in Causa Roma-
na Census de Cuppis coram R. P. D. Seraphino*, & *in Causa
Romana de Alicornis coram bon. mem. Peregrino.*

Non obstant in contrarium adducta. Et primò,
quòd hodie cessat fideicommissum cum donatio, in
qua fideicommissum continetur, in euentum aliena-
tionis contineat pactum resolutiuum; cui fuit factus
2 locus propter istam alienationem. Quia pactum †
resolutiuum habet locum, volente eo, in cuius fauo-
rem est appositum *leg. 2. ff. de leg. comiss.* Et hic pa-
ctum resulutiuum non est appositum in fauorem Au-
relij; sed in eius odium, propter contrauentionem in
alienando: ideo non potest vti pacto resolutiuo in
eius odium adiecto, in sui fauorem, consequendo li-
berationem, & exemptionem ab onere fideicommis-
si: Præsertim in præiudicium vocatorum, quibus
Nicolaus voluit prouidere, & post eius obitum fuit
acquisitum ius, succedente casu vocationis. Et licet
Nicolaus non potuerit declarare donationem reso-
lutam, cùm decesserit ante istam alienationem; ta-
men ex hoc non sequitur, quòd idemmet contraue-
niens posset euertere fideicommissum declarando do
nationem resolutam in præiudicium vocatorum.

Non obstat secundò, quòd donatio est nulla, ex
defectu insinuationis. Quia causa principalis dona-
tionis fuit, vt Aurelius posset facilius, & commodius
contrahere matrimonium, & cum expressa conditio-
ne, quòd deberet interuenire consensus, ipsius do-
3 nantis: & ista causa sola fuit expressa: ideo † insinua-
tio non est necessaria; vt in terminis similis donatio-
nis fuit resolutum *in Causa Romana Viridarij 23. Fe-
bruarij 1590. coram bon. mem. Orano.* Et licet in dona-
tione sit expressum, quòd donans donat donatione
4 pura, mera, & irreuocabili: tamen † ista verba non
repugnant donationi continenti causam, conditio-
nem, vel modum, Put. *decis. 3. de renunt.* & fuit resolu-
tum coram me *in causa Bononien. Bonorum de Bouijs* 20.
Februarij 1598.

Non obstat tertiò, quòd ista alienatio substinetur
ratione Legitimæ, & Trebellianicæ. Quia Aurelius
successit Nicolao ab intestato in hæreditate: ideo nō
est locus istis detractionibus: quia non est grauatus

eam reſtituere. Præterea, etiam ſi eſſet locus detra-
5 ctionibus, non † poſſunt fieri ex iſtis bonis fideicom-
miſſo particulari ſubiectis, Gabr. *conclus. 4. num. 5. de legitima.* Caputaq. *dec. 11. lib. 3. in manuscr.*

Non obſtat quarto, quòd alienatio ſubſtinetur vti facta ex cauſa neceſſaria pro extinctione cenſus ſcutorum duorum millium, impoſiti per Nicolaum donantem. Quia non probatur quòd alienatio fuerit facta ex illa cauſa, immo potius ex apoca venditionis colligitur contrarium; cum ſolutio fuerit deſtinata ipſo Aurelio, & fuerit permiſſum arbitrio emptoris vel ſoluere pretium, vel imponere cenſum, & ſoluere fructus. Vltra quod, exiſtentibus alijs bonis liberis, nó potuit fieri alienatio pro extinctione illius cenſus ex iſtis bonis particulari fideicommiſſo, ſubiectis.

Non obſtat vltimo, quòd ex alienatione oritur ſo-
6 lum actio perſonalis, quæ † non habet locum contra
tertium poſſeſſorem, *leg. quoties, Cod. de donat. quæ sub mod.* Quia licet in ſimplicibus terminis illius legis ſit magna difficultas inter Doctores, an competat vocatis ſolum actio perſonalis, vel detur etiam vtilis rei vendicatio; tamen videbatur Dominis quòd hic ceſſet iſta difficultas. Quia vltra reſponſionem datam in alia deciſione quòd hic adeſt ſtipulatio, & hypotheca ad fauorem vocatorum, concurrit etiam pa-
7 ctum reſolutiuum, † quòd vel impedit translatio-
nem dominij ab initio, vel ſaltem ſecuta contrauen-
8 tione reſoluit titulum donatarij: & † reſoluto iure
donatarij venditoris, reſoluitur etiam ius emptoris,
9 & retransfertur dominium: & ſic † vtroq; caſu com-
petit rei vendicatio, Iaſ. *conf. 211. in 2. dub. lib. 2.* Curt. Iun. *conf. 317. lib. 3.* Et inter recentiores illam opinionem teſtatur receptiorem Rol. *conf. 62. num. 17. lib. 2.* & Hier. Gabr. *conf. 66. num. 3. lib. 1.*

10 Secundo dicebant Domini, quod † ſaltim compe-
tit vocatis actio vtilis in ſubſidium, Soccin. *conf. 236. num. 1. lib. 2.* & in ſimilibus terminis tradit, Alexand. *in leg. Marcellus, § res quæ, num. 4. ad fin. ff. ad Trebell.* Et ſufficit ad iſtum effectum, vt venditio non ſubſtinea-
11 tur, quòd † res non ſit omnino libera, ſicut fuit pro-
miſſum; & quòd emptor aliquo caſu poſſit pati moleſtiam.

Tertio aliquib. ex Dominis placebat etiam aliud
12 fundamentum: quòd licèt regulariter † per ſolam
prohibitionem alienationis non impediatur trans-
latio dominij, & ideo competit ſolum actio perſona-
13 lis contra alienantem; tamen, quando † vltra prohi-
bitionem alienationis concurrit etiam fideicommiſſum pro conſeruatione bonorum in vocatis, tunc bona ſunt ſubiecta reſtitutioni: ideo non poteſt impediri translatio dominij in vocatos poſt obitum alienantis. Et ita intelligunt dict. legem, *quoties*, Cin. & Salic. *in leg. ea, Cod. de condit. ob cauſ.* Roder. Suarez. *alleg. 9. num. 15.* & Molin. *de Hiſpan. primog. lib. 1. capit. 12. num. 32.*

FERRARIEN. SOCIETATIS.

Lunæ 20. Decembris 1599.

Vide Argumentum Deciſionis 186. in hac Cauſa emanatæ.

SVMMARIVM.

1 *Contractus, in quo aſſecuratur lucrum incertum ſocietatis, non eſt vſurarius, ſi quantitas taxata, eſt proportionabilis ad dubium euentum lucri.*

2 *Contractus ſocietatis, in quo merces dantur æſtimatæ ſocio, ad effectum, vt reſtituat id quod supereſt de capitali in ſocietate poſito; non eſt vſurarius.*

3 *Qualitas adiecta verbo, intelligitur ſecundum tempus verbi.*

4 *Contractus ſocietatis continens certam aſſecurationem fructuum, cum pacto, quòd capitale ſit ſaluum; aut, in quo ſola aſſecuratio fructuum eſt exceſſiua; non eſt licitus.*

5 *Si verò contractus aſſecurationis eſt diſtinctus à contractu ſocietatis, neque ad illum eſt correſpectiuus; eſt licitus, & non continet vſuram.*

6 *Pactum de reſtituendo adiectum in continenti, vel correſpectiuè ad primum contractum, ſapit vſuram. Secus verò, ſi ſit adiectum ex interuallo, ex voluntate emptoris.*

DECISIO CCI.

Domini ſteterunt in deciſis, non obſtantibus his, quæ de nouo contra deciſionem adducuntur; quæ ad duo potiſſimum reducuntur. Deducitur enim vſura primi contractus: quia dominium mercium fuit translatum in Truſcardum, cùm fuerint ei datæ æſtimatæ, & nihilominus vigore pacti, finita ſocietate debebat reſtituere idem capitale in mercibus, vel in pecunia. Contra ſecundum verò contractum opponitur, quòd licèt contractus, in quo aſſecuratur lu-
1 crum incertum ſocietatis, non ſit vſurarius hoc † ta-
men procedit, quando quantitas taxata, eſt proportionabilis ad dubium euentum lucri, vt Conrad. *de contract. quæſt. 96.* & Iacob. Heinrich. *conf. 8.* Et ex calculo de nouo dato, & depoſitionibus teſtium dicitur ſufficienter conſtare, quòd quantitas non eſt proportionabilis ad lucrum, ſed exceſſiua.

Quantum ad primum obiectum, viſum eſt Domi-
2 nis non obſtare: Quia æſtimatio non fuit facta ad
effectum inducendi emptionem, & translationem dominij in Truſcardum; ſed ad effectum ſciendi, ad quam ſummam aſcendebat capitale. Cùm enim antequam initus eſſet iſte contractus ſocietatis; capitale Aromatariæ excederet libras quindecim mille, & totum iſtud capitale inæſtimatum fuerit conſignatum Truſcardo, cum pacto, quòd poſt feſtum Sancti Michaelis deberet eſſe ſolum librarum quindecim millium; & quòd Truſcardus deberet reſtituere Sonzonijs illud quod remanebat vltra hunc ſummam librarum quindecim millium, neceſſarium erat ad iſtũ effectum, quod merces æſtimarentur, vt poſſet inſpici, in qua quantitate reſtituenda Truſcardus remanebat debitor, Soccin. *conf. 56. num. 4. in 3. caſu lib. 1.* Ruin. *conf. 134. ſub num. 5. lib. 4.*

Fuit etiam per Dominos conſideratum, reſtitutionem æſtimationis non eſſe neceſſario faciendam finita ſocietate in quo caſu procedit dictum Caſtrenſis, *in leg. ſi æſtimatis, num. 2. ff. ſolut. matr.* Si enim merces non extabant, nihil erat reſtituendum; ſi verò extabant, debebant reſtitui in eo ſtatu, in quo reperiebantur: vel ſi Sonzonij maluiſſent pretium, debebat eis ſolui pretium cum diminutione duodecim pro centenario: & in iſto caſu debebat attendi non pretium æſtimatum de tempore contractus, ſed æſtimandum in fine ſocietatis, cùm deberet ſuccedere loco capitalis tunc exiſtentis, non loco mercium ab initio poſitarum; prout etiam colligitur ex illis verbis decem

capi-

capituli: *Truscardo se li habbi à retenere per lui à dedeci per cento manco di quello fossi il valore loro*. Quæ verba
sunt intelligenda de valore in fine societatis, de quo
tempore Truscardus debebat restituere merces ex-
tantes, vel eas retinere cum ista diminutione: Quia
3 † qualitas adiecta verbo, intelligitur secundum tem
pus verbi: Et ideo cum neque dominium mercium
fuerit translatum in Truscardum, neque restitutio sit
omni casu, & indistinctè facienda, sed tantum capi-
talis remanentis; cessantibus præsuppositis, in qui-
bus fundatur vsura, consequenter cessat etiam vsura.
Quantum ad aliam obiectionem cōtra secundum
contractum, pro illius resolutione fuerunt per Do-
4 minos distincti duo casus. Primus casus est, † quan-
do in eodem contractu continetur certa assecuratio
fructuum, & pactum, quòd capitale sit saluum, aut
sola assecuratio fructuum excessiua, & non propor-
tionabilis ad dubium euentum lucri. Et in his ter-
minis procedunt doctrinæ, quæ allegantur per infor-
mantes pro Hippolyto. Et in isto casu contractus est
magis suspectus: quia cessante ista assecuratione
principalis, contractus societatis non fuisset initus:
&, quicquid dicendum sit in hoc casu, non versamur
in his terminis.
5 Secundus casus est, quando † contractus assecuta-
tionis est distinctus, & separatus à contractu so-
cietatis, & non est correspectiuus ad primum con-
tractum, nec datur aliqua causa coactionis. Et in
hoc casu, cessante correspectiuitate, & causa coa-
ctionis, secundus contractus assecurationis postea
initus, est voluntarius, & consequenter cessat vsura,
Abb. *cons. 69. sub num. 1. vers. 3. me mouet lib. 2.* Et in
hoc placuit Dominis simile de pacto, de retrouen-
6 dendo; quod † adiectum in continenti, vel correspe-
ctiuè ad primum contractum, inducit suspicionem
vsuræ: secus verò, si sit adiectum ex interuallo ex vo-
luntate emptoris, Abb. *dict. cons. 69.* Caput. *decis. 163.
lib. 3.* & fuit resolutum *in Causa Placentina Terrarum
1. Aprilis* 1588. *coram bon. mem. Orano, & in Causa
Mediolanen. Vsurarum 5. Aprilis 1593. coram R. P. D.
Pamphilio.*
Placuit etiam aliud simile, quòd sicut si iste secun
dus contractus assecurationis esset initus inter vnum
ex socijs, & tertium, etiam quod esset læsiuus, non
esset vsurarius, sed iniustus, & per viam læsionis re-
scindendus; ita etiam cessante correspectiuitate,
non est vsurarius initus inter socios; cum isti duo ca-
sus æquiparentur, vt per Caiet. *in opusc. resp.* fil. Et iste
est casus noster: Quia iste secundus contractus, fuit
initus elapsis sex mensib. post primum; de quo tem-
pore Sonzonij, iam dederant merces in societatem
sine assecuratione, & Truscardus erat effectus so-
cius, & non poterat à societate amoueri, vel compel-
li ad ineundum nouum contractum diuersum à pri-
mo, & ideo iste secundus contractus assecurationis
remanet merè voluntarius; & consequenter, etiam si
esset iniustus, & læsiuus, cessat vsura, de qua solum
hodie agitur.

FERRARIEN. BONORVM.

Lunæ 10. Ianuarij 1600.

ARGVMENTVM.

Dominium bonorū Ecclesiæ quomodo probetur.

SVMMARIVM.

1 *Inuestitura antiqua concessionis in emphyteusim, concur
rentibus adminiculis, probat dominium.*
2 *Inuestitura satis cēsetur adminiculata ex alia inuestitura.*
3 *Inuestitura censetur approbata, per productionem de ea
factam.*

DECISIO CCII.

FVit resolutum, constare de dominio Ecclesiæ ex
antiqua inuestitura cōcessionis in emphyteusim,
1 de anno 1451. quæ † concurrentibus adminiculis,
probat dominium Bald. *in leg. cùm aliquis num. 4. Cod.
de iur. delib.* Socc. *cons. 89. num. 11. lib. 1.* Dec. *cons. 428.
num. 4.* & fuit resolutum coram me: *in Causa Papien.
Bonorum 28. Aprilis 1595.*
Videbatur autem dominis ista inuestitura satis ad
2 miniculata † ex alia inuestitura de anno 1501. vt per
3 Socc. *in cons. 187. num. 2. lib. 2.* quæ per productionem
de ea factam à Bonsignoribus, fuit approbata; vt per
Doct. *in cap. cum Venerabilis, de excep.* Tanto magis,
cùm in prima inuestitura explicitè contineatur, quod
directum dominium est Ecclesiæ; & in secunda ha-
betur relatio ad primam, & ex ea probatur illius ef-
fectuatio.
Reseruarunt autem Domini, vt particulariter vi-
deatur, an ista probatio sit sufficiens ad effectum im-
missionis.

ROMANA SOCIETATVM.

Lunæ 24. Ianuarij 1600.

ARGVMENTVM.

Disdicta Societatis, & eius reproductio, ex quibus
probetur.

SVMMARIVM.

1 *Disdicta sufficienter probatur per relationem Cursoris.*
2 *Testes appositi in rogitu translationis periculi vitæ, cen-
sentur repetiti in rogitu reproductionis disdictæ, eodem
tempore facto, si Notarius eodem contextu de vtroque
actu se rogauit.*

DECISIO CCIII.

DOmini, vna tantum parte informante, censue-
runt constare de disdictis istarum societatum,
de quibus agitur, & de illarum reproductione.
Quantum enim ad disdictas, res est satis clara:
1 quia adest relatio † Cursoris, quæ sufficit; vt per glos.
in cap. cum parati, in vers. finis nuntius de appell. Rota
decis. 15. num. 3. in fin. de dol. & cont. in nou. Fede. de Sen.
cons. 119. num. 6.
Quo vero ad illarum reproductionem, de ea con-
stat ex rogitu ipsius Notarij, qui in ipsismet disdictis
annotauit reproductionem in forma. Et licèt in ea
non sint appositi testes, prout requiritur; nihilomi-
nus cum Notarius eodem contextu rogauerit se de
translatione periculi vitæ alterius societatis, & de
reproductione istarum disdictarum, testes appositi
in rogitu translationis censentur etiam repetiti in
rogitu reproductionis disdictarum eodem tempore
facto, Bart. *in leg. si quis ex argentarijs, §. si initium nu.
8.* & *ibi* Bald. *num. 1.* & Alexan. *num. 4. ff. de edend.* &
fuit resolutum *in Causa Rom. Societatis officij 30. Octob.*

coram bon. memor. Orano. Et veritas secundum dominos comprobatur ex depositionibus testium, qui dicunt, quòd Eques in præsentia testium, quos Notarius apposuit in translatione, consignauit dis dictas notario; & quod Scapuccius fecit postea instantiam cum Equite, vt continuaret vnam ex istis societatibus; & ipse noluit continuare: & ideo Notarius potuit extendere suam abbreuiaturam, & apponere testes, & locum; prout etiam fuit resolutum à Collegio Notariorum.

Et ex his visum est Dominis, extensionem factā in brogliando per alium substitutum, non informatum, esse erroneam, & ideò non esse attendendam.

ACHERVNTINA, SEV MATHERANEN. IVRISDICTIONIS.

Lunæ 24. Ianuarij 1600.

ARGVMENTVM.

Probatur quasi possessio Ecclesiæ Acheruntinæ, de pluribus locis, vti de Diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio Ecclesiæ alicuius loci, vti de Diœcesi, probatur per actus iurisdictionales, & alios actus ibi exercitos à Vicario.*

2 *Item per collationes Beneficiorum, Ordinum, & concessiones Ecclesiarum, factas ab Ordinario, vti in locis suæ Diœcesis.*

3 *Item per deputationes Vicariorum factas à Capitulo, Sede vacante, & intimatas, & suum effectum sortitas in ijsdem locis.*

4 *Item per comparitiones Abbatis, Archipresbyteri, & Cantorum eorundem locorum, vti de Diœcesi, factas in Ciuitate Episcopali.*

5 *Item probatur per solutionem subsidij charitatiui, factam Ordinario.*

6 *Item ex pluribus enunciatiuis antiquissimis.*

7 *Quasi possessio non acquiritur, nisi constet de scientia actuum, & patientia Vniuersitatis, contrà quam quasi possessio prætenditur.*

Limita, vt num. 8.

DECISIO CCIV.

Domini, cùm præsupposito, quòd intra sint in forma probanti, resoluerunt constare de quasi possessione Ecclesiæ Acheruntinæ, in his decem locis, de quibus agitur, vti de Diœcesi, & ei dandum esse mandatum de manutenendo.

Constat enim, ex depositionibus testium, quòd
1 Vicarij deputati ab Archiepiscopis † in Diœcesi Acheruntina, exercuerunt in his locis actus iurisdictionales, condemnando, absoluendo, & faciendo omnes alios actus ad officium Vicariatus spectantes; & quod Vicarij in Diœcesi Matherana, non se ingesserunt in his locis.

2 Secundò, dantur † diuersi actus collationis Beneficiorum, ordinum, & concessionis Ecclesiarum, facti per Archiepiscopum in istis locis, vti de Diœcesi Acheruntina.

3 Tertiò, concurrunt plures deputationes Vicariorum factæ à Capitulo Sede Episcopali vacante, quæ fuerunt intimatæ in his locis, & habuerunt effectum. Nam Vicarij deputati à Capitulo in his locis, constituerunt alios Vicarios foraneos, concesserunt dimissorias personis istorum locorum, & earum vigore fuerunt eis dati ordines: item concesserunt literas monitoriales pro rebus deperditis, & condemnauerunt, & absoluerunt personas istorum locorum.

4 Quartò, eadem quasi possessio probatur: quia Abbates, Archipresbyteri, & Cantores istorum locorum, comparuerunt vti de Diœcesi Acheruntina, in dicta Ciuitate in die Sancti Canionis; &, si non veniebant, mulctabantur: & † pariter, vti de Diœcesi
5 Acheruntina, soluebant simul cum Capitulo Acheruntino subsidium charitatiuum Archiepiscopo.

6 Quintò concurrunt † quam plures enunciatiuæ antiquissimæ, etiam Summorum Pontificum, in quibus ista loca enunciantur esse de Diœcesi Acheruntina: quæ etiam adminiculantur ex publica voce, & fama, & ex alijs varijs, & diuersibus actibus, & ex statu antiquo ante erectionem Materæ in Cathedralem. Ex quibus visa est Dominis res satis clara, & sine difficultate.

7 Non obstat, quod non † constat de scientia istorum actuum, & patientia Capituli, & Vniuersitatis Materæ, sine qua non acquiritur quasi possessio. Quia
8 hoc fundamentum procederet, si † probaretur quasi possessio anterior dicti Capituli, & Vniuersitatis: in hoc enim casu, quia ageretur de eius præiudicio, respectu quasi possessionis anterioris, necessaria esset probatio scientiæ, & patientiæ: Sed cum non ostendatur eius quasi possessio anterior, non requiritur ista probatio scientiæ, & patientiæ; sed sufficit probare solam quasi possessionem, ad effectum mandati de manutenendo.

Non obstant enunciatiuæ, quæ in contrarium afferuntur, & vicinitas locorum, quæ fuit habita in consideratione coram bon. memoriæ Domino Gipsio; Quia enunciatiuæ, & tot actus successiui, & continuati per spatium tanti temporis, qui de nouo deducuntur ad fauorem Capituli Acheruntini, longè præponderant solis enunciatiuis, & præsumptioni, quæ resultat ex vicinitate locorum.

IMOLEN. EXECVTIONIS LAVDI.

Veneris 28. Ianuarij 1600.

ARGVMENTVM.

Laudum in quo casu non sit exequendum.

SVMMARIVM.

1 *Laudum dicitur nullum, ex defectu citationis: & iniustum, quando non iustificatur ex actis: & in his casibus non est exequendum.*

DECISIO CCV.

Fvit resolutum, laudum non esse exequendum.
1 Quia est † nullum ex defectu citationis. Crescen. decis. 2. de arbitr. vt fuit resolutum coram me in Causa Romana Vineæ 15. Nouembris præteriti; Et etiam iniustum: quia non iustificatur ex actis.

ME-

MEDIOLANEN. EVICTIONIS.

Veneris 4. Februarij 1600.

ARGVMENTVM.

Euictio an competat singulari successori. Creditori an competat licitatio in bonis sui deditoris.

SVMMARIVM.

1 *Singularis successor non habet regulariter, regressum contra primum venditorem sui auctoris pro euictione.*

2 *Limita, vt hoc non procedat, quando singularis successor fuit positus in locum primi Emptoris. Nec quando habet cessionem iurium competentium primo emptori, & numero 3.*

4 *Ius personale, quod competit pro euictione: est diuersum à bonis.*

5 *Declaratur textus* in leg. à Diuo Pio, §. in venditione, ff. de re iudic.

6 *Ius agendi de euictione transferri potest in emptorem.*

7 *Creditor offerens in subhastatione bonorum, consideratur vti persona diuersa, & non vti creditor.*

8 *Creditor admittitur ad licitandum, sicut alius extraneus.*

9 *Intellige, in subsidium, non inuento emptore, qui offerat iustum precium.*

10 *Creditor, ad licitandum debet admitti à Iudice.*

DECISIO CCVI.

FVit resolutum, instrumentum substineri, & ideo
D. Octauium teneri suscipere litem, & defendere
1 Moniales. Quia licèt † regulariter singularis suc-
cessor non habeat regressum contra primum vendi-
torem sui auctoris pro defensione, & euictione, *leg.
si res, quam, ff. de euict.* tamen isti regulæ dantur duæ
limitationes, quæ alias in hac causa fuerunt firmatæ
2 coram Illustrissimo Cardinali Arrigonio: vt † non
procedat, quando singularis successor fuit positus in
3 locum primi emptoris: nec † quando singularis suc-
cessor habet cessionem actionum, & iurium compe-
tentium primo emptori; vt tradit Angel. *in dict. leg. si
res, quam.* Et ambæ istæ limitationes applicantur:
Quia in instrumento ceduntur Puteobonellis omnia
iura, & omnes actiones competentes Alphonso pri-
mo emptori; & fuerunt positi in omnibus in locum
ipsius Alphonsi: & ideo sicut si Alphonsus fuisset
molestatus, D. Octauius teneretur ad defensionem,
& euictionem; ita pariter tenetur ad instantiam sin-
gularis successoris habentis cessionem actionum, &
subrogationem in locum ipsius Alphonsi.

Non obstat quòd executor excessit limites suæ fa-
cultatis, cùm sententiæ Rotales loquantur de bonis,
& sic non poterat facere executionem super isto iure
4 personali, quod † pro euictione competit, & est di-
uersum à bonis, *leg. à Diuo Pio, §. in venditione, ff. de re
5 iud.* Quia † textus *in dict. §. in venditione* loquitur de
iuribus, & nominibus debitorum distinctis, & sepa-
ratis à bonis; vt per Pinell. *in rubr. Cod. de bonis mater.
2. par. num. 24.* & non de iuribus dependentibus ab
ipsis bonis stabilibus, & cum eis connexis; quæ exe-
6 cutor † potest transferre in emptorem: & præsertim,
quando ius prouenit ex natura contractus venditio-
nis, prout est ius agendi de euictione, *leg. si in vendi-
tione, ff. de euict, leg. non dubitatur, Cod. eod. tit.*

Non obstat quòd executor per deliberationem
factam Herculi vltimo oblatori functus fuerat offi-
cio suo; & ideo non potuit postea dare illa bona in
solutum Puteobonellis. Quia Hercules obtulerat vti
persona submissa à Puteobonellis, & hoc vltimum
instrumentum factum fuit pro effectuali executione
deliberationis: & ideo cùm iste actus respiciat exe-
cutionem illius deliberationis, pro illius effectuatio-
ne executor habebat iurisdictionem.

Non obstat quòd facultas Executoris fuit restri-
cta ad vendendum bona oblatoribus; & ideo non
potuit ea dare, in solutum creditoribus. Quia exe-
cutor non processit per viam adiudicationis, sed per
viam subhastationis: fuerunt enim factæ tres obla-
tiones, & Herculi vltimo offerenti, qui in tertia obla-
7 tione fecit nouam oblationem, & plus obtulit; & †
ideo consideratur vti persona diuersa bona fuerunt
deliberata.

Non obstat quòd subhastatio fuit facta credito-
8 ribus mediante persona supposita. Quia creditor †
admittitur ad licitandum, sicut alius extraneus, *leg.
2. Cod. si in casu iudic.* glos. *in leg. à Diuo Pio, §. si pigno-
ra, in versic. addicantur, ff. de re iud.* Bald. *in dict. leg. 2.
circa fin.* Salic. *in leg. ordo num. 5. Cod. de execut. rei iud.*
9 Et licèt † hoc procedat in subsidium, quando non
inuenitur emptor, qui offerat iustum pretium; vt per
Soccin. *cons. 37. num. 9. lib. 4.* Tamen hoc verificatur
in isto casu: quia oblatio facta nomine creditorum,
fuit vltima, & maior alijs. Et hoc Domini dicebant
procedere sine difficultate in hoc casu: quia execu-
tor sciuit quòd Hercules erat persona supposita à cre-
ditoribus, & eis deliberãdo ista bona, in necessarium
antecedens censetur illos admisisse ad licitandum.
Et ideo cessat difficultas, quæ fuit excitata *in Causa
Perusina, seu Assisien. Deliberationis Bonorum coram Il-
10 lustrissimo Cardinali Blanchetto*, quòd † creditor ad
istum effectum debet admitti à iudice, vt tradunt
Cin. Bald. Salic. & Angel. *in dict. leg. vltima, Cod. si in
caus. iudic.* Quia in eo casu non aderat admissio iudi-
cis, neque ei constabat ante factam deliberationem,
quòd oblatio esset facta nomine creditoris.

ROMANA DE CINCIIS.

Lunæ 21. Februarij 1600.

Ponitur hæc Decisio pro continuanda serie huius Causæ.

DECISIO CCVII.

DOmini dixerunt, quòd in primis firmetur, an Reuerendissimus Episcopus acceptauerit hæreditatem Melchioris. Si enim acceptauit, saltim pro dimidia, successit in Legitima Melchioris; & ideo diuisio in tres portiones æquales non est bona. Postea sunt separanda bona libera à bonis fideicommisso subiectis, & deinde deueniendum erit ad nouam diuisionem.

RAVENNATEN. PECVNIARIA.

Mercurij 23. Februarij 1600.

ARGVMENTVM.

Mandatarius quando dicatur non excessisse fines mandati.

SVMMARIVM.

1 *Quando mandatum est pinguius adimpletum, propter vtilitatem mandantis, & ob maiorem commoditatem adimplendi promissa, mandatarius non censetur excessisse illius fines.*

2 *Fideiussor, non obstante prorogatione temporis, tenetur, quando obligatio principalis est pura, & sine limitatione temporis.*

DECISIO CCVIII.

COncluserunt Domini, quòd Scappi non excesse-
runt fines mandati: Quia licèt fuerit proroga-
tum tempus consignationis: tamen mandatum fuit,
1 † pinguius adimpletum, cùm ista dilatio esset
magis vtilis principali, & fideiussoribus, ob maio-
rem commoditatem adimplendi promissa. Et in hoc
placuit Dominis *consil.* Alexand. 90. *num.* 12. *lib.* 3.
Non obstat quòd ordo sit limitatus ad certum
tempus: Quia tempus non fuit expressum ad effe-
ctum restringendi, & limitandi obligationem Cocca-
pani, ad cuius instantiam Scappi se obligabant, ita
vt eo elapso, vlterius non tenerentur; sed fuit expres-
sum ad effectum certiorandi ipsos Scappos de teno-
re, & qualitate obligationis, qua tenebatur princi-
2 palis. Et ideo, † cum obligatio principalis sit pura,
& sine præfinitione temporis, & sola executio sit di-
latain certum tempus; fideiussor non obstante pro-
rogatione tenetur, Host. Io: Andr. Anchar, & Abb.
num. 11. *in cap. constitutus de fideiuss.* Ias. *in leg. lecta*, *nu.*
9. & ibi Dec. *num.* 15. & Alciat. *num.* 53. *ff. si cert. petat.*

ROMANA DOTIS.

Luna 28. Februarij 1609.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Apostilla in margine matricis Instrumenti, augens illius substantiam; si non est subscripta, & approbata per Notarium; non probat.*

DECISIO CCIX.

FVit resolutum, non probari obligationem Iacobæ ad fauorem Menicæ. Quia de ea tantum constat per apostillam in margine matricis instrumenti: &
1 cum † ista apostilla non sit subscripta, nec approbata per Notarium, & augeat substantiam instrumenti, obligando personam in eo non nominatam, non probat istam obligationem *leg.* 1. §. *& ideo*, *ff. de his, quæ in test. del.* Doct. *in leg. si vnus*, & ibi Barto. *num.* 3. Bald. *num.* 1. *in fin.* Ang. *num.* 2. Castr. *num.* 5. & Ias. *nu.* 9. *Cod. de test.* Ioan. de Anan. *cons.* 28. *num.* 2. & fuit latè deductum *in Causa Bononiens. fideicommisso de Sancto Petr. 27. Maij 1596. coram Illustrissimo Cardinali Mantica.* Et tanto magis, cùm concurrant plures conjecturæ in contrarium, quòd ista obligatio non interuenerit, vt latè deducunt informantes.

SPOLETANA TERRARVM.

Luna 6. Martij 1600.

ARGVMENTVM.

Cautio ad fauorem emptoris, in quo casu sit danda, vel non. Retrotranslatio dominij an habeat locum in omnibus pactis habentibus vim resolutiuam principij contractus.

SVMMARIVM.

1 *Si alienatio ab initio est valida, & non est certum, an emptor possit molestari; est præstanda cautio ad fauorem emptoris.*

2 *In alienatione nulla ab initio, puta, quando fideicommissum est purum, & non conditionale; non est locus præstationi cautionis.*

3 *Cautio non reddit tutum emptorem, quoad auocationem ab eo rei emptæ; sed solum, quoad restitutionem precij, damnorum, & interesse.*

4 *Fideicommissarijs competit regulariter actio personalis. Sed quando adest stipulatio, & hypothecа ad fauorem vocatorum, competit etiam rei vendicatio, & numer.* 5.

6 *Per hypothecariam bona auocantur solùm, quando debitum non soluitur.*

7 *Prohibitio alienationis, cum pacto resolutiuo; aut impedit translationem dominij ab initio; aut, secuta resolutione, efficit vt dominium retrotransferatur, & num.* 10.

8 *Retrotranslatio dominij habet locum solum in pacto legis commissoriæ, & actionis in diem.*

Cõtrarium verius, quòd habeat locum in omnibus pactis resolutiuis, dummodo sint concepta verbis resolutiuis directis, & num. 9.

11 *Grauatus alienans non potest vti pacto resolutiuo in præiudicium vocatorum.*

12 *Promissio de euictione, in euentum quòd bona non sint libera, non excludit, quòd emptor, stante nullitate contractus, non possit recedere ab emptione.*

DECISIO CCX.

DVbitaui, præsuppositis decisionibus in hac causa factis, quòd venditio facta à D. Aurelio nõ substineatur, An ei sufficiat præstare cautionem, ad effectum vt emptor non possit recedere ab emptione? Et per Dominos fuit facta distinctio, quòd aut
1 alienatio † ab initio est valida, & non est certum, an emptor possit molestari; vt quia res vendita, sit obligata alteri, vel adsit fideicommissum conditionale, & in hoc casu transfertur dominium in emptorem; & propter incertum euentum conditionis, sufficit interim, ea pendente, dare cautionem. Et in his terminis procedunt doctrina Baldi *in leg. ex his prædijs*, *numero* 4. *Cod. de euict.* & *cons.* Alexand. 65. *lib.* 5. cum
2 alijs, quæ allegantur. Aut alienatio † est nulla ab initio, & fideicommissum est purum, Et in hoc casu non
3 est locus cautioni: quia cautio † non reddit tutum emptorem, quòd res empta ab eo auocari non possit; sed operatur solum quantum ad restitutionem pretij, damnorum, & interesse, Cuman. *in le. cum quis*, §. *qui hominem*, *sub num.* 2. *ff. de solut.* Alexandr. *in leg. Iulianus*, §. *qui fundum*, *num.* 2. *in fin. ff. de verbor. obligat.* & fuit resolutum *in Causa Romana Domus de Alicornis 2. Martij 1598. coram bon. memor. Peregrino.* Et ideo cùm alienatio in casu isto fuerit nulla ab initio, stante fideicommisso ad fauorem filiorum Aurelij, & hæredum, & successorum, qui possunt bona alienata vendicare; versamur in secundo capite distinctionis; & consequenter non est locus cautioni, cum per eam non consulatur indemnitati emptoris.
4 Non obstat quòd fideicomissarijs † competit so-
lum

lum actio personalis, iuxta legem, *quoties Cod. de don. quæ sub modo*: Et propterea sufficit reddere tutum emptorem per cautionem: Quia licet huic fundamẽto fuerint datæ plures responsiones in decisionibus, quæ in hoc Dubio præsupponuntur; tamen, etiam circunscriptis decisionibus, eadem opinio placuit
5 Dominis quòd fideicomissarijs competat † etiam rei vẽdicatio: quia hic adest stipulatio, & hypotheca ad fauorem vocatorum; & propterea possunt vendicare
6 bona alienata. Et licèt per hypothecariam † bona auocentur solum, quando debitum non soluitur; vt per Bart. *in leg. si fundus, §. in venditione, ff. de pign.* Tamen hoc non applicatur: quia in hoc casu debitum consistit in istis bonis, quæ sunt supposita fideicommisso ad fauorem vocatorum, cum hypotheca, & stipulatione.
7 Præterea, stante † prohibitione alienationis cum pacto resolutiuo; aut non potuit transferri dominiũ ab initio; aut secuta resolutione propter contrauentionem, dominium retrotransfertur, & consequenter competit rei vendicatio; vt per Ias. & alios in decisione allegatos.
8 Non obstat † quòd retrotranslatio dominij, habet locum solum in pacto legis comissoriæ, & adiectionis in diem, vt per glos. *in leg. 1. ff. de don.* Alexan. *consil. 10. num. 3. lib. 1.* cum alijs allegatis. Quia con-
9 traria opinio placuit Dominis, quòd habeat † locum in omnibus pactis habentibus vim resolutiuam principij contractus; dummodo sint concepta verbis resolutiuis directis, Bartol. Paul. & alij *in leg. qui absenti, §. 1. ff. de acquir. poss.* idem Paul. *in leg. si à te, Cod. de pact. inter empt. & vendit.* & inter recentiores plures congerunt Roland. à Valle *consil. 67. num. 42. lib. 2.* & Gabr. *consil. 66. num. 2. cum seq. lib. 2.* qui testatur hanc opinionem esse magis receptam: & in casu illo pactum resolutiuum est appositum verbis directis, cum Nicolaus voluerit quòd in casum contrauentionis donatio sit nulla, & inualida, ac nullius prorsus roboris vel momenti, ac si facta, & stipulata non fuisset.

Et cessat omnis difficultas: quia etiam si non esset locus retrotranslationi dominij, prohibitio alienationis cum pacto resolutiuo operatur illum effectum quòd dominium remaneat penes Aurelium, cum hoc
10 onere, vt † non possit illud per alienationem transferre, & quòd vocati secuta contrauentione, possint bona vendicare; vt per Cin. & Salicet. *in leg. ea legem. Cod. de cond. caus. dat.* Suar. *alleg. 9. num. 15.* Molin. *de Hisp. primog. lib. 1. cap. 12. num. 32.*

Et ex hoc tollitur fundamentum, quòd non adest persona, quæ acceptet, istam retrotranslationem dominij: quia fideicommissum remanet ad fauorem
11 vocatorum † in quorum præiudicium Aurelius non potest vti pacto resolutiuo, vt fuit resolutum.

Non obstat quòd dominium non potest stare in pendenti. Quia stat penes Aurelium ad fauorem vocatorum; ita vt de eo non possit disponere; & ad istum effectum sufficit quòd non fuerit translatum in emptorem.

Non obstat promissio de euictione, in euentum quòd bona non sint libera. Quia ista promissio, quæ
12 est apposita † ad fauorem emptoris, non excludit, quòd emptor, stante nullitate contractus, non possit recedere ab emptione, Alexand. *consil. 132. num. 2. lib.* 4. & fuit resolutum *in Causa Vrbeuetana Castrorum coram Oradino 11. Ianuarij 1572.*

ROMANA SALVIANI INTERDICTI.

Veneris 10. Martij 1600.

ARGVMENTVM.

Exceptio præscriptionis in Saluiano reijcitur. Mandatum quando probetur ex assertione Notarij.

SVMMARIVM.

1 *Hypotheca præscribitur spacio decem annorum.*
2 *Mandatum non probatur ex assertione Notarij: nisi concurrant adminicula, & num. 3. & 4.*
5 *Cessio facta sine precio, est simulata.*
6 *Declaratur textus in leg. si per diuersas. Cod. mandati.*

DECISIO CCXI.

IN ista Causa fuerat resolutum coram bon. memo. Orano, extrema esse probata, & exceptionem fideicommissi, & melioramentorum, non esse releuantem; & ideo esse locum executioni mandati relaxati ab A. C. Sed quia coram me in eius locum subrogato, aliæ exceptiones nouæ fuerunt deductæ; proposui iterum idem Dubium, An sit procedendum ad executionem? Et Domini persliterunt in decisis.

1 Quod enim primo opponitur, † spacio decem annorum præscribi hypothecas, *leg. 1. Cod. si aduers. cred. præscrip. opp.* & sine hypotheca non esse locum Saluiano; visum fuit non obstare. Quia à die, à quo domus fuit data in solutum D. Camillo, vsque ad diem motæ litis, non sunt lapsi decem anni; nec tertius possessor potest vti tempore Dominorum de Frangipanibus, qui erant principales debitores. Præterea, si vera est absentia, decem anni non suffitiunt: & ideo cessat ista exceptio præscriptionis.

Pariter exceptio defectus mandati Cæsaris, qui fecit cessionem censusnomine Appiani, non placuit
2 Dominis. Quia licèt † mandatum non probetur, ex assertione Notarij, Card. *in cap. vltim. de fid. instrum.*
3 tamen hoc non procedit, quando † concurrunt adminicula, Dec. *consil. 36.* & fuit resolutum *in Causa Catanien. Illegitimitatis, de anno 1586. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto*, quæ hic plura concurrunt.
4 Primò, quia † assertio Notarij non est simplex, sed enunciatur nomen Notarij rogati, de mandato, & dies rogitus, cum legalitate, signo; & attestatur fuisse cotam eo productum. Secundo, quia concurrit obseruantia istius cessionis per annos 40. & vltra. Tertio, quia fuit facta cessio à Cæsare filio Appiani, & versamur in actu, qui verisimiliter non fuisset factus sine mandato.

Vltima exceptio, quòd cessio fuit facta sine pre-
5 tio, & sic † est simulata, iuxta dispositionem legis, *si per diuersas Cod. mand.* minus placuit Dominis. Ceditur enim census clarus, & liquidus, cum obligatione in forma Cameræ, & ideo cessat dispositio dictæ
6 legis, *si per diuersas*, quæ est fundata † super præsumptione calumniæ; & non habet locum, quando constat cessionem, non fuisse factam animo vexandi illum, contra quem fit, vt *ibi* per glos. Bar. & alios Gab. *de act. conclus. 5. num. 14.* & fuit resolutum *in Causa Ariminen. Census 26. Nouembris 1588. coram R. P. D. Panphilio.*

FER-

FERRARIEN. SOCIETATIS.

Veneris 17. Martij 1600.

ARGVMENTVM.

Declaratur Bulla Sixti Quinti contra contractus palliatos.

SVMMARIVM.

1 *Bulla Sixti Quinti prohibet solum pacta in Societatis contractu, quòd capitale sit saluum; vel, quòd præstetur certa quantitas lucri.*
2 *Intentio Papæ in Bulla supra dicta.*
3 *Iustæ, & æquæ conditiones, & pacta, quæ requirit Bulla in contractibus, intelliguntur non respectu iniustitiæ, sed vsuræ.*

DECISIO CCXII.

Domini dixerunt, quòd Bulla felic. record. Sixti
1 Quinti prohibet † solum pacta apposita in ipso contractu societatis, quòd capitale sit saluum, vel quòd præstetur certa quantitas lucri; & ideo non compræhendit istos contractus; cùm assecuratio lucri non sit facta in contractu societatis, nec correspectiuè ad illum, neque adsit promissio, quòd capitale remaneat saluum.

2 Quod etiam comprobabant; quia tam † ex proemio, quàm ex dispositiua, & toto tenore Bullæ, apparet, eius intentionem fuisse, prohibere contractus societatis palliatos, & contra dispositionem iuris cõmunis, addendo nouas pœnas. Et ideo non habet locum in hoc casu, cùm illi contractus non sint vsurarij, nec prohibiti ex dispositione iuris communis, vt fuit resolutum.

Non obstat, quòd Bulla prohibet omnes contractus societatis, qui non sunt initi iustis, & æquis conditionibus, & pactis secundum Iuris dispositionem,
3 Quia Bulla † intelligit de iustis, & æquis conditionibus, non respectu iniustitiæ, sed vsuræ; vt clarè probatur tam ex verbis præcedentibus, quàm subsequẽtibus, & ex exemplis, quæ subiungit.

CAMERINEN. DOTIS.

Veneris 17. Martij 1600.

Pro Argumento vide Decisionem 177. in hac Causa.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio generalis bonorum paternorum, &c. non probat illorum existentiam; sed intelligitur, quatenus aliqua adessent.*
2 *Stipulatio restitutionis dotis, secuta post dotis promissionem, non prodest ei, qui dotem promittit. Nisi consuetudo loci adsit in contrarium, & num. 3.*
4 *Cohæres non potest agere nisi pro rata ad se spectante: Nisi sit ei relictus plenus vsusfructus portionis alterius cohæredis, & num. 5.*

DECISIO CCXIII.

Domini steterunt in decisis, non obstantibus his, quæ de nouo in contrarium deducuntur.

Quod enim primo opponitur, dotem datam Camillæ in recompensam renuntiationis factæ ad fauorem masculorum, censeri datam de bonis proprijs ipsius mulieris, & ideo non potuisse imponi onus restitutionis iuxta decisionem alias factam *in Causa Romana de Crescentijs coram bonæ memor. Episcopo Oriolen.* visum fuit non obstare. Quia non constat de existentia bonorum paternorum, quæ in renuntiatione comprehenduntur, ita vt dos dicatur data in illorum recompensam: nam hoc solum deducitur ex generali renũtiatione bonorum paternorum, maternorum,
1 & fraternorum; quæ † non probat illorum existentiam, sed intelligitur quatenus aliqua adessent, pro maiori cautela dotantis Imol. *cons.* 1. *num.* 11. Gabr. *cons.* 127. *num.* 31. *lib.* 1. Et omnis difficultas tollitur ex depositionibus testium, qui probant concludenter, quòd Ioannes Pater Camillæ erat pauper, & non habebat aliqua bona; sed omnia erant Marianæ eius vxoris.

2 Non obstat secundo quòd stipulatio fuit secuta † post dotis promissionem; & ideo non suffragatur fratri, etiam quod dos esset promissa ex eius bonis, *leg. vnica, §. accedit, Cod. de rei vxorum act.* Quia promissio fuit facta cum pacto, quòd fieret instrumentum dotale iuxta stilum, & consuetudinem Ciuitatis Camerini; secundum quam consuetudinem dos debet restitui dotanti.

Non obstat quòd Tiburtius habebat cohæredem,
4 ideo non † poterat agere nisi pro dimidia: Quia fuit
5 ei relictus † plenus vsufructus portionis alterius cohæredis, ita quod non possit super fructibus, & possessione dictæ portionis aliquo modo ab eo molestari: Et ideo Tiburtio competebat actio in totum pro consecutione vsufructus, pro qua fuit actum, cùm per ista verba fuerit ei data facultas capiendi fructus propria auctoritate. Rom. *sing.* 88. *la* *&c. in leg. nemo potest, numer.* 36. *ff. de leg.* 1. Rub. Alexandr. *consil.* 43. *num.* 4.

ROMANA HÆREDITATIS DE VALLE.

Lunæ 20. Martij 1600.

ARGVMENTVM.

De legitimatione personarum, quoad Descendentiam.

SVMMARIVM.

1 *Filiatio probatur ex enunciatiua in libro Baptismi, concurrente aliquo adminiculo; Veluti, ex annotatione parentis in suo libro, cum expressione temporis.*
2 *Annotatio patris de ortu filij constituit filium in quasi possessione filiationis, & transfert onus probandi in negantem.*
3 *Acceptatio desertionis instantiæ facta contra aliquem, inducit approbationem, & legitimationem personæ illius.*
4 *Obitus probatur per fidem Curati, vel Sacristæ.*
5 *Filiatio legitima probatur ex fide Parochi.*

DECISIO CCXIV.

Concluserunt Domini, personas esse legitimatas. Quantum enim ad personam Marci Antonij,
1 quòd sit filius Curtij, constat ex † enunciatiua in libro Baptismi, quæ, concurrente aliquo adminiculo, probat filiationem; vt fuit resolutum in *Causa Aretina Capellaniæ* 10. *Maij* 1591. *coram Episcopo Perusino*, & *in Causa Regien. Prioratus* 29. *Aprilis* 1592. *coram me*.

Videbatur autem Dominis hic concurrere vrgens admi-

adminiculum. Quia Curtius notauit in suo libro, quòd die 13. Ianuarij 1566. sibi fuit natus filius masculus, quem Marcum Antonium nominauit; Et ista
2 † annotatio constituit in quasi possessione filiationis, & transferre onus probandi in negantem, Salic. *in leg. etiam, num. 1. ff. de probat.* Barbat. *cons. 27. col. 5. versic. ex istis lib. 1.*

Præterea concurrit acceptatio desertionis instantiæ facta à D. Valerio in spetie contra Marcum An-
3 tonium Toscanellam; per † quam inducitur approbatio, & legitimatio eius personæ, Caputaq. *dec. 314. parte 1.*

Non obstat quòd non probatur obitus Curtij.
4 Quia ex fide † Sacristani Ecclesiæ Beatæ Virginis super Mineruam, constat fuisse sepultum die 11. Februarij 1571.

Non obstat, quòd non probatur Marcum Antonium esse natum ex legitimo matrimonio, & quòd in dubio præsumitur illegitimus. Quia ad istum effectum hoc satis est iustificatum: Primò ex approbatione facta de eius persona à D. Valerio, vt dictum
5 fuit. Secundo, quia † in fide Parochi enunciatur filius Curtij, & Pantasileæ; & in lib. Curtij continetur annus, dies, & rogitus Notarij subarrationis ipsius Pantasileæ, & enumerantur dona facta in nuptijs.

Non obstat quòd non probatur legitimatio personæ Marci Antonij respectu Sebastiani. Quia cùm testes probent quòd Sebastianus fuit frater Curtij, & Marcus Antonius fuerit filius Curtij; ex hoc sequitur quod Marcus Antonius erat nepos Sebastiani.

Quantum ad alias personas non controuertitur, earum legitimatio per informantes pro Petro: & visa est dominis res clara, & sine difficultate, ex approbatione de eis facta in prosecutione huius litis, & ex alijs, quæ deducuntur per informantes pro Marco Antonio.

TREVENTINA BENEFICII.

Veneris 14. Aprilis 1600.

ARGVMENTVM.

Agitur de validitate possessionis, ad effectum manutentionis.

SVMMARIVM.

1 *Possessio anterior, licèt instrumentalis, est manutenibilis, quando alius tunc non est in possessione.*
2 *Beneficium de Iurepatronatus laicorum non comprehenditur sub regula reseruatoria.*
3 *Possessio capta post petitam institutionem præsentati, non est attentata, si præsentatio fuit admissa, nec probatur fuisse motam litem super institutione, illamque fuisse denegatam.*
4 *Immissio posterior in possessionem, vigore Literarum Apostolicarum, non præiudicat anteriori possessioni, quando executor nulliter processit, & num. 5.*
6 *Possessio est nulla, si fuit capta pendente tempore ad appellandum.*

DECISIO CCXV.

Domini resoluerunt, dandum esse mandatum de manutenendo Io: Mariæ; Quia probatur eius
1 possessio anterior possessioni Saluatoris 1 & licet † sit instrumentalis, tamen est manutenibilis, cùm non constet tunc alium fuisse in possessione, Rot. *dec. 21. de rest. spol. in antiqu.* Castad. *decis. 20. in fin. de præbend.*

Non obstat, quòd ista possessio est infecta, propter decretum irritans regulæ reseruatoriæ. Quia hoc
2 Beneficium est de iure patronatus laicorum, & † ideo non comprehenditur sub reseruationibus regularum, Caputaq. *decis. 311. lib. 1. in manuscr.* Put. *decis. 157. lib. 3. & decis. 5. de iur. patron.* Achil. *dec. 3. eod. titu.* Accoramb. *dec. 5.*

Non obstat quòd possessio est attentata, cùm fuerit capta post petitam institutionem Saluatoris præ-
3 sentati. Quia præsentatio † Saluatoris fuerat admissa, nec probatur quòd fuerit mota lis super institutione, nec quòd fuerit denegata; & consequenter possessio non est attentata.

Non obstat quòd Saluator fuit postea immissus in
4 possessionem vigore mandati executiui Literarum Apostolicarum; & quòd per istam possessionem posteriorem sine aliqua expulsione Ioan. Maria amisit
5 suam possessionem. Quia hoc non procedit † quando executor nulliter processit; vt fuit resolutum *in Causa Romana Domus ad imaginem Pontis coram bonæ memoriæ Cardinali Lancellotto*, & sæpe in alijs Causis. Nullitas autem est clara: quia sententia non fuit la-
6 ta in termino citationis: & quia possessio † fuit capta, pendente tempore ad appellandum. Et ideo cùm Io: Maria non habuerit se pro spoliato, remanet sua possessio antiquior manutenibilis.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 17. Aprilis 1600.

ARGVMENTVM.

De sententia iniusta ob summæ excessum.

SVMMARIVM.

1 *Liber Mercatoris non probat pro tertio contra tertium.*

DECISIO CCXVI.

Domini resoluerunt, sententiam A. C. esse reuocandam: Quia Galcerandus fuit condemnatus in ducatis 850. & scutis 140. monetæ; & non constat ipsum exegisse, nisi scuta 600. cùm alia summa scutorum 200. data ad cambiũ, non probetur aliun-
1 de, quàm ex partita libri mercatoris, qui † non probat pro tertio contra tertium, vt per Doct. *in leg. admonendi, ff. de iur. iur.*

Præterea ex ista summa debebat ex computari solutio scutorum 220. facta Io: Guel, quæ fuit acceptata per Thomam: & alia summa transmissa ad mercatorem in Ciuitate Barchinonen, quæ transmissio fuit etiam acceptata per literas Thomæ: & pariter etiam debebant detrahi salarium Galcerandi, & expensæ litis. Et ideo cum fuerit condemnatus in tota summa, nulla de his habita ratione, sententia est iniusta, & reuocanda.

ROMANA FRVCTVVM.

Lunæ 17. Aprilis 1600.

ARGVMENTVM.

Fructus dotis, & donationis propter nuptias, in casu ver-

vergentiæ viri ad inopiam, debentur à die petitionis; Et, An debeatur officio Iudicis.

SVMMARIVM.

1 *Exactio dotis in casu vergentiæ ad inopiam, fit, vt dos collocetur in tuto, & mulier seipsam, virum, & filios alere possit. Et ideo vxori debentur fructus, & nu. 2. & 3.*
4 *Fructus dotis debentur officio Iudicis.*
5 *Contrarium, quòd peti possint actione de dote.*
6 *Restitutio dotis ob vergentiam ad inopiam, est impropria restitutio.*
7 *Verba*, In omnem, & quemcunque casum, *comprehendunt casum etiam improprium.*
8 *Fructus dotis, quando adest promissio damnorum, & interesse, possunt peti vti interesse, vigore promissionis, licèt condemnatio fuerit omissa in sententia.*
9 *Fructus donationis propter nuptias, ex opinione multorum debentur viduæ soluto matrimonio. Item debentur vxori in casu vergentiæ ad inopiam, & num. 10.*
11 *Restitutio dotis debet fieri ex bonis dotantis.*

DECISIO CCXVII.

FVit resolutum, deberi D. Fuluiæ ex bonis Honorij fructus suæ dotis, & donationis propter nuptias, à die petitionis.

Quantum ad fructus dotis, fundamentum Domi-
1 norum fuit; Quia exactio † dotis in casu vergentiæ ad inopiam, fit ad illum effectum, vt dos collocetur in tuto, & mulier ex fructibus se ipsam, virum, & liberos substinere possit, *leg. si cùm dotem §. si vero, ff. solut. matrim. leg. mutus, §. manente, ff. de iur. dot. leg. vbi adhuc, Cod. eod. tit.* Bart. *in leg. si constante, num.* 88. *& num.*
2 94. *ff. solut. matrim.* Et ideo ei fructus debentur, *dict. leg. vbi adhuc*, Bald. *in authent. ei qui iurat, num. 39. versic. sed mulieri, Cod. de bonis auct. iudic. possidend.*

Et licet sit magna controuersia inter Doctores, An viduæ, soluto matrimonio, & sic cessantibus oneribus matrimonij, debeantur fructus dotis. Tamen
3 ista controuersia cessat, quando † matrimonium durat, & concurrunt onera matrimonij, & bene hos duos casus distinguit Bart. *in leg. in insulam, §. vsuras, num. 3. ff. solut. matrim.* & tradunt Docto. *in cap. salubriter, de vsur.* & est communis opinio, vt per Cornel. *cons. 164. numer. 5. lib. 3.* Et in isto casu exactionis ob vergentiam ad inopiam, sunt iura clara, & non reperitur aliquis, qui contradicat.

4 Non obstat, quòd † isti fructus debentur officio Iudicis; & ideo cum condemnatio in sententia fuerit omissa, non possunt peti in iudicio separato, iuxta *leg. terminato, Cod. de fruct. & lit. expens.* Quia non est ita clarum, quòd isti fructus solum debeantur offi-
5 cio iudicis; Multi enim tenent † quòd fructus possunt peti actione de dote, cùm augeant dotem, Paul. de Castro *in leg. si marito, §. si fundum. ff. solut. matr.* Ripa, *in rubr. eiusdem tit. num. 46.* & ibi Ruin. *num. 72. & 77.* Bald. Nouell. *in tractat. de dote 2. parte num. 10.* Rimin. Sen. *consil. 184. num. 56. lib. 1.* Sed quia opinio est controuersa, & Rota aliàs visa est inclinasse in contrariam sententiam, vt per Put. *dec. 93. lib. 1.* Ideo, omisso hoc fundamento, fuit per Dominos responsum, quòd in instrumento continetur, promissio restitutionis dotis in omnem, & quemcunque casum. Et, quicquid dicendum sit, quando solùm est facta promissio in omnem casum; in quo casu est discrepantia inter
6 Doctores, An promissio compræhendat † restitutionem ob vergentiam ad inopiam; quia est impropria restitutio, vt per Ias. *in dict. leg. si constante, num. 192.* Tamen cessat ista difficultas, quando promissio est
7 facta † in omnem, & quemcunque casum: quia tunc compræhenditur iste casus improprius, Rimin. Sen. *cons. 600. num. 26. lib. 3.* Et ideo cum postea in instrumento subnectatur promissio damnorum, & interesse, & consequenter interesse sit etiam promissum; in
8 istum casum † isti fructus possunt peti vti interesse, vigore promissionis, licèt condemnatio fuerit omissa in sententia, Corn. *in dict. leg. terminato, num. 9.* Alex. *in dict. §. si fundum num. 1.* Rimin. *dict. consil. 184. nu. 57.* Roland. à Valle, *consil. 62. num. 6. & 7. lib. 4.* Tanto magis, cùm coram A. C. isti fructus fuerint petiti.

Quantum ad fructus donationis propter nuptias, licet sint variæ Doctorum sententiæ, An viduæ, soluto matrimonio, debeantur isti fructus? & in ista dis-
9 sensione Dominis per viam inclinationis magis placeret opinio affirmatiua, quam contra decisiones, Afflict. 291. & Capic. 65. sequuntur Gramat. *dec. 103. num. 98. & 101.* Marcus Salon. *de pact. cons. 4. num. 28.* & late Thesaur. *decis. 45.* in qua respondetur rationibus dec. Afflict. & reprobatur *cons. Corn. 240. lib. 3.* quod allegatur per informantes pro crediroribus: Tamen hic versamur extra istam difficultatem. Quia sicut in casum vergentiæ ad inopiam debentur vxo-
10 ri fructus dotis, vt dictum fuit; ita pariter † debentur fructus donationis propter nuptias, vt ex ipsis se ipsam, virum, & liberos sustentare possit, *dict. leg. vbi adhuc, & ibi* bene deducit Bald. *sub num. 26. versic. item ex fructibus ipsius donationis, Cod. de iur. dot.*

Non obstat quòd non est locus restitutioni in bo-
11 nis Honorij. Quia communis † opinio est in contrarium, Bart. *in dict. leg. si constitutione num. 25.* Io. Andr. *in addit. ad Specul. in titul. de dote post diuort. restituend. §. vltimo num. 18. in versic. viro*, Rip. *in dict. leg. si constitut. num. 52.* Put. *dec. 256. lib. 3.*

ROMANA EXPEDITIONIS BVLLARVM.

Veneris 21. Aprilis 1600.

ARGVMENTVM.

Impensæ in Expeditionibus Datariæ, an præsumantur factæ de pecunijs Expeditoris; an verò Principalis.

SVMMARIVM.

1 *Solutio, in dubio, præsumitur facta de proprijs pecunijs.*
2 *Limita, vt non procedat, quando solutio est facta nomine Principalis per manus Expeditoris.*

DECISIO CCXVIII.

DOmini resoluerunt, quòd Oliuerius non probat concludenter quòd soluerit de proprijs pecunijs. Licèt enim ipse solicitauerit expeditionem, & fecerit obligationem de soluendo, & soluerit, & habeat Bullas expeditas in manibus: tamen ex istis nõ resultat probatio concludens, quòd soluerit de pro-
1 prijs pecunijs. Et quamuis in † dubio solutio præsumatur facta de proprijs pecunijs, *leg. 2. & ibi* Bart. & Bald. *Cod. pro soc.* Tamen solutiones, quæ ostenduntur, fuerunt factæ nomine Episcopi per manus ipsius Oliuerij; ideo succedit *cons.* Bertrandi. 282. *num. 2. lib. 2.*

6 *lib.* 2. quòd † solutio præsumitur facta de pecunijs Episcopi per manus Oliuerij, vti eius ministri. Tanto magis, cùm istam præsumptionem coadiuuent taciturnitas ipsius in vita, & post obitum Episcopi: facilitas exigendi, cùm Episcopus esset Romanus: & quantitas summæ, quæ est satis notabilis.

Non obstat fides Expeditorum: Quia non concludit respectu omnium Expeditorum; & datur alia fides contraria aliorum Expeditorum: & sufficit ad istum effectum, quòd non probetur solitum vniforme omnium Expeditorum.

Non obstat quòd in compositione cum Camera fuit assignatum debitum scutorum mille pro expeditione Bullarum. Quia hoc factum fuit ad effectum extenuandi spolium; non autem ad effectum ostendendi, quòd istud debitum non esset solutum: negari enim non potest quòd saltim maior pars istius summæ fuerat soluta, cùm Oliuerius qui fecit expeditionem, non repetat scuta mille, sed tantum scuta 350.

ROMANA GRANI.

Lunæ 24. Aprilis 1600.

Hæc Decisio ponitur ad continuandam seriem huius Causæ.

DECISIO CCXIX.

Domini resoluerunt, constare quòd granum Casalis Rotundi de anno 1594. fuit reconditum in granario fori Boarij. Hoc enim concludenter probatur ex depositionibus duorum testium de facto proprio, & aliorum de auditu.

ROMANA RETRACTVS.

Veneris 28. Aprilis 1600.

ARGVMENTVM.

Promissio de faciendo consentire omnem personam, quomodo intelligatur. Venditori in casu retractus, an teneatur emptori ad refectionem melioramentorum.

SVMMARIVM.

1 *Promissio de faciendo consentire omnem personam, intelligitur de habente ius ex causa de præterito, non autem de iure, quod prouenit post contractum.*

2 *Ius vicini in retractu oritur post contractum.*

3 *Verba, licèt pregnantia, si non concludunt necessariò, recipiunt interpretationem à natura rei.*

4 *Promissio damnorum, & interesse, cessat in casu, quo non habet locum promissio euictionis, & de faciendo consentire omnem personam.*

5 *Venditor, in casu retractus, non tenetur ad refectionem melioramentorum, & num. 9.*

6 *Vicinus an teneatur emptori ad refectionem melioramentorum.*

7 *Promissio de faciendo consentire omnem personam, nunc vel in futurum interesse habentem, intelligitur de prætendentibus interesse ex causa tantum de præterito.*

8 *Venditio domus si non intimetur vicino à venditore, nullum ius acquiritur emptori in præiudicium vicini.*

DECISIO CCXX.

Fuit resolutum, Fabium nō teneri ad faciendum consentire vicinum volentem retrahere vigore Bullæ iuris congrui, nec ad refectionem melioramentorum, quæ emptor fecit ante declarationem vicini, neque ad alia damna, & interesse.

1 Potissima ratio resolutionis fuit: quia † promissio de faciendo consentire omnem personam intelligitur de habentibus ius ex causa de preterito, non autem de iure, quod prouenit post contractum, *leg. 3. ff. de euict.* Et ideo non porrigitur ad illum casum; cùm

2 † ius vicini oriatur post contractum, Afflict. *de iure protomiss. in const. sancimus, §. vt infra triginta dies, in fine quæst.* Ioan. de Amic. *cons.* 145. *num.* 18. Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. glos. 9. num.* 34. & 35. Et ad istum effectum requiritur, quod verba non possint aliud

3 importare. Si enim non † concludunt necessario, licèt sint ampla, & pregnantia, recipiunt interpretationem à natura rei, vt promissio, non intelligatur facta in hunc casum; vt per Tiraquell. *dict. glos. 9. num. 56. & ad finem tituli sub num. 98. in fine.* Io. Papon. *in consuetud. Burbon. in tit. de retract. §. 486. in fine.*

Et ex hoc pendet resolutio quantum ad damna, & interesse, & refectionem melioramentorum. Si

4 enim † promissio euictionis, & de faciendo consentire omnem personam, non extenditur ad istum casum, cessat etiam promissio damnorum, & interesse, vt fuit resolutum *in Causa Romana* Retractus 25. Maij 1589. *coram Illustrissimo Cardinali Mantica.* Et vendi-

5 tor † nō tenetur ad refectionem melioramentorum: quicquid dicendum sit inter emptorem, & vicinum: in quo etiam casu idem Io. Pap. *in* §. 481. existimat

6 vicinum † non teneri: quia emptor prospicere potuit, quod vicinus vellet retrahere, iux. tex. *in Cod. si quis domum. § idem erit ff. locat.* Sed iste casus fuit omissus per Dominos, quia non pertinet ad præsentem disputationem, cùm vicinus non sit in causa.

Non obstat quòd venditor promisit facere consentire omnem personam, nunc vel in futurum quomodolibet interesse habere prætendentē. Quia ista

7 promissio intelligitur de pretendentibus interesse, nunc vel in futurum, ex causa de præterito; non autem de ea, quæ oritur post contractum ex prouisione Bullæ, vt supra dictum fuit.

Non obstat quòd intimatio iuxta formam Bullæ

8 debebat fieri vicino à venditore. Quia Bulla † disponit solum, quòd non facta ista intimatione, nullum ius acquiratur emptori in præiudicium vicini. Et ex hoc non sequitur quòd emptor potuerit facere

9 melioramenta, & quòd † venditor teneatur ad illorum refectionem: præsertim non facta prius intimatione vicino, neq; obtenta licentia à Iudice; vt per Io. Papon. *dict.* §. 481. & Bald. Bened. *de iure protomis. §. vtrum num.* 28. *in fin.*

ILLERDEN. IVRIS DECIMANDI.

Veneris 5. Maij 1600.

ARGVMENTVM.

Sententia continens plus debito, reuocatur, vt nulla.

SVMMARIVM.

1 *Clausula,* Arbitrio Rotæ, *mitigat aliqualiter rigorem Iuris.*

2 *Sententia si est nulla in parte, est nulla in totum, propter sui indiuiduitatem.*

3 De-

3 *Declaratur Bart.* in leg. 1. num. 7. Cod. si aduers. rem iudic.
4 *Iniustitia sententiæ notoria dicitur, quando colligitur ex actis.*
5 *Iniustitia notoria inducit nullitatem.*
6 *In spolio ratione delicti potest agi contra plures in solidum.*
7 *Declaratur textus* in leg. 1. Cod. de cond. furt.
8 *Maleficium inducit obligationem in solidum.*

DECISIO CCXXI.

DOmini fuerunt concordes, quòd non sit locus arbitrio Rotæ.
1 Licèt enim † ista clausula *arbitrio* aliqualiter mitiget rigorem Iuris Ciuilis, tamen fundamenta, quæ deducuntur per informantes, Dominis non sunt visa releuantia ad effectum impediendi executionem, iam cęptam trium sententiarum Rotalium.

Fundamēta in effectu sunt tria. Quorum primum est, quòd sententia ad fauorem Prioris, & Canonicorum, licèt contineat plus debito, non potuit reuocari vti nulla. Illud fundamentum non placuit Dominis: quia decisio Putei, & aliæ, quæ allegantur, non sunt principaliter fundatæ in hoc, quòd sententia sit vel non sit conformis petitioni; sed quia est in-
2 diuidua: & † propter indiuiduitatem si est nulla in parte, est nulla in totum. Et doctrina Bartoli, quæ in contrarium allegatur *in leg. 1. num. 7. Cod. si aduer-*
3 *sus rem iudic.* habet † locum parte non opponente ex post facto. Quærit enim Bart. an sententia ex post facto possit pro parte valere, & pro parte non: vt, si condemnatus ad decem, appellauit à quinque? Et concludit, quod sententia valet ex post facto: & sic non negat, immo præsupponit, quod sententia esset
4 nulla. Præterea saltim sententia est iniusta: & † cum iniustitia colligatur ex actis, est notoria: & ideo, cùm
5 † notoria iniustitia inducat nullitatem, sententia potuit reuocari vti nulla; vt fuit resolutum *in Causa Paduana Decimarum 4. Iulij 1576. coram Grassis.*

Nec videbatur Dominis posse controuerti, quòd sententia non contineat plus debito; cùm fuerit condemnatus Prior del Romeral ad restitutionem fructuum, quos pro medietate solum, & pro indiuiso percipiebat cum Priore Sancti Ioannis, qui non fuit citatus. Et licèt in sententia non legatur explicitè, quod Prior fuit condemnatus in solidum ad restitutionem omnium fructuum; tamen, cùm quæstio sit solùm de decimis fructuum, qui colliguntur in vltima fiola, siue partillo; & iudex declaret de illis decimis Canonicos Sancti Stephani, fuisse spoliatos à Priore, & Portionarijs, & eos condemnet ad restitutionem: ex hoc satis apparet, quòd eos condemnauit ad restitutionem omnium decimarum. Tanto magis, stante concessione executorialium postea secuta contra Priorem pro omnibus fructibus; quæ declarat eum fuisse condemnatum in sententia ad restitutionem omnium fructuum.

6 Secundum fundamentum, quod in † spolio ratione delicti potest agi contra plures in solidum, iuxta *leg. 1. Cod. de cond. furtiua*, videbatur Dominis non ap-
7 plicari. Quia ille casus † habet particularem ratio-
8 nem, propter maleficium, quod † inducit obligationem in solidum, & quia cessante probatione primi extremi quo ad omnes decimas, non poterat ferri sententia condemnatoria in spolio contra Priorem.

Tertiū quoque fundamentum, quod Prior obtulerit se liti, declarando se possidere, non placuit Dominis. Intelligunt enim eius confessionem de rata sua; præsertim, cùm in processu probauerit quòd perceptio fructuum erat simultanea cum Priore S. Ioannis; & ideo est multum inuerisimile, quod voluerit confiteri quod solus percepisset omnes fructus.

BAREN: PECVNIARIA.

Mercurij 10. Maij 1600.

ARGVMENTVM.

De computis Mercatorum.

SVMMARIVM.

1 *Mercatorum stilus notorius est, vt nihil soluant, quod in suis libris non annotent.*
2 *Creditor non tenetur recipere particulatim solutionem.*
3 *Fides Mercatoris, stante eius Decoctione, non probat sola; sed facit magnum adminiculum.*
4 *Ordo soluendi directus Mercatori nō inducit liberationem, nisi secuta solutione.*

DECISIO CCXXII.

DOmini recesserunt à resolutis quantum ad summam ducatorū 259. Moti fuerunt primò ex libris Sicodæ, in quibus hæc partita non reperitur so-
1 luta, vt probatur ex relatione peritorum: & tamen † notorius est stilus mercatorum, quòd nihil soluunt, quod in eorum libris non annotent.

Secundò, quia Iannellus de die confectæ apocæ non erat creditor Sicodæ, nisi in ducatis 153. & ideo non poterat Furiettis satisfacere de summa ducatorum 259. quæ non aderant, nec Furietti tenebantur
2 recipere particulatim solutionem ducatorum 153. *leg. quidam existimauerunt, ff. si cert. petat.* & tanto magis quia de ista summa ducatorum 153. Iānellus fuit postea satisfactus à Sicoda.

Tertio concurrit fides Sicodæ, quòd ista summa non fuit soluta Furiettis, quia non aderant pecuniæ
3 Iannelli. Et licèt ista fides stante decoctione † Sicodæ, sola non probet; tamen non potest negari quin faciat magnum adminiculum.

Nō obstat quod die 14. Iunij adest partita scutorū 600. soluta Furiettis. Quia ex instrumento probatur solutionem fuisse factam in complementum, scutorum mille solutorum per Nicastrum; videlicet, scuta 400. in pecunia numerata, & 600. per medium banchi Sicodæ: & ista scuta mille debebantur vltra summā ducatorum 259. & ideo cum solutio scutorū 600. cesserit in aliam causam, non potest in eam comprehendi ista partita ducatorum 259.

Nec videbatur Dominis posse dubitari, quòd ista scuta 600. notata in libro, sint eadem, de quibus loquitur instrumentum: quia concordant summa, dies solutionis, & solutio facta à Sicoda.

Non obstat, quòd Furietti non fecerint diligentiam contra Iannellum pro consequenda ista summa, prout est verisimile, quòd fecissent, si non fuissent satisfacti à Sicoda: Quia sub summa scutorum duorum millium, quam petierunt, comprehenditur ista partita ducatorum 259. & ideo satis visi fuerunt diligentia.

Non

Non obstant confessiones. Quia ex his constat hanc confessionem fuisse factam sub spe futuræ nu-
4 merationis à banco, & notissimum est, † solum ordinem soluendi directum mercatori non inducere libe rationem, nisi secuta solutione, Salic. *in leg. si filius, nu. 2. ff. ad Maced.* & fuit resolutum *in Causa Bononien. de Amorinis coram Cardinali Lancellotto.* & sæpius in alijs causis. Et ex his Domini recesserunt à decisis, assecurato tamen Nicastro in euentum, quod alia apoca inueniretur.

ROMANA CENSVS.

Lunæ 15. Maij 1600.

ARGVMENTVM.

Agitur de validitate census, & reijcitur non numeratio pecuniæ, & simulatio contractus.

SVMMARIVM.

1 *Contra Instrumentum requiritur probatio plena, & multum concludens.*
2 *Testis examinatus sine citatione Partis, non probat.*
3 *Causa simulandi cessat, stante veritate crediti.*
4 *Creditor, qui non potest aliunde consequi solutionem à debitore, curat vt plurimum ei dari pecunias ad interesse, vt cum eis sibi satisfaciat.*

DECISIO CCXXIII.

CVm præsupposito, quòd probetur creditum Pauli Emilij de tempore impositionis istius census, fuit resolutum, censum esse validum. Quia ex instrumento constat de vera numeratione; & cùm credi-
1 tores velint probare contrarium eius quod † continetur in instrumento, requiritur probatio plena, & multum concludens; vt fuit resolutum *in Causa Bononien. Census 19. Octobris 1598. coram Reu. P. D. meo Penia.* Et ista probatio hic non concurrit. Quia in effectu de nõ numeratione deponit solum Raynutius,
2 qui non probat: quia est vnicus, & quia † fuit examinatus in Causa Criminali sine citatione partis, Bart. *in leg. vltan fin. ff. de quæst.* Abb. *in cap. graue, sub num. 9.*
3 *de præbend.* Simulatio verò non probatur: nam † stante veritate crediti; cessat omnis causa simulandi. Quia licèt iste census fuerit creatus à Io: Baptista, cum eius debitoribus, ad effectum sibi satisfaciendi cum istis pecunijs de credito, quod cum eis habebat: tamen ad hunc effectum, non erat opus simulatione.
4 Est enim res satis ordinaria, quod creditor, qui † non potest aliunde consequi solutionem à suo debitore, procurat ei dari ad censum, vel ad societatem officij pecunias, vt cum eis sibi satisfaciat; & ex hoc non resultat simulatio, neque fit aliquod præiudicium ei qui dat pecunias ad censum, vel ad societatem officij.

ROMANA PECVDVM.

Mercurij 24. Maij 1600.

ARGVMENTVM.

Sub hypotheca generali an veniant merces venales. Et quid dicendum de taberna, & de grege.

SVMMARIVM.

1 *Creditores hypothecarij possunt agere Saluiano.*
2 *Sub hypotheca generali veniunt merces venales, ex communiori opinione, contra Iacob. de Aren. & alios, & num. 5.*
Intellige vt num. 6.
3 *Hypotheca extinguitur in mercibus venditis, & remanet in mercibus subrogatis.*
4 *Grex cadit sub hypotheca generali bonorum.*
6 *Merces alienatæ ante quàm sit motum iudicium, vel orta actio hypothecaria, transeunt absque vlla obligatione in emptorem.*
Intellige vt num. 8.
7 *Declaratur textus in leg. cùm tabernam, ff. de pignor.*
9 *Merces tabernæ sunt destinatæ ad continuam venditionem; & sic censentur obligatæ secundum suam destinationem.*
10 *Taberna non retinetur venalis in totum, nec in aliqua parte: ideoque censetur hypothecata simpliciter, & transit in emptorem cum sua hypotheca.*
11 *Grex æquiparatur tabernæ, quoad hoc, vt dicatur ius vniuersale.*
12 *Grex non exponitur, nec retinetur venalis quoad singulas oues minutatim; sed retinetur tanquam corpus.*
13 *Gregis fructus sunt venales, & transeunt liberè in emptorem sine hypotheca.*
14 *Grex quomodo cadat, vel non cadat sub hypotheca.*
15 *Venditio gregis ad numerum, censetur facta ad effectum sciendi quantitatem, & constituendi precium; & non ad excludendam venditionem gregis, vti corporis.*

DECISIO CCXXIV.

DVbium fuit restrictum in præsenti disputatione ad caput hypothecæ: An scilicet, istis creditoribus competeret hypotheca, ita vt potuerint contra Christopborum agere Saluiano? Et Domini, recedendo à decisione alias facta coram bon. memo. Gipsio, *sub die 24. Aprilis 1598.* resoluerunt eis competere, prout aliàs fuerat decisum *26. Iunij 1596. coram eo-*
1 *dem,* & † consequenter potuisse agere Saluiano.

Ratio potissima resolutionis fuit: quia creditores habent hypothecata omnia bona illorum de Scolis;
2 & sub † illa hypotheca generali veniunt merces ve-
3 nales; licèt † aliquibus venditis, in eis extinguatur hypotheca, & remaneat in mercibus subrogatis, Cin. *in leg. vbi adhuc, numero. 19.* Bald. *numero 18. & 19. & numero 38.* & Salic. *numero 12. Cod. de iure dot.* Bart. *in leg. si constante, num. 73. ff. solut. matr.* Ias. *in leg. qui Romæ, §. Callimachus, num. 5. de verbor. obligat.* & *in §. item Seruiana, num. 32. inst. de act.* Ripa *in leg. 1. num. 8. ff. de pign.* Calcan. *consil. 15. num. 16.* Paris. *consil. 69. num. 4. lib. 4. in fine,* Couar. *var. resolut. lib. 2. cap. 5. numer. 2.*
4 Put. *dec. 297. lib. 2.* & † in grege est textus, *in leg. grege. ff. de pign.* Et licèt Iacob. de Aren. *in leg. generali, §. vxori, ff. de vsufruct. leg.* Bald. *in leg. certi iuris, in 6. quæst. Cod. locat,* Rom. *in leg. si constante num. 33. vers. aut quæritur, ff. solut. mat.* & Abb. *in cons. 718.* tenuerint contra-
5 riam opinionem, quod † in mercibus venalibus non cadat hypotheca: tamen opinio affirmatiua est non solum receptior, sed verior, & Rota sæpius amplexa fuit, & in grege non habet difficultatem *dict. le. grege.*

Non obstat limitatio, quæ huic regulæ affertur, vt non procedat in mercibus alienatis ante quam sit motum iudicium, vel orta actio hypothecaria, cùm
6 hoc casu merces † alienatæ transeant absque vlla obligatione in emptorē, Iacobus de Aren. *in dict. leg. vbi adhuc, num. 2.* & *ibi* Bald. *num. 24. Cod. de iur. dot.* & *in leg.*

in leg. cum tabernam, ff. de pign. cum alijs allegatis. Quia
isti Doctores mouentur ex dispositione legis *cùm tabernam, ff. de pig.* & sic limitatio est intelligenda iuxta
7 terminos illius textus, qui † procedit quando alienantur res particulares tabernæ, & aliæ quæ succedunt, loco alienatarum subrogantur, vt tradunt *ibi* Bald. *num. 1.* & Angel. *in fin. princ.* Et ideo non habet
8 locum † quando alienatur tota apotheca, vel eius pars, ita quod penes emptorem non desinat esse corpus verisimile: quia tunc, manente eodem corpore durat eadem hypotheca, vt sentit Bald. *in dict. leg. vbi adhuc, num. 19.* Bald. Nouell. *in dict. leg. si constante, nu. 72.* Rip. *in leg. 1. num. 9. ff. de pign.* Et ratio diuersitatis inter istos duos casus est clara: quia merces taber-
9 næ sunt † destinatæ ad continuam venditionem, & ne commercium impediatur, censentur obligatæ secundùm suam destinationem, & sic cum ista qualitate, quatenus non reperiantur alienatæ: Præsertim, cùm per nouas merces subrogatas, super quibus manet hypotheca, prouideatur indemnitati creditorum. Quæ ratio cessat in taberna, quæ non retinetur venalis in totum, nec in aliqua parte, ita vt desinat
10 esse corpus vniuersale; & sic † censetur hypothecata simpliciter, & transit in emptorem cum sua hypotheca. *dict. leg. cum tabernam.*

Considerabant etiam Domini, quòd in grege non militat eadem ratio, quæ viget in apotheca, & mer-
11 cibus venalibus. Licèt enim † grex æquiparetur tabernæ, quoad hoc, vt dicatur ius vniuersale; tamen æquiparatio non procedit ad istum effectum, vt per
12 venditionem extinguatur hypotheca: quia † grex non exponitur, nec retinetur venalis quo ad singulas oues minutatim; sed retinetur tam quam corpus, pro multiplici fructu, qui ex eo percipitur in lacte, la-
13 na, & fœtibus, qui † sunt venales, & transeunt in emptorem liberi sine hypotheca: & consequenter cùm grex de sui natura non retineatur venalis, non
14 † cadit sub hypotheca cum illa qualitate, quatenus non sit alienatus ad instar mercium venalium; sed cadit sub hypotheca purè, & simpliciter, & transit in emptorem cum sua hypotheca, siue totus, siue pars, sit alienatus Bart. *in dict. leg. cùm tabernam, in fine prin.* Ias. *in dict. §. Callimacus, num. 5.* cum alijs allegatis. Et ideo cum istæ oues non fuerint minutatim venditæ, ita vt desierit esse corpus vniuersale, sed in emptorem transierint vti grex, & corpus vniuersale, pro consequendis illorum fructibus hypotheca non fuit extincta.

Non obstat, quòd fuit facta venditio ad nume-
15 rum, & non totius gregis. Quia † numeratio fuit facta ad effectum sciendi quantitatem, & constituendi pretium earum scuta 150. pro quolibet centenario; & non ad effectum excludendi venditionem gregis, vel corpus. Tanto magis, cùm venditio sit facta cum alijs rebus ad vsum præcodij, & compræhendit omnes oues, quas Scholæ habebant in communi pro indiuiso cum Parisio.

Non obstat quòd Christophorus emptor postea eas non retinuit ad vsum gregis, & precodij. Quia vltra quod hoc non probatur, sufficit ad illum effectum, quòd alienatio fuerit facta, vti de grege, & transierit cum hypotheca in emptorem; cum non sit in eius potestate in præiudicium hypothecæ illas distrahere.

Non obstat, quòd Scholæ erant mercatores, qui retinebant oues ad vsum emendi, & vendendi, & non ad vsum præcodij. Quia neque hoc probatur: & ad illum effectum esset probandum, quòd eas non retineret ad vsum vendendi vti præcodium, & vti grex, sed solum ad vsum vendendi minutatim.

TIBVRTINA COMPROMISSI.

Veneris 26. Maij 1600.

ARGVMENTVM.

Legatum vxoris, quando non censeatur relictum animo compensandi cum dote. Ex quo legato debeantur fructus. De confessione debiti facta in testamento.

SVMMARIVM.

1 *Legatum, cessantibus coniecturis, non censetur relictum animo compensandi cum dote.*
2 *Quando legatum non est eiusdem summæ cum dote; tunc debetur vtrunque.*
3 *Item, quando adest diuersitas temporis in constitutione dotis, & legati; & substitutiones non sunt pares.*
4 *Fructus rei legatæ debentur legatario, vel à die aditæ hæreditatis, vel à die moræ; quando ex re legata percipiuntur fructus.*
5 *In legato pecuniæ non debentur fructus, sed solùm damna & interesse, probata verè, & concludenter.*
6 *Confessio debiti facta in testamento, valet in vim legati, quando habet dispositionem annexam.*

DECISIO CCXXV.

FVit resolutum, Florentiæ deberi non solum dotem, sed etiam legatum scutorum 400. Quia cessantibus coniecturis, legatum non censetur relictum animo compensandi cum dote, *leg. vnica, §. 1. Cod. de rei vxor. act.* Et coniecturæ, quæ afferuntur, quòd si legatum non esset relictum animo compensandi, Hæreditas filio esset damnosa; & quod testator plus reliquisset vxori, quàm propriæ filiæ, pendet ex facto, & non iustificatur concludenter: & in contrarium adducuntur aliæ coniecturæ, quòd summa, non est eadem: quia dos est scutorum 400. cum donatione propter nuptias; & legatum est scutorum 400. cum lecto, & alijs, quæ non important eandem summam.
2 Et ideo † debetur vtrumque tam dos quam legatum *leg. cum centum, & ibi* Iacob. de Arens. Bart. & alij, *ff. de adim. legat.* Paul. de Castr. Alexand. Ias. *in leg. planè,*
3 *§. eodem, ff. de leg. 1.* Item constitutio dotis est facta in contractu, diuerso tempore, & cum duabus substitutionibus: legatum verò est relictum cum vnica substitutione; & consequenter debetur etiam legatum, vt per Alex. *cons. 4. num. 3. lib. 1.*

Quantum ad fructus legati, Domini censuerunt
4 non deberi. Quia licèt fructus † rei legatæ debeantur legatario, vel à die aditæ hæreditatis, vel à die moræ, iuxta distinctionem Doctorum. Tamen hoc procedit, quando ex re legata percipiuntur fructus.
5 Sed cùm versemur in legato pecuniæ, † quæ ex se ipsa nullam vtilitatem affert, fructus non debentur sed solum damna, & interesse, probata verè, & concludenter, iuxta doctrinam Paul. de Castro *in leg. 3. §. vltimo, ff. de eo quod certo loco.*

Quantum ad summam scutorum 140. Domini dixe-

6 xerunt, deberi. Quia † confessio debiti facta in testamento, valet in vim legati, quando habet dispositionem annexam, Bart. *in leg. cùm quis decedens*, §. *Codicillis, num.* 3. *&* 4. *ff. de leg.* 3. & fuit latè deductum, *in Causa Portuen. Bonorum* 2. *Decembris* 1580. *coram R. P. D. Seraphino.*

VIRDVNEN. CANONICATVS.

Veneris 26. *Maij* 1600.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Obitus probatur ex libro Parochi, seu Rectoris Ecclesiæ.*
2 *Presbyteratus probatur ex literis Ordinarij.*

DECISIO CCXXVI.

FVit resolutum gratiam Francisci esse iustificatam. Quòd enim iste Canonicatus vacauerit in Curia
1 de Mense Ianuarij per obitum Ioannis, probatur † ex libro Rectoris Ecclesiæ Sanctæ Luciæ, & ex depositionibus testium.

Quòd autem Franciscus esset Presbyter, & oriundus ex Diœcesi Treconensi, probatur ex Literis Ordinarij de anno 1586. & ex depositionibus testium, qui viderunt eum celebrare Missam, & audire Confessiones.

Valor vero expressus iustificatur ex communi expressione omnium Canonicatuum istius Ecclesiæ, quòd non excedunt 24. ducatos

FOROLIVIEN. CANONICATVS.

Mercurij 31. *Maij* 1600.

ARGVMENTVM.

Vacatio Beneficiorum an inducatur ipso iure in omnibus criminibus.

SVMMARIVM.

1 *Vacatio Beneficiorum non inducitur ipso iure, nisi in certis criminibus in Iure expressis. Etiamsi crimen irrogaret infamiam, & num.* 2.
3 *Condemnatus ob simoniam non censetur priuatus Beneficijs non simoniacè obtentis; licèt his etiam sit priuandus.*
4 *Priuatio Beneficiorum non inducitur per sententiam condemnatoriam propter delictum, nisi in ea contineatur expressè pœna priuationis Beneficiorum.*
5 *Priuatio Beneficij non inducitur per Gratiam restrictam ad vacationem narratam.*
6 *Clausula*, Siue præmisso, siue quouis alio modo, *operatur vt prouisus debeat iustificare vacationem.*
7 *Gratia de Beneficio, vti vacante, remanet subreptitia, si Beneficium non vacat; & non inducit vacationem.*
8 *Papa licèt signauerit Gratiam, censetur tamen nolle priuare non priuandum.*

DECISIO CCXXVII.

DVbium fuit distinctum in duas difficultates. Prima difficultas fuit, An Petrus Paulus fuerit priuatus Canonicatu ipso iure, vel per sententiam.

Secunda difficultas fuit, circumscripta vacatione ipso iure, vel per sententiam, An saltim fuerit inducta vacatio per gratiam S. D. N. concessam Asdrubali.

Quantum ad primam difficultatem, Domini resoluerunt, quòd Petrus Paulus non fuit priuatus Canonicatu, neque ipso iure, neque per sententiam. Fun
1 damentum resolutionis fuit: Quia ipso † iure non inducitur vacatio Beneficiorum, nisi in certis criminibus in Iure expressis. Innoc. *in cap. cum nostris num.* 1. *de concessione prob.* Felin. *in cap.* 2. *num.* 4. *de rescrip.*
2 Quòd locum † habet, licèt crimen irroget infamiam Abb. & Felin. *in cap. querelam sub num.* 3. *de iure iuran.* Lamb. *de iure patron. lib.* 2. 1. *par.* 23. *artic.* 9. *quæst. princ. num.* 4. Silu. *de benefic.* 3. *par. quæst.* 2. & sentit Bisign.
3 *decis.* 5. *de re iudic.* Et in † condemnato ob simoniam, ex qua resultat infamia, quòd non sit priuatus Beneficijs non simoniacè obtentis, licet his etiam sit priuandus, tenuit aliàs Rota; vt per Paleott. *dec.* 53. Per sententiam vero condemnatoriam propter delictum,
4 non inducitur † priuatio Beneficiorum, nisi in ea contineatur expressè pœna priuationis Beneficiorum, etiam si condemnatus perpetuo excludatur à facultate inseruiendi in Beneficijs, & consecutiuè sit eis priuandus: vt in terminis condemnati per sententiam ad perpetuos carceres, concludit *dict. decis.* 5. Bisign. *de re iud.* quam Rota solita est sequi; vt per Sarnen. *in reg. de annal. quæst.* 42. Simon. *de reseru. quæst.* 28. Put. *decis.* 233. *lib.* 2. Et ideo, cùm non versemur in criminibus exceptis, in quibus inducitur vacatio ipso iure; & sententia non côtineat expressam priuationem Canonicatus; non fuit inducta vacatio, neque ipso iure, neque ratione infamiæ, neque per sententiam; & consequenter super eo ius competit Petro Paulo.

Quantum ad secundam difficultatem, Domini censuerunt, per gratiam concessam Asdrubali non fuisse inductam nouam vacationem. Potissima ratio resolutionis fuit. Quia gratia est concessa ad petitionem partis, & est restricta ad vacationem narratam, quòd Canonicatus vacauit, quia Petrus Paulus ob latrocinium, & non nulla alia delicta, fuit condemnatus ad triremes, & infamiæ notam, & inhabilitatem ad istũ Canonicatum de cetero obtinendum contraxit. Et
5 ideo, cùm † gratia sit restricta ad vacationem narratam, ex ea non inducitur priuatio, etiam si non vacaret, Io: Paul. *dec.* 79. Put. *dec.* 30. *lib.* 1.
6 Considerabant etiam Domini, quòd stante, † clausula, *siue præmisso, siue quouis alio modo*, S. D. N. intellexit quod prouisus deberet iustificare vacationem: Et ista repugnât quod voluerit conferre, etiam quòd Canonicatus non vacaret; & quod debeat iustificari vacatio.

Non obstat *cons*. Anch. 293. quod Rota aliàs secuta fuit, vt per informantes. Quia illud consilium procedit, quando Papa habuit certam, & indubitatam scientiam facti, & nihilominus voluit conferre, etiam quod sciret vel dubitaret, an beneficium vacaret. Secus autem est, quando fecit gratiam ad petitionem partis suggerentis sibi factum ignotum, &
7 prouidit de beneficio vti vacante: tunc † enim, si beneficium non vacat, gratia remanet subreptitia, & non inducit vacationem. Et ita dictum cons. Anch. declarat Io: Paul. *dict. dec.* 79. & Put. *dict. dec.* 30.

Non obstat notabile Cancellariæ, quòd allegatur. Quia illa est alia quæstio: Dubium enim illius notabilis est, quando narrata in gratia sunt vera, sed insufficientia ad vacationem: & ideo non applicatur, quia Papę fuit obreptum quòd beneficium vacabat,

cùm non vacaret, neque ipso iure, neque per sententiam, neque propter infamiam, vt dictum fuit. Et nihilominus notabile non datur integrum; & in eo casu postea concluditur contrarium; quia licet † Papa
8 signauerit gratiam, non vult priuare nō priuandum. Et ideo in istis gratijs solet semper apponi clausula, *prout de iure*.

CREMONEN. AQVARVM.

Veneris 9. Iunij 1600.

Argumentum sumitur ex Decision. 175. huiusmet Causæ.

SVMMARIVM.

1 *Tertius non potest opponere de defectu consensus, quando is, cuius fauore consensus requiritur, nihil opponit.*

2 *Tempus præfixum ad affrancandum, intelligitur, vt eo, durante, non possit quis cogi ad affrancandum.*

DECISIO CCXXVIII.

PRoposui iterum Dubium idem aliàs propositum, & resolutum coram bon. mem. Gipsio, An mandatum executiuum relaxatum ab A. C. ad fauorem Illustrissimi Cardinalis, esset iustum, & exequendum. Et Domini steterunt in decisis, quòd mandatum est iustum, & exequendum. Cùm enim consensus requiratur fauore Communitatis Brixiæ, quæ certio-
1 rata † non repugnat, neque aliquid opponit, Oprandi nō possunt opponere de illius defectu, ad effectum impediendi restitutionem aquarum, iuxta *decis.* Crescent. 122.

Placuit etiam Dominis alia ratio, quòd ista exceptio non adhibiti consensus Communitatis, non suffragatur Oprandis; cùm per eos stet, quominus restituant aquas. Quia ipsi possunt cogere Gambaros ad affrancandum à Communitate; & Gambaræ possunt cogere Communitatem: & ideo erat in eorum potestate remouere istam exceptionem.

Non obstat, quòd Gambaræ elapsis viginti annis non poterant amplius cogere Communitatem ad affrancandum. Quia iste terminus non fuit præstitu-
2 tus † ad effectum, vt Gambaræ non possent post illius lapsum amplius affrancare; sed solum fuit appositus in eorum fauorem, vt durante isto termino, non possset cogi ad affrancandum à Communitate, si noluissent.

Considerabant etiam aliqui ex Dominis, quòd in instrumento continetur venditio aquarum, cum reseruatione consensus; & illarum locatio cum obligatione restituendi finita locatione: Et ideo cùm illa conditio reseruationis consensus sit solum apposita venditioni, & nō promissioni restitutionis aquarum; finita locatione, quæ est simplex & pura, ista exceptio defectus consensus Communitatis, non suffragatur Oprandis, ad istum effectum impediendi restitutionem post finitam locationem.

Non obstat quòd in clausulis executiuis, fuit repetita eadem conditio. Quia est referenda solum ad venditionem aquarum, cui in parte dispositiua est apposita.

ROMANA DOTIS DE CINCIIS.

Veneris 9. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

De restitutione dotis, extra casum vergentiæ ad inopiam.

SVMMARIVM.

1 *Mulier habet interesse, vt eius dos collocetur in tuto, & inseruiat oneribus matrimonij.*

2 *Pater dotans habet interesse, dotem conseruari; ne in casu amissionis teneatur iterum filiam dotare.*

3 *Qui dotem recepit, & non sustinet onera matrimonij, ad illius restitutionem tenetur, etiam extra casum vergentiæ ad inopiam.*

DECISIO CCXXIX.

PRoposui Dubium, vna tantum parte informante, An constaret de interesse patris, & filiæ, repetendi dotem? & sic, An Reuerendissimus Episcopus teneretur ad illius restitutionem?

Et quantum ad interesse, visa est Dominis res cla-
1 ra. Filia enim † habet interesse, vt eius dos collocetur in tuto, & deseruiat oneribus matrimonij, *leg. si is, qui, §. 1. ff. de iur. dot. leg. si maritus, ff. famil. ercisc.* Bald. *in authen. et, qui, sub num. 39. Cod. de bon. auct. iud. possid.* & tradunt omnes *in leg. si constante, ff. solut. matrimon.*
2 Et patris interest † dotem conseruari, ne in casum amissionis teneatur iterum filiam dotare; *iuxt. authen. quod locum,* & *ibi* Bald. *num. 4. Cod. de collat.* Socc. *cons. 4. num. 2. lib. 4.*

Quantum ad restitutionem, Domini censuerunt, Reuerendissimum Episcopum teneri, nisi ostendat
3 eam factam. Fundamentum resolutionis fuit; quia † ipse dotem recepit, & non substinet onera matrimonij: Et ideo ad illius restitutionem tenetur. Datur enim in hoc casu repetitio dotis extra casum inopiæ, vt possit deseruire oneribus matrimonij, Bart. *in leg. si constante, num. 61. ff. solut. matr.* Bald. *cons. 131. incipit veritas est, lib. 4.* Bero. *cons. 52. nu. 7. & 8. lib. 2.*

OSCEN. INDVLTI.

Mercurij 14. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

In Ecclesia Oscensi, per concordiam, solus Episcopus conferre Dignitates, & solum Capitulum alias Præbendas. Vide Decis. 198.

SVMMARIVM.

1 *Indultum Sixti Quarti pro Ecclesijs Regnorum Castellæ, & Legionis, non tribuit, neque aufert pertinentiam collationis; sed in eo instituuntur duæ Præbendæ in Cathedralibus: vna pro Theologo, & alia pro Lectore, & numero 3.*

2 *Collatio de Iure communi, est simultanea inter Episcopū, & Capitulum.*

4 *Papa non censetur velle auferre Capitulis collationem liberam, & inducere simultaneam, in præiudicium Cōcordiarum, & consuetudinum particularium, de quibus ipse non habuit notitiam.*

5 *Indultum Sixti Quarti supra dictum, fuit à Leone Decimo extensum ad Regna Nauarræ, & Granatæ.*

DE-

DECISIO CCXXX.

FVit resolutum, Regulam, De iure quæsito non tollendo non obstare Capitulo, quantum ad collationem Canonicatus, & Præbendæ doctoralis, & quantum ad examen, & nominationem Doctoris.

Moti fuerunt Domini: Quia in hac Ecclesia adest concordia in Rota canonizata, per quam tribuitur soli Episcopo facultas conferendi Dignitates, & soli Capitulo alias Præbendas. Et Indultum Sixti Quarti, in quo fit fundamentum per informantes pro Episcopo, propter relationem contentam in
1 Bulla Pij Quinti ad dictum Indultum, non † tribuit neque aufert pertinentiam collationis ijs, quibus prius competebat: sed solùm in eo instituuntur duæ Præbendæ, vna pro Theologo, & alia pro Doctore. Et licèt in eo fuerint apposita illa verba, *Vna cum Capitulo*, & postea similia verba, *Per eosdem Ordinarios collatores, & Capitula praeligantur*. Tamen illa verba
2 sunt intelligenda, † quando collatio est simultanea inter Episcopos, & Capitula, prout est regulariter secundum dispositionem iuris communis, iuxta *De-*
3 *cisionem* Cassad. 22. *de præbend.* Cùm enim † istud Indultum fuerit concessum ad instantiam omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, & Capitulorum Regni Castellæ, & Legionis, Papa solum habuit præoculis dispositionem iuris communis; & præsupponêdo collationem simultaneam, noluit præiudicium inferre neque Episcopis, neque Capitulis: & ideo voluit præseruare collationem simultaneã: Sed quando collatio spectat ad solum Episcopum, vel solum Capitulum, vigore concordiæ, vel consuetudinis, cùm Papa non habuerit notitiam concordiarum; & consuetudinum particularium omnium Ecclesiarum
4 Regni, non † censetur illis voluisse præiudicare, auferendo Capitulis collationem liberam, & inducendo simultaneam, vt per Doct. *in cap. 1. de constitu. in 6.* Et ideo cùm ista verba non importent necessariò nouam concessionem simultaneæ, quando ei non est locus propter concordias vel consuetudines, non sunt trahenda ad istum casum. Et ista intelligentia est multùm conformis menti Papæ; qui non intellexit alterare facultatem conferendi, neque præiudicare eisdem personis, ad quorum instantiam Indultum est concessum; sed solum instituere istas duas Præbendas. Et ad istum effectum nihil intererat, quòd prouisio fieret ab Episcopo cum Capitulo, vel à solo Capitulo.

Non obstat Constitutio Leonis. Quia nihil de no-
5 uo disponit sed † solum extendit Indultum Sixti IV. ad Regna Nauarræ, & Granatæ.

Quantum ad examen, & nominationem Doctoris, Domini dixerunt, quòd Indultum Sixti Quarti recipit eandem interpretationem; & Sacrum Concilium Tridentinum nihil disponit. Ideo regula non obstat.

ANAGNINA LEGATI.

Veneris 16. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Possidens hæreditatem, presumitur in dubio possidere, vti hæres, & non vti fideicommissarius.

SVMMARIVM.

1 *Aditio hæreditatis probatur ex possessione bonorum hæreditariorum.*

2 *Fideicommissarius non potest capere possessionem propria auctoritate.*

3 *Possidens hæreditatem, si non ostendat se possessionem cepisse auctoritate Iudicis, presumitur possidere vti hæres, & non vti fideicommissarius.*

4 *Recognitio iurium potest fieri quandocunque, etiam post sententiam, si pars non opponat.*

DECISIO CCXXXI.

FVit resolutum per Dominos, sententiam esse exequendam: Quia est iusta, & valida, & fecit transitum in iudicatum. Iustitia est clara: Quia Horatius legauit Virginiæ pro dote scuta 1200. & cùm ei data solù fuerint scuta 600. remanebat creditrix in alijs scutis 600. ad quorum solutionem Metellus fuit condemnatus.

Nec videbatur Dominis posse controuerti, quod Metellus non fuerit hæres Horatij. Quia possidet il-
1 lius bona: & ex † hac possessione probatur aditio, *leg. is, qui bonis, ff. de acqu. hæred.* Bart. *in leg. pro hærede, in princ. ff. de acquir. hæred.* Et licet Metellus pretendat possidere vigore fideicommissi; tamen, vltra quod non constat de purificatione fideicommissi, neque
2 quod sit vniuersale, fideicommissarius † non potest capere possessionem propria auctoritate, Put. *dec. 3. de testam.* Et ideo cum Metellus non ostendat cepisse
3 possessionem auctoritate iudicis, præsumitur † possedisse vti hæres, & non vti fideicomissarius, Roman. *consil.* 247. & fuit resolutum coram me *in Causa Romana Casalis* 18. *Iunij* 1593.

Nõ obstat quod sententia nõ iustificatur ex actis; cùm iura sint recognita post sententiam. Quia re-
4 cognitio † potest fieri quandocunque, parte non opponente, Peregr. *decis.* 151. *lib.* 3.

Non obstat, quod sententia est nulla ex defectu productionis mandati, de quo fuerat protestatum. Quia mandatum fuerat productum in actis ante protestationem.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 19. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

De iniustitia mandati, ex capite simulationis, & excessus.

SVMMARIVM.

1 *Quando possessio capitur auctoritate Iudicis, primum extremum probatur ex sola immissione sine eiectione colonorum.*

2 *Intellige, hoc procedere, si Iudex ritè, & rectè processit.*

DECISIO CCXXXII.

FVit resolutum, Dominos de Orbis non esse restituendos. Fundamentum resolutionis fuit, Quia
1 licèt primum extremum, quando possessio capitur auctoritate iudicis, probetur ex sola immissione sine eiectione colonorum: tamen hoc procedit, quando
2 iudex ritè, & rectè processit, vt fuit resolutum *in Causa Romana, Domus ad imaginem Pontis* 13. *Iunij* 1576. *coram Cardinali Lancellotto.*

Et hic videbatur Dominis iustitia mandati multum turbida. Primo, quia mandatum fuit relaxatum pro summa scutorum 800. vigore instrumenti; quod ex apoca apparet fuisse simulatum in scutis 500. Secundò, quia mandatum fuerat reformatum in scutis 471. & iden non potuit, postea fieri executio pro tota summa. Tertiò in ista obscuritate mouit multum Dominos, quòd testes de nouo examinati probant aliquam consignationem lignorum; & sic respectu alicuius quantitatis mandatum est detectum iniustum. Et ideo placeret Dominis quòd, omissa hac via spolij, videretur de bono iure.

ROMANA SOCIETATIS.

Veneris 23. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Fructus Societatis an debeantur post venditum officium, ignorante eo, qui pecunias dedit: soluens scienter in debitum, in quo casu possit repetere pecunias solutas.

SVMMARIVM.

1 *Societas Officij dissoluitur per venditionem.*
2 *Dissoluta societate, cessat periculum vitæ, & remanet purum mutuum.*
3 *Ex puro mutuo non possunt citra vsuram percipi fructus.*
4 *Ignorantia venditionis officij non operatur quòd societas duret.*
5 *Societates officiorum sustinentur solum propter periculum amissionis sortis; & licitè percipiuntur fructus.*
6 *Dissoluta societate, fructus non debentur: sed competit solum actio ad interesse, probatur verè, & concludenter, & non præsumptiuè.*
7 *Declarantur textus* in leg. sed & socius, §. si absenti, & in leg. actione, §. item si alicuius, ff. pro soc.
8 *Fructus sponte soluti à sciente illos esse indebitos, non possunt amplius repeti: Nisi in casu vsurarum, & numero 9.*
10 *Quando potest sumi alia præsumptio, quàm donationis; soluens scienter indebitum? potest repetere.*
11 *Certioratio venditionis Officij non est necessariò facienda socio, qui dedit pecunias ad societatem.*

DECISIO CCXXXIII.

Domini circumscripserunt in præsenti disputatione caput scientiæ, vel ignorantiæ Illustrissimi D. Io: Baptistæ venditionis officij; & concluserunt, quòd siue sciuerit, siue ignorauerit, fructus ei non debeantur post venditionem officij.

1 Fundamentum resolutionis fuit: quia † per venditionem officij societas dissoluitur *leg. verum. §. vltimo*
2 *ff. pro soc. §. soluitur, inst. eod. tit.* Et dissoluta † societate cessat periculũ vitæ, & amissionis sortis principalis, &
3 remanet purum, & merum mutuum, ex † quo citra vsuram non possunt percipi fructus, non obstante pacto vel consuetudine in contrarium, vt fuit resolutum, *in Causa Romana Societatis coram Cardinali Lancelotto 28. Aprilis 1570. & in alia Romana Societatis 10. Maij 1578. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto; & in Causa Romana secundam 3. Iunij 1575. coram Cotta,* & sæpius in alijs causis.

Et distinctio, quæ fit per modernos, & hic per informantes inter societatem, & ignorantem, non ha-
4 bet aliquod fundamentum. Quia ignorantia † venditionis Officij non operatur, quòd societas duret, Alexand. *cons. 60. num. 1. & 2. lib. 7.* Et dissoluta societate militat eadem ratio, quòd cesset periculum a-
5 missionis capitalis; † propter quod periculum solum substinentur societates, officiorum, & licitè percipiuntur fructus; & remanet purum mutuum, & con-
6 sequenter non possunt percipi fructus: sed † soltùm in hoc casu competit actio ad interesse probatum, verè, & concludenter, & non præsumptiuè, iuxta doctrinam Pauli de Castro *in lib. 3. §. vltimo, ff. de eo quod certo loc.* quàm Rota seruat, vt per Put. *dec. 232. lib. 1.* Mohed. *dec. 208.* Verall. *dec. 2. lib. 3. in manuscr.*

Non obstant text. *in leg. sed & socius, §. si absenti, & in leg. actione, §. item si alicuius, ff. pro soc.* Quia in spe-
7 cie illorum textuum, † societas est finita, licèt vnus ex socijs ignoraret dissolutionem, Bartol. & Bald. *in dict. § si absenti,* idem Bartol. & Fulgos. *in dict. §. item, si alicuius,* Alexan. *dict. cons. 60. num. 1. & 2.* Et quæstio solum est de damnis, & lucris, & alijs gestis medio tempore inter dissolutionem societatis, & scientiam alterius socij. Et ista quæstio cessat in hac specie; quia post venditionem officij non potest amplius alicui ex socijs obuenire damnum, neque lucrum, cùm cesset periculum amissionis sortis principalis, ex parte dantis; & ex officio vendito, super quo solum est contracta societas, alius socius non possit amplius percipere vllos fructus.

Non obstat, quòd cùm isti fructus fuerint soluti,
8 † sponte à sciente illos esse indebitos, nõ possunt amplius repeti, *leg. 1. ff. de condit. indeb. cum alijs allegatis.*
9 Quia hoc † non habet locum in vsuris, quæ possunt repeti, etiã quod fuerint sciẽter, & sponte solutę, Bar. *in. leg. si non sortem, §. si quis falsò, ff. de cond. indeb.* Ias. *in dict. leg. 1. sub num. 12. vers. 5. limita,* Dec. *in leg. cuius per errorem, num. 4. ff. de reg. iur.* Et tanto magis, quia ista solutio non fuit facta ab Episcopo animo donandi, sed ad effectum differendi restitutionem summæ satis notabilis scutorum duorum millium sortis principalis, quàm tunc non habebat in promptu; vt pro-
10 batur ex suis litteris. Et quando potest sumi † alia præsumptio, quàm donationis, soluens scienter indebitum potest repetere, Bald. *in dict. leg. 1. in fin. & ibi* Ias. *in 4. limitat.* Dec. *in dict. leg. cuius per errorem, n. 2.*

Non obstat, quòd esset in potestate recipientis pecunias ad societatem, vendendo officium post contractam societatem, sine certioratione socij, eum pri-
11 uare fructibus societatis. Quia † certioratio non est necessaria Alexand. *dict. cons. 60. num. 2.* Et ex ista venditione non resultat aliquod præiudicium considerabile, cùm non currat amplius periculum amissionis sortis principalis: & is, qui dat pecuniam, facile possit certiorari, an societas duret, vel ne; & ea dissoluta, repetere sortem principalem; Et ideo imputare sibi debet, si est negligens in perquirendo, an societas duret.

VITERBIEN. PORCORVM.

Veneris 23. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Interpellatus, an propter moram teneatur ad precium quanti plurimi, & ad damna, & interesse.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Interpellatus, post interpellationem, tenetur ad precium quanti plurimi.*
2 *Item ad fructus perceptos tantum, & ad damna, & interesse. Sed hæc omnia sunt probanda concludenter, iuxta requisita. Castrensis, & num. 3.*

DECISIO CCXXXIV.

Domini non dubitant, quin post interpellationem factã à Scipione, Comes † teneatur ad pre-
1 tium quanti plurimi, propter moram, iuxta tex. *in leg. in hac, ff. de cond. triticar.* & noratur à Docto. *in leg.*
2 *vinum. ff. si cert. petat.* Et ad fructus † perceptos tan-
3 tum, & etiam ad damna, & interesse, si † concurrunt requisita, Castr. *in leg. 3. §. vlt. ff. de eo quod certo loco.* Sed dixerunt quod Scipio non probat concludenter, neque pretium quanti plurimi, neque fructus perceptos neque damna, & interesse, iuxta dicta requisita Castrens.

ROMANA CENSVVM.

Veneris 23. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Probatio versionis in causam expressam, an sit necessaria, quando contractus est initus ex causa voluntaria. De nullitate contractus ex defectu solemnitatum.

SVMMARIVM.

1 *Quando contractus est initus ex causa voluntaria, non est probanda versio in causam expressam.*
2 *Versio probatur præsumptionibus, & coniecturis.*
3 *Nullitas contractus ex defectu solemnitatu non adhibitę, habet locum volente eo, qui de illa dare potest.*
4 *Exceptio nullitatis contractus non potest retrotrahi in pręiudicium contractuum antea initorum.*

DECISIO CCXXXV.

Placuit Dominis Decisio alias facta in hac Causa coram R. P. D. Penia, quòd Capitulum teneatur
1 ad restitutionem pretij. Quia cùm † contractus fuerint initi ex causa voluntaria, non est necessaria probatio versionis in causam expressam, iuxta eam distinctionem, quam Rota secuta fuit *in Causis, Romana Domus de Priuionibus coram Decano; Auximana Bonorum, & Anconitana Terrarum, coram R. P. D. Seraphino: & Romana Census coram bon. mem. Bubalo.* Et si probatio versionis esset necessaria, respectu consensus sextorum 73. est clara: quia probatur concludenter extinctio census Firmiani. Respectu verò aliorum censuum, est multum verisimilis; cùm per spatium tanti temporis nunquam fuerint petiti à Capitulo fructus illorum censuum, & ab eo per spatium 28. annorum ante motam litem fuerint soluti fructus istorum censuum, & probetur extinctio alterius census maioris
2 summæ: versio † enim probatur præsumptionibus, & coniecturis, Bart. & alij in *leg. Ciuitas, ff. si cert. petat.* Præsertim, quando solutio est facta toto Capitulo, & quęstio est solum de restitutione pretij vt per glos. *in auth. hoc ius porrectum in vers. probet,* & ibi Bart. *num. 17. Cod. de sacrosanct. Eccles.*

Non obstat quòd, stante nullitate præcedentium contractuum, ex defectu solemnitatis non adhibitæ in impositione cẽsuum, pro quorum extinctione fuerunt creati isti noui, isti posteriores contractus non
3 fuerunt vtiles Capitulo. Quia † ista nullitas habebat locum volente Capitulo, Pur. *decis. 301 lib. 1.* Et tunc non fuerat ab eo declarata. Et ideo, cùm isti contractus de eo tempore haberent implicitum statum validitatis; & Capitulum substineret onus soluendi fructus, neque vellet declarare nullitatem, quæ etiam forsan non aderat; valde vtile ei fuit, per reductionem ad minorem summam eximere se à solutione, maioris summę. Et licèt postea Capitulum opposuerit de nullitate præcedentis impositionis; tamen
4 ista † oppositio non potest retrotrahi in pręiudicium contractuum antea initorum, ad effectum ostendendi eorum nullitatem de tempore impositionis, & damnum, siue non vtilitatem istorum posteriorum. Quia sufficit ad istum effectum, quòd tunc Capitulum voluerit habere illos contractus pro validis, & se liberare à solutione maioris summæ.

MACERATEN. CESSIONIS.

Lunæ 26. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Læsio in contractu cessionis, quomodo excludatur.

SVMMARIVM.

1 *Modica summa non est considerabilis, ad effectum læsionis.*
2 *Offerens se paratum ad retrocedendum omnia contenta in cessione, reijcit à se omnem suspicionem læsionis.*

DECISIO CCXXXVI.

Fuit resolutum, sententias esse confirmandas. Quia læsio, in qua se fundat Bernabò, non probatur concludenter, & excluditur ex inuentario, & ex cessione: cum certum sit, quòd æs alienum excedit creditum assignatum Rodulfinis. Et licèt in cessione fuerit appositum pactum, quòd si inuenirentur alia credita non descripta, pertinerent ad Rodulfinos: tamen ad effectum læsionis debet ostendi quòd ista credita adessent. Si enim non adsunt, hoc pactum non suffragatur Rodulfinis, & nihil operatur, cùm non augeat summam contentam in cessione: & consequenter cessat læsio.

Quòd autem adessent alia credita vltra descripta in inuentario, non probatur concludenter. Quia bilancium Passeri non est attendendum, cùm postea fuerit reuisum de mandato Iudicis, & detectum fuisse appositas multas partitas, quæ non erant apponendæ: & ex relatione Castroni constat, quòd detractis debitoribus non veris, & partita *delli dissauanzi,* computatis etiam alijs partitis ad fauorem Domi norum de Barnabo, quas Rodulfini prætendunt esse detrahendas, & fuerunt relictæ in pendenti, donec terminentur; nihilominus creditum non excedit de-
1 bitum, nisi in quadam modica summa, quæ † non est considerabilis ad effectum læsionis. Præsertim, cùm sit res satis ordinaria, quòd in tã magna summa adsint multi debitores inexigibiles, & sint necessariæ expensæ: tanto magis, cùm debitores existerent in diuersis locis.

Et

Et videbatur Dominis, quod Rodulfini excludunt
2 omnem suspitionem læsionis, cùm † semper obtulerint se esse paratos retrocedere omnia contenta in cessione, retentis tantum tot bonis, & nominibus debitorum, quæ ascendant vsque ad summam ab eis solutam. Quam retrocessionem facto nunquam voluerunt acceptare Domini de Barnabò.

ARETINA PENSIONIS.

Mercurij 28. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

De clausula, *Dummodo remaneant centum ducati liberi pro Rectore.*

SVMMARIVM.

1 *Contra consentientem pensioni proceditur executiuè, & sine iustificatione.*
2 *Intellige, dummodo Gratia sit pura: secus verò si contineat conditionem, vel modum.*
3 *Clausula, Dummodo remaneant centum pro Rectore, operatur vt pensionarius debeat illam iustificare: Et, ea non iustificata, non potest procedi ad executionem, & num. 4.*
5 *Quando valor est expressus negatiuè, non excedit, non concludit, quòd Rectores remaneant centum.*
6 *Valor Beneficij debet probari, deductis oneribus.*

DECISIO CCXXXVII.

Domini censuerunt, esse supersedendum in vlteriori executione, donec Dionysius iustificet, quod Bartholomeo remaneant cētum ducati liberi.
1 Fundamentum resolutionis fuit. Quia licèt † contra consentientem pensioni procedatur executiuè, & sine iustificatione Litterarum, Mohed. *dec.* 331. Guid. *dec.* 141. præsertim stante obligatione Camerali. Ta-
2 men hoc procedit † quando gratia est pura; secus verò, si contineat conditionem, vel modum: quia tunc consensus recipit eandem conditionem vel modum,
3 & non liberat ab onere iustificandi. Et ideo stante † ista clausula, *Dummodo remaneant centum ducati liberi pro Rectore;* qui agit ad pensionem, debet iustificare, quod remaneant Rectori cētum ducati liberi; vt fuit resolutum *in Causa Lunen. Sarzanen. Pensionis 15. Februarij 1593. coram Reu. P.D. Seraphino,* & postea 26. *Martij eiusdem anni in Causa Salamātina Pensionis coram bon. mem. Gipsio,* & fuerat prius resolutum *in Causa Clusina Pensionis 9. Decembris 1573. coram Cardinali*
4 *Lancellotto.* Et consequenter, cum † ista clausula non sit iustificata, non debet procedi ad executionem.

Non obstat quòd cum in eadem supplicatione, vterque sit orator expressio valoris in ea contenta, inducit etiam confessionem Bartholomæo, & releuat
5 Dionysium ab onere iustificandi. Quia † expressio est facta per modum negatiuum, videlicet, quod illa Parochialis non excedit ducatos 250. Et ideo non concludit quod Rectori remaneant centum ducati; vt fuit resolutum *in dicta Causa Lunen. Sarzanen.*
6 Præsertim, cùm † valor debeat probari, deductis oneribus, vt fuit resolutum *in Causa Oppiden. Pensionis 3. Iunij 1585. coram R.P.D. Pamphilio.*

BARCHINONEN. BENEFICII.

Mercurij 28. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Exceptio Iurispatronatus facit interim, donec discutiatur, supersederi ab executione Breuis Apostolici.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiuæ antiquissimæ Iurispatronatus ex fundatione, & quasi possessio præsentandi, sufficiunt ad effectum, vt supersedeatur in executione Breuis Apostolici.*

DECISIO CCXXXVIII.

Domini dixerunt, esse supersedendum in executione Breuis, donec discutiatur exceptio iurispatronatus, & interim Philippum esse absoluendum cum reincidentia, arbitrio Dominorum.

Moti fuerunt: Quia concurrunt plures enuntiatiuæ antiquissimæ iurispatronatus ex fundatione, &
1 quasi possessio præsentandi. Et ista probatio † est satis sufficiens ad istum effectum, vt supersedeatur in executione Breuis, vt fuit resolutum *in alia Barchinonensi Beneficij Sancti Petri 23. Februarij præteriti coram R.P.D. meo Pamphilio.*

BONONIEN. DE SAVONANTIIS.

Lunæ 3. Iunij 1600.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Quando per cessionem non infertur præiudicium alicui, non est necessaria mentio litis, neque iuris alterius.*

DECISIO CCXXXIX.

Fuit resolutum, bona allodialia spectare ad Hieronymum. Fundamentum resolutionis fuit: quia Aut Bulla Sanctæ mem. Pij Quinti habet locum in istis bonis, & cessio suffragatur, quia de eius validitate dubitari non potest. Cùm enim cedantur solum
1 iura Cameræ, & sic † non infertur præiudicium alicui; non erat necessaria mentio litis, neque iuris alterius; vt per Oldrad. *in cons.* 299. *nu.* 3. & 4. Aut non est locus Bullæ; & bona spectant ad Hieronymum vigore donationis, quæ etiam fuit valida ab initio, vt bene deducunt informantes. Et ideo non potuit postea Franciscus de his bonis disponere in præiudicium donationis.

ROMANA DOMVS.

Lunæ 3. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

De remissione caducitatis.

SVMMARIVM.

1 *Deuolutioni non est locus, quando non est declarata caducitas.*
2 *Caducitas remittitur per receptionem pensionis.*

DECISIO CCXL.

Domini censuerunt, domum spectare ad Io. Ma-
1 riam: Quia non est † locus deuolutioni, cùm non

non fuerit declarata caducitas in vita Vrsolinæ: & citatio facta prima Martij 1585. non est sufficiens ad
2 istum effectum vltra quod † per receptionem pensionis caducitas fuit remissa.

Aliud vero fundamentum, quòd domus fuit subhastata pro debito filiorum Vrsolinæ, quibus erat debita Legitima, & Trebellianica, habet difficultatem in facto: quia non probatur concludenter, quòd istud sit debitum istorum filiorum.

VRGELLEN. SIVE NVLLIVS, IVRISDICTIONIS.

Veneris 17. Nouembris 1600.

ARGVMENTVM.

Clausula, *Sublata*, quando non præstet impedimentum.

SVMMARIVM.

1 *Clausula*, Sublata, *non obstat, quando non impugnatur Bulla, sed tantum ostenditur, quòd Bulla non habet locum in aliquo casu.*

DECISIO CCXLI.

Domini resoluerunt, clausulam, *Sublata*, non obstare Præposito, vt non possit audiri. Quia non impugnat Bullam suppressionis, in qua clausula est apposita; sed vult ostendere quòd Bulla non habet locum in hoc casu, cùm iuxta suam prætensionem illa Præpositura sit extra limites Diœcesis Vrgellēsis & Episcopo non subiecta: & ad istum effectum clausula sublata non impedit audientiam.

CREMONEN. PRÆPOSITVRÆ.

Lunæ 20. Nouembris 1600.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus non probatur, non iustificato adimplemento conditionum expressarum in Bulla eiusdem.

SVMMARIVM.

1 *Coniecturæ plures excludentes Iuspatronatus.*
2 *Quasi possessio, & obseruantia, non releuant ad effectum Iurispatronatus, nisi doceatur de adimplemento.*
3 *Obseruantia concurrente cum antiquitate temporis, flatur sententiæ Executoris; præsupposito tamen adimplemento.*

DECISIO CCXLII.

Fvit per Dominos resolutum, non constare de iure patronatus. Fundamentum resolutionis fuit: Quia non constat de adimplemento conditionum, quæ sunt expressæ in Bulla felic. record. Pauli Secundi, neque respectu dotis, neque respectu constructionis refectorij claustri, hortorum; & decentium domorum pro habitatione Præpositi, Canonicorum, & Beneficiatorū. Et sententia Executoris de anno 1471. in qua fit fundamentum, pro verificatione istarum conditionum, secundum Dominos probat contrarium. Quia ex ea apparet, quòd de eo tempore non fuerant adimpletæ istæ conditiones; cùm in sententia præscribatur Carolo tempus nouem annorum, ad faciendum construi Ecclesiam, & domos commodas, iuxta formam Bullæ, & ad supplendam dotem, si aliquid defuerit: & consequenter neque aderant domus, neque constabat Executori quòd fuisset data integrè dos promissa: & ideo opportet adimplementum iustificare aliunde; & post istam sententiam de eo non docetur, immo concurrunt plures coniecturæ
1 non adimplementi. Quia † de anno 1480. idem Carolus obtinuit gratiam à Sixto Quarto, vt succedente vacatione Præpositure, posset eam conferre: quæ gratia non erat necessaria, si fuissent adimpletæ conditiones, quia habuisset ius præsentandi ad Præposituram.

Secundò, in prouisione de anno 1583. fuit expressum quòd fructus Præpositure, non excedebant florenos 80. & tamen si dos fuisset integrè data fructus Præpositure, iuxta formam Bullæ debebant esse florenorum 100.

Tertiò, videbatur Dominis quod cessaret omnis difficultas. Quia nec etiam hodie iustificatur, quòd Ecclesia habeat dotem integram, & structuras in Bulla expressas.

2 Non obstant quasi possessio, & obseruantia. Quia nisi doceatur de adimplemento, ad istum effectum, non releuant; vt fuit resolutum *in Causis Paduana Iurispatronatus coram bon. mem. de Rubeis: Cassanen. Beneficij coram Bubalo & Rapolana Iurispatronatus coram Illustrissimo Cardinali Mantica.*

3 Non obstat, quòd † concurrente obseruantia, & antiquitate temporis, statur sententiæ Executoris, vt fuit resolutum *in Causa Bononien. Iurispatronatus coram bon. mem. Episcopo Oriolen.* Quia in eo casu præsupponebatur adimplementum: & hic ex ipsa sententia constat de non adimplemento, vt dictum fuit: & neque etiam hodie docetur de adimplemento. Vltra quod ille casus habet particulares rationes diuersitatis, vt benè deducunt informantes pro Basciano in responsionibus.

ROMANA DOTIS DE CINCIIS.

Veneris 24. Nouembris 1600.

Argumentum desumitur ex Decisione 229.

SVMMARIVM.

1 *Promissio restituendæ vel consignandæ dotis, in omnes & singulos casus, comprehendit quemcunque casum etiam extra vergentiam ad inopiam.*
2 *Contra dotis restitutionem non admittitur compensatio: neque retentio propter creditum, & num. 3.*

DECISIO CCXLIII.

Fvit resolutum, Reuerendissimum D. Episcopum teneri ad restitutionem dotis. Quia eius obliga-
1 tio in instrumento non est restricta, sed libera † in omnes, & singulos casus, & euentus dotis restituendæ, vel consignandæ, tam stante, quàm soluto matrimonio, & ex quauis alia causa. Et ideo propter prægnantiam verborum, Domini non dubitant, quin eius obligatio se extendat ad istum casum, in quo datur repetitio dotis extra casum inopiæ, vt deseruiat oneribus matrimonij Bart. *in leg. si constante, num. 61. ff. solut. matr.* & fuit resolutum in hac Causa.

Exceptiones autem dotium solutarum sororibus D. Hieronymi, & crediti ipsius Episcopi in longe maiori summa, non releuant ad illum effectum, impedien-

2 pediendi restitutionem: quia † non admittitur com-
pensatio; vt per Bart. *in dict. leg. si constante, num.* 88.
3 neque † retentio propter creditum, Sarnen. *decis.* 64.
lib. 1. Put. *decis.* 146. *lib.* 1. Anton. Augu. *dec.* 640. *lib.* 3.
Et tanto magis, quia istæ exceptiones non sunt liqui
dæ, & pendent à ratione redditionis administratio-
nis; & agitur de interesse patris, & filiæ, quibus Epi-
scopus non potuit præiudicare.

PARMEN. STATVS.

Lunæ 27. Nouembris 1600.

ARGVMENTVM.

De testibus reuocantibus primum dictum, & dein-
de in tortura illud confirmantibus, cum reuoca-
tione secundi.

SVMMARIVM.

1 *Testes reuocantes primum dictum, non repelluntur in to-
tum: sed super eorum depositione non potest fundari sen-
tentia.*
2 *Quando reuocatio est informis, & sine citatione partis, pri
mo dicto non adimitur fides in totum.*
3 *Multò magis, quando reuocatur secunda depositio cum in-
terrogatorijs, & confirmatur prima cum tortura.*
4 *Testes reuocantes secundum dictum, debent subijci tortu-
ræ.*
5 *Sententia condemnatoria falsi, lata contra testes, non præ-
iudicat Parti non citatæ.*
6 *In detegenda falsitate reuocationis, vel primæ depositio-
nis, attenduntur coniecturæ, & verisimilitudines.*
7 *Confirmatio primæ depositionis, cum tortura, reddit tur-
bidam reuocationem, & seruit pro adminiculo veritatis
primæ.*
8 *Sententia lata contra testes super crimine falsi, reddit illos
infames. Intellige vt num. 9. & 10.*

DECISIO CCXLIV.

DOmini pro maiori parte censuerunt, Ioannem
de Vsbertis, Bernardinum Montaninum, & Zo-
gninum Fasanum, non esse in totum repellendos, pro
ut fuit resolutum *in hac Causa 4. Iunij 1593.* coram
R.P.D. meo Seraphino.
Principale fundamentum resolutionis fuit decisio
alias facta coram bon. mem. Cesare de Grassis *in Cau
sa Vrbeuetana Spolij 15. Decembris 1574.* & alia deci-
sio *in Causa Firmana Altaris 30. Octobris huius anni, co-
ram R.P.D. meo Penia*: in quibus fuit firmatum, iuxta
1 receptam Doctorum opinionem, quod † testes, qui
reuocauerunt primum dictum, non repelluntur in
totum, licèt eorum fides sit ita debilitata, vt super
eorum depositione non possit fundari sententia.
Considerabant etiam Domini, quòd primum exa
men est solemne cum citatione Dominorum de Pal-
lauicinis; reuocatio vero est informis, & sine partis
2 citatione; & † ideo primo dicto, non adimitur fides
in totum; vt per Gabr. *concl.* 29. *num.* 9. *de malefic.*
Et tanto magis, quia non versamur in simplicibus
terminis quæstionis Doctorum, quando primum di-
3 ctum fuit reuocatum per secundum, quia † concurrit
reuocatio secundæ depositionis cum interrogatorijs
Dominorum de Pallauicinis, & confirmatio primæ
iterata, & cum tortura, Dec. *cons.* 188. *num.* 6. & *num.*
4 12. Et cum † in hoc casu dicant Doctores, quòd de-
ueniendum est ad torturam, vt per Aim. *cons.* 6. *num.*
60. & Clar. *in pract. crimin. quæst.* 53. *num.* 15. si testes,
qui in tortura perstiterunt in primo dicto, repelle-
rentur in totum, tortura esset inutilis, & sine effectu
operandi. Et licet ante istam reuocationem præce-
deret sententia condemnatoria falsi contra ipsos te-
5 stes de anno 1536. tamen † illa sententia non afficie-
bat Dominos de Rangonibus non citatos; vt fuit re-
solutum 4. *Aprilis præteriti.* Et ideo ad eorum instan-
tiam debebant isti testes de nouo examinari, & tor-
queri, prout factum fuit, ad effectum vt detegeretur
falsitas reuocationis, vel primæ depositionis. Et sal-
6 tim, cùm † in hac materia attendantur coniecturæ, &
verisimilitudines, Clar. *dict. quæst.* 53. *num.* 15. Purpur.
7 *consil.* 133. *num.* 29. videbatur Dominis, quòd ista †
confirmatio primæ depositionis cum tortura, reddit
turbidam reuocationem de anno 1536. & seruit pro
adminiculo veritatis primæ depositionis, ita vt testi-
bus non sit adimenda fides in totum: Præsertim, cùm
ante reuocationem isti testes fuerint detenti à Palla-
uicinis in Castro Varani, & modus reuocationis pri-
mi examinis præseferat aliqualem suspicionem.
8 Non obstat, quòd † sententia lata super crimine
falsi reddit testes infames, & quòd eis non est adhi-
benda fides, siue fuerint declarati infames ante exa-
men, siue postea. Quia Bald. & Abb. qui allegantur,
non tangunt istum articulum: & Paul. de Castr. *in leg.*
2. *num.* 10. *Cod. de fid. instrum.* expresse intelligit, quan
9 do † testis examinatur post sententiam condemna-
10 toriam, & respectu noui examinis: quia † examen an
te sententiam condemnatoriam est validum, licet mi
nor fides sit adhibenda depositioni testium Io: de
Anan. *in cap. fraternitatis num.* 6. & *ibi* Anchar. *num.* 2.
de hæret. Abb. *cons.* 16. *in fin. lib.* 2.
Non obstat, quòd Pallauicini fuerunt absoluti à
subornatione, & Rangonij condemnati in expensis.
Quia stant ista simul, quòd non fuerit probata subor
natio, & quòd prima depositio sit vera.
Reseruarunt autem Domini, vt particulariter vi-
deatur, an adsint aliæ contrarietates in dictis: & si
adsunt, an sint ita releuantes, vt istis testibus sit in to
tum adimenda fides.

ROMANA DEVOLVTIONIS DOMVS.

Veneris 1. Decembris 1600.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis Ecclesiæ concessa per se, suisque hære-
dibus, & successoribus in perpetuum, an compre
hendat extraneos.

SVMMARIVM.

1 *Validitas concessionis, præsumitur ex obseruantia contra-
ctus per spatium multi temporis.*
2 *Emphyteusis concessa pro se, suisque hæredibus, & succes-
soribus in perpetuum, est transitoria ad hæredes extra-
neos.*
3 *Titulus*, Vnde vir, & vxor, *non habet locum in Emphy-
teusi Ecclesiæ. Intellige, vt num.* 5.
4 *Maritus non succedit vxori in feudo, quando non est tran-
sitorium ad hæredes extraneos: Secus in feudo hæredita-
rio, & num.* 5.
6 *Declaratur textus* in leg. si quis presbyter, Cod. de
Episc. & cler.

7 *De-*

7 *Declaratur textus* in §. Emphyteusim, in authent. de non alien.

DECISIO CCXLV.

FVit resolutum, sententiam R. P. D. Victorij esse iu-
stam, & ideo confirmandam. Potissima ratio re-
1 solutionis fuit: Quia propter † obseruantiam contra-
ctus per spatium tanti temporis, non potest dubitari
de validitate concessionis ex defectu solemnitatum,
Put. *dec. 7. de præsumpt.* & fuit sæpe resolutum. Et ideò
2 cùm Emphyteosis fuerit concessa Marco Curtio, †
pro se suisque hæredibus, & successoribus in perpe-
tuum, est transitoria ad hæredes extraneos, Salic. *in
leg. 2. num. 30. in fin. Cod. de iure emphyt.* Paul. de Castr.
in authent. si quas ruinas, nu. 4. Cod. de Sacros. Eccles. Soc.
cons. 266. *num.* 36. *&* 37. *lib.* 2. Curt. Iun. *cons.* 4. *numer.*
23. *&* 24. Paris. *cons.* 84. *num.* 5. *&* 6. *lib.* 4. Rimin. *cons.*
388. *num.* 39. *&* 40. *lib.* 2. Crot. *cons.* 318. *num.* 5. *lib.* 3.
Couar. *var. resolut. lib. 2. cap.* 17. *num.* 5. Et istam opi-
nionem aliàs amplexa fuit Rota *in Causa Mediolanensi
Bonorum de Buffalara 7. Iunij 1585. coram bonæ memor.
Bubalo.*

Et videbatur Dominis cessare omnem difficulta-
tem ex obseruantia subsequuta. Quia ista domus de
anno 1552. de consensu Capituli deuenit in Nico-
laum Pontellum prorsus extraneum; qui illam posse-
dit in vita patiente Capitulo, & postea eam reliquit
Iuliæ suæ vxori, quæ etiam possedit vsq; ad obitum.
Ex illa enim obseruantia declaratur, quòd extranei
fuerunt compræhensi in inuestitura: quia Capitulum
non permisisset eos possidere per spatium tanti tem-
poris, neque recepisset canones, si extranei non fuis-
sent compræhensi.

Non obstat limitatio, quæ affertur per informan-
3 tes pro Capitulo, quòd † titulus, *Vnde vir, & vxor*, ex
quo Mutius vult succedere, non habet locum in em-
4 phyteusi Ecclesiastica: quia † simile de feudo, in quo
maritus non succedit vxori, iuxt. text. *in c.* 1. vbi not.
Doct. *an marit. succedit vxori*, facit in contrarium.
5 Quia † ille textus procedit quando feudum non est
transitorium ad hæredes extraneos, & non habet lo-
cum in feudo hæreditario, in quo maritus succedit
vxori, Dec. *in leg. si marito, numer.* 13. & *ibi* Curt. Iun.
num. 16. Cod. vnde vir, & vxor. Rip. *in leg. 2. num. 19. ff.
solut. matr.* Roland. à Valle, *de lucro dot. quæst. 54. num.*
19. Oliu. *tract. de success. ab intest. num. 105. vers. 8. limi-
tabis*; & Domini non vident rationem diuersi-
tatis, quare possit relinqui cuicunque extraneo, &
etiam feminæ, & non possint succedere vir, & vxor.
Et tanto magis, quia in hoc casu adest obseruantia
particularis respectu vxoris, cum Iulia vxor Nicolai
possederit hanc domum patiẽte Capitulo, vt dictum
fuit: & licet successerit ex testamento, tamen quan-
tum ad capacitatem nihil interest, an successerit, ex
testamento, vel ab intestato.

Non obstat text. *in leg. si quis præsbyter, Cod. de Epi-
scop. & Cler.* Quia ille text. probat contrarium eius,
6 ad quod allegatur: scilicet, quòd † vxor præfertur
Ecclesiæ, & ita etiam intelligit Matthesilan. *de succes.
ab intestat. in vltim. artic. num.* 6. quicquid ibi videatur
sensisse Bolognin. *in additione*, qui reliquit cogitan-
dum.

Non obstat text. *in dict. §. emphyteusim, in authent. de
7 non alienand.* Quia † non loquitur in emphyteusi tran-
sitoria ad hæredes extraneos; vt per Gozzad. *consil.*
39. *num.* 6. & Couar. *dict. cap.* 17. *num.* 6. *versic.* 5. *con-
clus.* Et ita etiam Domini intelligebant dictum Fran-
cisci Calderini, *de nomin. emph.* quia aliàs non posset
saluari.

ARETINA PLEBIS.

Lunæ 14. Decembris 1600.

ARGVMENTVM.

De vi clausulatum, *Dummodo remaneant centum pro Re-
ctore*; &, *Non aliàs, aliter, nec alio modo*. Actio spolij,
an competat resignanti Beneficium. Vide Deci-
sio 237.

SVMMARIVM.

1 *Resignatio si est conditionalis, conditione non adimpleta, censetur nulla ex defectu consensus: & tunc competit resignanti actio spolij.*
2 *Pensio quando non dicatur validè & irreuocabiliter acquisita.*
3 *Cessante iustificatione Gratiæ, cessat acquisitio valida, & & irreuocabilis, pensionis.*
4 *Pensio non est reducibilis, licèt reseruata cum clausula*, Dummodo remaneat centum pro Rectore, *quando est reseruata ex causa resignationis, & cum clausula*, Non aliàs, &c.
5 *Clausula*, Dummodo remaneant centum pro Rectore, *apponitur in supplicationibus, propter stilum notoriũ Datariæ non admittendi pensiones in resignatione Parochialium, sine ista præseruatiua.*
6 *Prædicta clausula non inducit consensum resignantis, in reseruatione minoris summæ, si Rectori non remaneant centum.*
7 *Nec tollit vim clausulæ*, Non aliàs, aliter, &c.
8 *Sed operatur solum vt pensio sit reseruata sub conditione, ad effectum vt remaneant centum Rectori.*
9 *Cessante conditione, cessat validitas pensionis in summa expressa.*
10 *Cessante validitate pensionis, cessat etiam resignatio.*
11 *Constitutio Gregoriana tollens resignanti actionem spolij, nisi doceat de publicatione, non habet locum in resignatione conditionali, & nulla ex defectu consensus.*
12 *Resignatio est nulla, quando in ea non fit mentio, quòd resignans fuit ordinatus ad titulum Beneficij resignati.*
13 *Expressio ordinationis ad titulum, requiritur pro forma, & non potest adimpleri per æquipollens.*

DECISIO CCXLVI.

PEtebat Dionysius Fontaninus coram me execu-
tionem Literarum reseruationis pensionis centũ
ducatorum sibi constitutæ ex causa resignationis
istius Parochialis, in fauorem Bartholomæi de Ru-
beis: Et quia ipso Bartholomæo opponente, fuerat
resolutum, quòd contra eum, qui non consenserat
impositioni pensionis, non poterat procedere exe-
cutiuè sine iustificatione literarum; & quòd clausula,
*Dummodo remaneant centum ducati liberi Rectori pro tem
pore existenti*, non erat iustificata; intentauit actionem
spolij; & probaris extremis, & titulo colorato, pete-
bat restitutionem ad possessionem Parochialis. Ideo
dubitaui, An ei esset danda restitutio in spolio? Et
Domini censuerunt ei competere actionem spolij.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia resignatio

† Dio-

1 † Dionysij, in qua fit potissimum fundamentum pro exclusione spolij, est conditionalis, reseruata sibi valida pensione centum ducatorum, *& non aliàs, aliter, nec alio modo*: & ideo si possessio non est ei validè, & irreuocabiliter acquisita, est etiam nulla resignatio ex defectu consensus, & competit actio spolij, Mohed. *dec.* 81. & fuit resolutum *in Causa Valentina Pensionis* 17. *Iunij* 1583. *&* 17. *Martij* 1586. *coram bon. memor. Episcopo Orolen*, & sæpius in alijs causis.

De hoc autem, quòd pensio non sit ei validè, & irreuocabiliter acquisita, videbatur Dominis satis

2 sufficienter constare † ex renitentia Bartholomæi in soluendo, & oppositione ipsius, quòd Literæ non sunt iustificatæ, & quòd debent iustificari: & ex confessione Dionysij, quod non potest eas iustificare; vt fuit resolutum coram me *in Causa Brixien. Pensionis* 6. *Martij* 1598. Et tanto magis, cùm fuerit resolutum

3 Litteras reseruationis non esse iustificatas: cessante † enim iustificatione gratiæ, cessat acquisitio valida, & irreuocabilis pensionis.

Non obstat, quòd ista pensio non est nulla in totum, propter clausulam, *dummodo remaneant centum ducati pro Rectore*; sed reducibilis. Quia cùm pensio sit reseruata ex causa resignationis, & cum clausula, *non aliàs, aliter, nec alio modo*, non est reducibilis: sed si est nulla in parte, est nulla in totum; vt fuit resolutum *in Causa Cesaraugustana Pensionis* 26. *Iunij* 1566. *coram Grato*, *in Causa Bononien. Translationis Pensionis* 23. *Ianuarij* 1579. *coram S. D. N. & in Causa Toletana Pensionis* 28. *Ianuarij* 1591. *coram bonæ memoriæ Gipsio*.

Non obstat quod ex ista clausula, *Dummodo Rectori remaneant centum ducati*, posita in eadem supplicatione colligitur consensus Dionysij, quòd voluerit pensionem centum ducatorum, dummodo Rectori remaneant alij centum; & sic non remanentibus centum ducatis Rectori, fuit contentus minori summa. quia ex verbis ipsiusmet supplicationis clarè constat quòd Dionysius voluit habere totam, & integram pensionem centum ducatorum; tum ex clausula, *reseruatis sibi validè infrascriptis, & non aliàs aliter nec alio modo*. Tum ex alia clausula posita in fine, in qua sibi reseruat regressum, accessum, & ingressum ad Ecclesiam, ipso Bartholomæo in toto vel in parte deficiente in solutione pensionis, aut illam ad minorem sum-

5 mam reduci petente. Et ista † clausula, *Dummodo remaneant centum ducati pro Rectore*, apponitur in supplicationibus propter notorium stilum Datariæ non admittendi reseruationes pensionum, in resignatione Parochialium sine ista præseruatiua, in executio-

6 nem Decreti Sacri Concilij Tridentini: & † non inducit consensum resignantis in reseruatione minoris summæ, si Rectori non remanent centum ducati: ne-

7 que † tollit vim, & efficatiam clausulæ, & non aliàs,

8 aliter, nec alio modo: sed solum † operatur, vt pensio sit reseruata sub cōditione seu modo, ad effectum

9 vt Rectori remaneant centum ducati: cessante † conditione, seu modo cessat validitas pensionis in summa expressa, & cessante validitate pensionis, corruit

10 † quoque resignatio ex quo valida non est reseruatio pensionis respectu totius summæ; & consequenter competit actio spolij. Et hoc casu pinguius satisfit menti Concilij: quia data restitutione in spolio, Rector habet omnes fructus Parochialis.

Non obstat quòd hodie, stante constitutione Gregoriana, non competit amplius resignanti actio spolij, nisi doceat de publicatione. Quia omissa hac inspectione, An per hanc Constitutionē fuerit sublata actio spolij, non docto de publicatione? fuit per Do-

11 minos responsum, quòd illa † constitutio non habet locum in hoc casu, cùm resignatio sit conditionalis, & nulla ex defectu consensus; vt fuit resolutum *in Causa Brixien. Parochialis* 10. *Maij* 1589. *coram Illustrissimo Cardinali Plata, & in Causa Vercellen. Canonicatus* 23. *Iunij* 1598. *coram R. P. D. Corduba*: & nouissime *in Causa Hispalensi, & Corduba Præstimoniorum coram R. P. D. Lancellotto*.

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quod

12 † resignatio fuit nulla, quia in ea non fuit facta mentio quod Dionysius fuit ordinatus ad titulum istius Parochialis, iuxta dispositionem Concilij Tridenti-

13 ni, *cap.* 2. *sess.* 21. Et hanc † expressionem Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium, illius interpretum censuit requiri pro forma, & non sufficere adimplementum per æquipollens: & ideo expressio, quòd sibi remanebat vnde viueret, non est sufficiens: quia ex hoc non infertur adscientiam Papę, quod Dionysius esset ordinatus, ad titulum istius Parochialis.

VALLISOLETANA DECANATVS.

Luna 11. *Decembris* 1600.

ARGVMENTVM.

Gratia erectionis Decanatus, in primam Dignitatem post Pontificalem, statim ac Prioratum vacare contingat per cessum vel decessum Prioris, vel Coadiutoris; An sit gratia puta, & cadat sub regula reseruatoria? Item, an sit effectuata per solum obitum Prioris, non expectato obitu Coadiutoris? Alternatiua quando resoluatur, vel non, in coniunctiuam.

SVMMARIVM.

1 *Gratia erectionis, &c. ante adimplementum, & effectuationem, non cadit sub Regula reseruatoria.*

2 *Clausula*, Ex nunc, prout ex tunc, *non operatur ante adimplementum.*

3 *Clausula prædicta, secuto adimplemento, retrotrahitur ad diem Datæ. Ad effectum tamen reddendi nullam collationem præcedentem, & in præiudicium iuris medio tempore alteri quæsiti, & num.* 4.

5 *Quando Papa reseruat, vinculum reseruationis statim inycitur, & ideo est attendendum tempus reseruationis, & non vacationis: Intellige, vt num.* 6.

7 *Declarātur Decisiones Rotæ*, 10. de præb. in nou. *&* 20. *Bisiguett*, eod. tit.

8 *Reseruatio superueniens non annullat collationem Ordinarij legitimè factam.*

9 *An alternatiua resoluatur in coniunctiuā, inspicitur ex cōiecturis, & ex mente, & intentione disponentis.*

10 *Coadiutoria cum futura successione, per obitum Coadiutoris sortitur effectum, absque noua collatione.*

11 *Erectiones in Dignitatem solent concedi sine præiudicio habentium ius in Beneficio.*

12 *Si in narratiua verba sint concepta copulatiuè, & in dispositiua alternatiuè, tunc alternatiua resoluitur in copulatiuam.*

13 *Al-*

13 *Alternatiua resoluitur in copulatiuam, quando ponitur inter personas in præseruatiua ad eorum fauorem: & quando dispositio non potest habere locum in quolibet ex casibus alternatis.*

14 *Quando alternatiua non potest verificari nisi in vna parte; pars, in qua non possit verificari, habetur pro non adiecta.*

15 *Alternatiua non resoluitur in coniunctiuā, quando est posita inter plures electos ad aliquod munus, ad quod non potest eligi nisi vnus.*

16 *Appositio manus Papæ ad certum effectum, & in certum tempus, non inducit effectuationem ante secutum adimplementum.*

17 *Destinatio non operatur effectum contra intentionem destinantis, & ante secutum adimplementum.*

DECISIO CCXLVII.

IN erectione Ecclesiæ Collegiatæ Vallisoletanæ in Cathedralem, Decanatus eiusdem Ecclesiæ, fuit erectus in maiorem Dignitatem post pontificalem, ex nunc prout ex tunc, & e contra, cùm primum Prioratus ipsius Ecclesiæ, per cessum vel decessum, aut quamlibet aliam amissionem, vel dimissionem Prioris, vel illius Coadiutoris vacare contigerit. Mortuo Priore, & superuiuente illius Coadiutore, successit vacatio Decanatus, & de illo fuit prouisus ab Ordinario Ioannes Delgado. *Didacus del Castillo*, Doctor Salmaticensis, petebat prouisionem illius Decanatus à S. D. Nostro, cum declaratione, quòd intentio Santitatis suæ fuerat in ista erectione, vt succedente vacatione per obitum Prioris, Decanatus comprehenderetur sub regula reseruatoria dignitatum maiorum post Pontificalē, etiam quod Coadiutor superstes existeret; & ideo collationes alijs factæ erant nullæ, & inualidæ, cum derogatione regulæ, de non tollendo iure quæsito. Et quia supplicatio fuerat à Reuerendissimo D. Datario remissa R. P. D. Pamphilio, & mihi, vt videremus, An Decanatus esset reseruatus, vel affectus ante obitum Coadiutoris, ita vt eius collatio spectet ad S. D. N. & Ordinarius non potuerit prouidere: placuit nobis, pro maiori quiete & satisfactione partium, consulere etiam reliquos Dominos. Et Dubio hac die per me in Rota proposito, deducta per informantes fuerunt distincta in tres difficultates principales.

Prima difficultas fuit, An ista erectio Decanatus, in primam dignitatem, sit gratia pura, ita vt statim ceciderit sub regula tertia reseruatoria.

Secunda difficultas fuit, præsupposito quòd gratia fuerit perfecta ab initio, sed effectus fuerit dilatus in tempus vacationis Prioratus, an sit effectuata per solum obitum Prioris, vel debeat etiam expectari obitus Coadiutoris.

Tertia, & vltima difficultas fuit, An per appositionem manus Papæ in erectione huius Decanatus, in primam dignitatem, ita remanserit affectus, quòd non potuerit conferri ab Ordinario ante obitum Coadiutoris.

Quo ad primam difficultatem, fuit resolutum, quòd gratia fuit perfecta ab initio; sed eius effectus, & executio fuit dilata in tempus post quam Prioratus per cessum vel decessum Prioris, vel Coadiutoris vacauerit; vt in terminis similium gratiarum fuit sæ-
1 pius in Rota resolutum; & consequenter ante † adimplementum, & effectuationem Decanatus remanet in suo statu, & non est adhuc prima dignitas: & ideo non cadit sub regula tertia reseruatoria, Paris. *cons. 82. col. 1. lib. 4.* & ita fuit resolutum *in Causa Mediolanen. Præpositura 16. Martij 1590. coram bon. memor. Bubalo*: Fuerat enim in illo casu suppressa Præpositura quoad duos Canonicatus nō vacantes, ex nunc prout ex tunc, cùm primum illos vacare contigerit: & Rota resoluit quòd ista suppressio Præposituræ, respectu istorum Canonicatuum, erat dilata in diem vacationis, & ante illorum vacationem Præpositura
2 remanebat reseruata in suo antiquo statu: quia † clausula, *ex nunc prout ex tunc* non operatur ante adimplementum, Cardin. Imol. Vital. & alij *in clement. vnica de concess. præbend.* Cassād. *decis. 3. num. 15. de*
3 *præbend.* Et licet † secuto adimplemento, ista clausu-
4 la retrotrahatur ad diem datæ, Cresc. *dec. 260.* hoc † tamen non procedit ad effectum, reddendi nullam collationem præcedentem, & in præiudicium iuris alteri quæsiti medio tempore, Put. *decis. 190. lib. 2.* Cotta *dec. 19.*

5 Non obstat quòd † quando Papa reseruat, vinculum reseruationis statim inijcitur, & ideo tempus reseruationis, & non vacationis est attendendum, Rot. *decis. 10. de præbend. in nou.* Bisign. *dec. 20. eod. tit.*
6 Quia hic Papa non reseruat; sed † reseruatio oritur ex eo, quòd Decanatus efficitur prima dignitas; & sic attendendum est tempus, quo fit locus erectioni:
7 quia illud est tempus reseruationis. Præterea, istæ † Decisiones loquuntur in pura, & simplici reseruatione beneficij: & in hoc etiam casu procedit quòd dicunt Mod. *super dict. regula tertia*, & ideo non applicantur in dispositione, cuius effectus sit collatus in diem vacationis.

Non obstat, quòd si collatio esset valida, potest sequi absurdum, quod succedente obitu Coadiutoris, & sic inducta reseruatione, substinebitur collatio
8 ab eo facta de dignitate reseruata. Quæ reseruatio † superueniens non annullat collationem Ordinarij legitimè factam: attenditur enim ad istum effectum tempus collationis. Et hinc est quòd sufficit quasi possessio tempore collationis ad effectum excludendi reseruationem, Cald. *consil. 23. de præbend.* Mohed. *dec. 179.* Put. *dec. 206. lib. 1.* Thom. de Zan. *dec. 3.*

Non obstat; quòd interim Ecclesia Cathedralis, remanebit sine prima dignitate: Quia Prioratus remanet prima dignitas, donec erectio Decanatus sortiatur suum effectum; vt fuit resolutum *in dict. Causa Mediolanen. Præpositura.*

Quantum ad secundam difficultatem, fuimus omnes concordes, quòd ad effectum vt Decanatus sit reseruatus vti prima dignitas, debet expectari obitus vtriusque, tam coadiuti, quàm coadiutoris: Et consequenter hodie, superstite Coadiutore, non est locus reseruationi. Licet enim verba erectionis sint alternatiuè concepta, ad cuius alternatiuæ exclusionem sufficit adimplementum in altera parte. Tamen in hoc casu ista alternatiua resoluitur in coniunctiua ita vt requiratur copulatiuè vacatio, ex persona, v-
9 triusque; quia ista † materia potissimum pendet, ex coniecturis, & ex mente, & intentione disponentis. *Leg. Lucius, ff. de hered. instit. leg. generaliter, Cod. de instit. & substit.* Et eadem ratio, quæ mouit Papam ad præseruandum præiudicium coadiuti, militat etiam in

Coadiutore, qui ab initio per gratiam Coadiutoriæ
cum futura successione acquirit ius valdè considera-
10 bile, cum † absque noua collatione per obitum coa-
diuti gratia sortiatur suum effectuum; vt per Samen.
*quæst. 25. super reg. de non impetr. benefic. vacant. per obi
tum famil. Card.* Et ideo multum verisimile est, quòd
fuerit etiam præseruatum præiudicium Coadiutoris.

Et hoc maximè dicendum est, attenta qualitate
11 gratiæ; cum † huiusmodi erectiones soleant concedi
sine præiudicio habentiū ius in beneficio; iuxta Ex-
trauag. *ad Apostolatus de concess. præbend.* Et tanto ma
gis, quia si non fuisset præseruatum præiudicium
Coadiutoris, & non requireretur vacatio ex persona
vtriusq; ista expressio de persona Coadiutoris fuisset
superflua, & sine effectu operandi.

12 Concurrit etiam alia satis vrgens coniectura eius-
dem mentis; cum in litteris reseruationis pensionis,
eodem tempore impositæ super Decanatu, contineа-
tur narratiua istius erectionis, in qua verba sunt con
cepta copulatiuè, *Post obitum Prioris, & eius Coadiu-
toris*: & sic loco alternatiuæ ponitur copula.

Præterea, si vera est Fides, quæ datur, hoc ipsum
declarat obseruantia subsequuta: Quia post obitum
Prioris anno 1597. Coadiutor tenuit locum primæ
dignitatis, tam in Choro quam in Capitulo, & in
omnibus actionibus, etiam præsente Ioanne della
Torre Decano, qui semper remansit in suo loco infe-
riore: Et ex his coniecturis visa est res satis clara,
quod alternatiua resoluatur in coniunctiuam, ita vt
Decanatus in effectu non sit prima dignitas, nec com
prahendatur sub regula reseruatoria ante cessum,
vel decessum, aut amissionem, vel dimissionem Coa-
diutoris.

Placuerunt etiam aliæ limitationes, quæ afferun-
13 tur per informantes, quòd † alternatiua resoluitur
in coniunctiuam, quando ponitur inter personas, in
præseruatiua ad eorum fauorem; & quando dispo-
sitio non potest habere locum, in quolibet ex casi-
bus alternatis *leg. si is, qui ducenta, §. vtrum, ff. de reb.
dubijs*, Socc. *cons.* 52. *num.* 1. *vol.* 1. Et non est dubium,
quòd si decessisset priùs Coadiutor, non fuisset fa-
ctus locus erectioni in primam dignitatem; quia præ-
iudicium Prioris fuit expressè præseruatum: Et ideo
cùm alternatiua non possit verificari in qualibet par-
te, resoluitur in coniunctiuam; & est necessaria vaca-
tio ex persona vtriusque.

14 Non obstat quòd † quando alternatiua, non po-
test verificari nisi in vna parte, tunc illa pars, in qua
non potest verificari, habetur pro non adiecta, *leg.
qui decem, §. Stichum, aut Pamphilum, ff. de solut.* Ias.
in leg. cum quidam in 4. limitat. Cod. de verbor. significat.
Quia ista limitatio non applicatur, cùm vtraq; pars
possit verificari in prima vtriusque.

15 Non obstat quòd † alternatiua posita inter perso-
nas electas ad aliquod officium, ad quod non potest
eligi nisi vnus, non resoluitur in coniunctiuam; vt per
Ias. *in dict. leg. cum quidam, in 5. limit.* Quia neque illa
limitatio applicatur, cùm hic non agatur de electio-
ne personarum ad aliquod officium; sed de præser-
uatiua iuris iam quæsiti duabus personis.

Quantum ad tertiam, & vltimam difficultatem,
fuit conclusum, quòd cum effectus erectionis in pri-
mam dignitatem, fuerit dilatus post obitum vtrius-
que, & interim Decanatus non sit prima dignitas, vt
16 dictum fuit; manus † appositio limitata ad certum
effectum, & in certum tempus, non inducit effectua-
tionem ante secutum adimplementum, Gemin. *cons.*
136. & fuit resolutum *in Causa Tuden. Beneficij de Ta-
bagor 13. Ianuarij 1578. coram Illustrissimo Cardinali
Blanchetto*.

17 Non obstat quod dicitur de destinatione. Quia †
destinatio non operatur effectum contra intentio-
nem destinantis, & ante secutum adimplementum,
Felin. *in cap. cum adeo, num. 4. de rescrip.*

Et ex his fuit conclusum, Decanatum non esse re-
seruatum, neque affectum; & ideo gratiam, quæ pe-
titur, esse præiudicialem, non solùm Ioanni Delgado,
si eius prouisio declaretur nulla cum derogatione re-
gulæ, sed etiam respectu præeminentiæ primæ Di-
gnitatis.

BONONIEN. BONORVM DE SAVONANTIIS,

Veneris 15. Decembris 1600.

ARGVMENTVM.

De purgatione moræ in contractu resoluto ob non
adimplementum in tempore.

SVMMARIVM.

1 *Mora non purgatur, quando contractus resoluitur ob non
adimplementum in tempore.*
2 *Prouisio legis non excluditur per prouisionem particula-
rem.*
3 *Ratificatio non est necessaria, quando adest mandatum ad
concordandum.*
Limita vt num. 4.
5 *Purgationi moræ non est locus, quando res, quæ tradi de-
bebat, non fuit tradita, neque est in statu, vt tradi possit.*
6 *Aequitas, ad effectum purgationis moræ, non habet lo-
cum, quando contrahens recusat stare contractui, & di-
sputat negocium principale.*

DECISIO CCXLVIII.

FVit resolutum, transactionem non obstare Hiero-
nymo. Ratio resolutioni fuit: Quia ratificatio
Alberti non fuit secuta intra 30. dies; & clausula, ad-
impletis sibi supradictis, & non aliàs, aliter, nec alio
modo, refertur etiam, secundum Dominos, ad istam
promissionem ratificationis præcedentem. Et ideo
1 † stante resolutione contractus propter non adimple
mentum in tempore, cessat purgatio moræ, Put. *decis.*
66. *lib. 3. & dec. 11. de transact.* & fuit resolutum coram
me *in Causa Romana hæreditatis 24. Nouembris* 1595.

Non obstat quod ista promissio ratificationis ha-
bet particularem prouisionem, quòd in euentum
non ratificationis procurator noluit teneri de suo.
2 Quia † ex hoc non excluditur prouisio legis. Alex.
cons. 132. num. 2. lib. 4. Et cessat omnis difficultas: quia
in hoc casu concurrit etiam prouisio hominis, cùm
pactum resolutiuum referatur ad promissionem ra-
tificationis, vt dictum fuit.

3 Non obstat quòd † ratificatio non erat necessa-
ria propter mandatum datum ab Alberto, ad con-
cordandum, iuxta *dec.* Cresc. 189. Quia non applican
4 tur in hoc casu, in quo exhibitum fuit mandatum,
& Hieronymus noluit illi confidere, sed sibi proui-
dit quòd deberet ratificare infra 30. dies cum pacto
resolutiuo.

Pla-

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quòd
5 non sit amplius locus purgationi moræ. Quia non † fuit traditum prædium, & hodie non est in statu vt tradi possit; & saltim est effectum deterius ius Hieronymi propter litem motam ab Hospitali super eius deuolutione, & sententiam latam ad eius fauorem.

Et videbatur Dominis quod cessaret omnis æqui-
6 tas, in qua † est fundata purgatio moræ, cum Albertus recusauerit stare transactioni, & disputauerit negotiū principale; & nunc postquam in eo succubuit, vult moram purgare, acceptando transactionem, quam impugnauit.

MONTIS FALISCI DOTIS.

Veneris 19. Ianuarij 1601.

ARGVMENTVM.

Legatum dotis an censeatur extinctum per promissionem eiusdem quantitatis, factam ab ipsomet legante.

SVMMARIVM.

1 *Legatum dotis extinguitur per promissionem eiusdem quantitatis factam postea à legante ex eadem causa dotis. Et vti æs alienum soluendum est ab hærede ex bonis hereditarijs, & num. 3.*

2 *Legato extinctō, cessat qualitas eidem legato annexa.*

4 *Ex solutione partis dotis non dicitur mutata voluntas, nec alteratum legatum, respectu partis non solutæ.*

Intellige vt num. 5.

6 *Legatum dotis, extinctum per promissionem eiusdem quātitatis, non potest reuiuiscere ex eo, quòd legans non mutauit testamentum.*

7 *Secus, si dos legata, non fuit soluta, vel promissa à testatore.*

8 *Adimplementum in parte non extinguit legatum.*

Intellige, vt num. 9.

10 *Obligatio in aditione hæreditatis intelligitur iuxta formā testamenti.*

DECISIO CCXLIX.

Fvit resolutum, residuum dotis soluendum esse ab hærede ex bonis hæreditarijs. Fundamentum resolutionis fuit: Quia legatum dotis factum Pamphiliæ, quod debebat solui à Catharina vsufructuaria
1 ex fructibus hæreditatis, fuit † extinctum per promissionem eiusdem quantitatis postea factam ex eadem causa dotis ab eodem patre legante, *leg. filiæ legatorum*, & *ibi* Bart. Bald. & Salic. *Cod. de legat. leg. vxorem, §. testamento*, & *ibi* glos. *in versic. dedit*, Alberic. & alij, *ff. de leg. 3.* Corn. *consil. 230. num. 2. lib. 4.* Socc. Iun.
2 *consil. 79. numer. 18. lib. 3.* Et, extincto † legato cessat, etiam qualitas legato annexa, quòd solutio fiat, ex fructibus, *dict. §. testamento*, & *ibi* Alberic. *in princ.* &
3 consequenter † istud residuum dotis vti æs alienum testatoris est soluendum ab hærede ex bonis hæreditarijs, iuxta *consil.* Dec. 590. *num. 4.* Et hoc maximè dicendum est in hoc casu: Quia Testator postea superuixit per spatium nouem annorum, & percepit fructus hæreditatis, qui ad istum effectum conseruari debebat: Et hæreditas non est adeo opulenta, vt fructus sint sufficientes ad solutionem istius summæ, in tempore præstituto: & ideo est multum verisimile, quòd non intellexerit grauare vsufructuariam, quæ ex fructibus hæreditatis non poterat satisfacere eius promissioni; sed hæredem.

4 Non obstat, quòd solum † fuit soluta pars dotis: & ideo respectu partis non solutæ non dicitur mutata voluntas, nec alteratum legatum, *leg. cum vsufructus, ff. de vsufruct. legat. leg. Lutius, ff. de leg. 2.* Quia sufficit
5 † ad istum effectum solutio partis, quando tota quātitas fuit promissa, Imol. & Alexandr. *sub num. 5. in leg. huiusmodi, §. cum pater, ff. de leg. 1.* Ruin. *consil. 223. num. 4. lib. 1.*

Non obstat, quòd testator superuixit post istam promissionem, & non mutauit testamentum. Quia cùm legatum fuerit extinctum per promissionem eiusdem quantitatis factam ex eadem causa dotis, & ab
6 eadem persona, vt supradictum fuit, non † potest reuiuiscere ex eo, quòd testator non mutauit testamen-
7 tum: quicquid dicendum sit, quando † dos non fuit soluta, vel promissa à testatore: in quo casu cessat dispositio *legis filiæ legatorum*; vt per Soecin. Iun. *in dict. consil. 79. num. 112. lib. 3.* Et in his terminis procedunt auctoritates Doctorum, qui allegantur in contrarium.

8 Non obstat quòd † adimplementum in parte non extinguit legatum; vt per Couar. *in cap. officij, numer. 10. de testam.* & fuit latè deductum *in Causa Romana fideicommissi de Mattinis 5. Iulij 1599. coram Reu. P. D. Iusto.* Quia illa est alia quæstio, quando datur, vel promittitur solum pars dotis legatæ: & ideo non
9 applicatur, cùm † in hoc casu tota quantitas legata fit promissa, Alexand. *in dict. §. cum pater sub numer. 5.* Ruin. *dict. consil. 223. num. 4.*

Non obstat obligatio Catherinæ in aditione hæ-
10 reditatis. Quia † intelligitur iuxta formam testamenti, & respectu aliarum filiarum nonnuptarum.

ROMANA IVRISPATRONATVS.

Veneris 10. Nouemb. 1600. & Lunæ 29. Ianuarij 1601.

ARGVMENTVM.

Præsentatio an reddatur simoniaca per pactum celebrandi tot Missas, in eadem præsentatione appositum.

SVMMARIVM.

1 *Institutus in Beneficio, est illius defensor immediatus.*

2 *Conditiones, quæ insunt de Iure, non inducunt simoniam.*

3 *Declaratur textus* in cap. significatum, de præbend. *super pacto celebrationis Missarum, apposito in præsentatione, & num. 5. & 7.*

4 *Pactum celebrandi Missas, si est appositum in præsentatione ante collationem, & non in ipso actu collationis, non inducit simoniam.*

6 *Onus celebrationis Missarum est quid spirituale, & nullum affert commodum temporale patrono præsentanti, & ideo non est simoniacum.*

DECISIO CCL.

Dvbitaui, An præsentatio Iulij ad fauorem Alexandri sit simoniaca? Deducebatur autem simonia ex pacto in præsetatione Iulij apposito, quòd Alexander teneatur celebrare, & celebrari facere in hac Capella Missas decem quolibet Mense pro salute, & remedio animarum suorum antecessorum, & dictę Capellę fundatorum; & quod teneatur pro eius

posse tueri iura dictæ Capellæ, & quæcumque bona
ad illa pertinentia recuperare; scripturasq; in vnum
congerere, ad hoc vt posteri possint de illis notitiam
habere: Et causa proposita, Domini quantû ad onus
impositum Alexandro defendendi iura Capellæ, &
recuperandi bona, & congerẽdi in vnum scripturas,
resoluerunt ex eo non induci simoniam. Quia defen-
sio iurium Capellæ, & recuperatio bonorum, & con-
seruatio scripturarum extantium, spectat ad institu-
1 tum in Beneficio; qui † est illius defensor immedia-
tus; vt per Lambert. *de iure patron. lib. 3. 2. quæst. princ.*
2 *num. 2.* Et † conditiones, quæ de iure insunt, non in-
ducunt simoniam, vt per Doct. *in cap. significasti, & ibi*
Ægid. *num. 2. de elect.* Dec. *cons.* 118. Caputaq. *dec.* 241.
lib. 3. Quo verò ad onus celebrationis Missarum, li-
cèt Domini idem sentirent; tamen, quia materia est
difficilis, & exemplaris, & adest varietas opinionum
inter Doctores, voluit iterum super hoc particulari-
ter dubitare. Et difficultas istius articuli potissimùm
pendet ab intellectu *capit. significatum de præbend.* in
qua refertur similis facti species, & *ibi* glossa affert
duos intellectus.

Primus intellectus est, quòd istud onus celebra-
3 tionis Missarum fuerat appositum ante collationem,
& non in ipso actu collationis: & ideo collatio in spe
4 tie illius textus non est simoniaca. Et istum intelle-
lectum sequuntur *ibi* Collect. & Card. *sub num. 2.* Abb.
sub num. 7. Imol. *sub numer. 9.* & Decius testatur esse
magis communem *sub num. 20.* Et istum intellectum
videtur aliàs Rotã fuisse amplexã, vt per Caputaqu.
in dict. decis. 241. & vt dicit glos. *in dict. ca. significatum,*
iste intellectus est de indubitabilis.

Alius intellectus est, quòd istud onus ex conuen-
tione fuerat impositum in actu collationis: sed vti
quid spirituale non inducit simoniam. Et istum in-
tellectum sequuntur glos. *in cap. 1. in vers. spiritualia,*
1. quæst. 1. & in dict. cap. significatum, Abb. antiquus *nu.*
2. Host. *post princip.* Ioan. Andr. *colum. 2. vers. in glos. 1.*
Anchar. *num. 1. & sub num. 5.* Ant. de Butr. *sub nu. 10.*
Benedict. Capra *in lect. manuscrip.* Dec. *num. 20.* & alij,
quos refert Ægid. *in dict. cap. significatum sub num. 2.*
& sub num. 5. de elect. licèt ipse videatur dubitare.

Et iste intellectus magis placuit Dominis: quia
primus intellectus non congruit literæ illius text. vt
in spetie ponderant, Imol. Capr. & Dec. cum repu-
gnent illa verba, *Præbendam de dictis, ita quod Missam*
debeat quotidie celebrare; quæ ostendunt fuisse initam
conuentionem in ipso actu collationis; & aliter in-
telligendo text. esset de indubitabili, vt dicit glos. &
non fuisset opus consulere Papam. Et licet in eo tex-
tu non approbetur pactum, vti licitum, & fuerit ad-
hibita confirmatio Papæ; tamen Doctores non fa-
ciunt vim in confirmatione Papæ, & disputant in ter-
minis illius textus, circumscripta confirmatione Pa-
pæ, An collatio sit valida vel simoniaca: Et in ista
varietate opinionum videbatur Dominis magis re-
cepta opinio negatiua, quicquid in contrarium di-
cat Dec. Præsertim, si demantur auctoritates eorum
qui sequuntur primum intellectum, sed non exclusi-
uè ad secundum. Et placebant rationes illius opinio-
nis, quòd in hoc casu præsentatio non sit simoniaca;
6 Quia † istud onus celebrationis Missarum est quid
spirituale, & nullum affert temporale commodum
patrono, neque ad æstimationem pecuniarum redi-
gi potest ad eius vtilitatem, cum aliàs non esset obli-
gatus istas Missas celebrare facere; neque contingit
aliquid extrinsecum nihil conferens ad beneficium,
in quibus casibus procedunt, *dec.* Caputaqu. & aliæ
auctoritates, & exempla, quæ in contrarium dedu-
cuntur per informantes. Et placuerunt etiam respon-
siones, quæ afferuntur per Dec. *in dict. cap. significatum*
num. 20. & 21.

7 Vnus etiam ex Dominis considerabat, quod in
specie *capit. significatum*, videtur potius fuisse dedu-
ctum in controuersiam pactum, de celebrando Mis-
sam singulis diebus, quàm ipsa conuentio de cele-
brando: neque videtur verisimile, quòd si sola con-
uentio de celebrando Missam, fuisset habita pro si-
moniaca, Papa eam confirmasset, permittendo quòd
institutus retineret Beneficium per simoniam acqui-
situm: & ideo ex hoc inferebatur non posse fieri fun-
damentum, quòd fuerit adhibita confirmatio Papæ
in specie illius textus, eo quia conuentio erat simo-
niaca.

Non obstat, quòd Iulius ex testamento Lucretiæ
erat obligatus facere celebrare decem Missas, & ideo
per istud pactum releuatur ab illo onere. Quia istud
onus ex testamento Lucretiæ est impositum fratri-
bus Sancti Bartholomæi, quibus fuit legatus census
scutorum 16. ad istum effectum, vt faciant celebrare
decem Missas; & consequenter ex isto pacto Iulius
non consequitur releuationem, neque aliquod com-
modum.

ROMANA SOCIETATVM.

Lunæ 29. Ianuarij 1601.

ARGVMENTVM.

Societates officiorum initæ cum eadem persona su-
per eodem officio, sustinentur vsque ad valorem
officij, & non vltra. Et, An in casu excessus offi-
cij sustineantur in vim alterius contractus.

SVMMARIVM.

1 *Societas officij sustinentur vsque ad valorem eiusdem offi-*
cij, & non vltra, ex Constitutione Pij Quarti.
2 *Constitutio Pontificia censetur verisimiliter publicata,*
quando reperitur registrata in Secretaria Apostolica,
impressa ab Impressoribus Cameralibus, & publicè ven
dita; & obseruata sine contradictione in decisione Cau-
sarum.
3 *Societates Officij non possunt sustineri in excessu.*
4 *Forma contractus Societatis Officij.*
5 *Societas non potest subsistere sine subiecto; hoc est, Officio,*
& communicatione fructuum.
6 *In societate Officij computatur periculum Officialis cum*
periculo dantis pecunias, & num. 17.
7 *Officia sunt de regalibus; & ideo non possunt pignorari,*
vel obligari.
8 *Per contractum Societatis, Officium non alienatur, sed*
socius admittitur solùm ad participationem fructuum.
9 *Titulus Officij non potest alienari sine consensu Papæ.*
Intellige, vt numero 10.
11 *Eadem res, & fructus illius, vendi possunt pluribus per-*
sonis. Et ratio num. 12.
13 *Eo ipso, quod quis est admissus in socium Officij, officium*
est ei communicatum, & non est amplius communica-
bile.

14 So-

14 *Societas vltra valorem officij sustineri nequit in vim Censu vitality.*

15 *In Censu vitalitio pecunia repeti non potest; Et sustinetur solum propter incertitudinem vitæ.*

16 *Officium quando est grauatum in totum, nihil remanet Officiali periculo expositum, pro cuius assecuratione aliquid præstari possit.*

18 *Societas officij, cessante periculo, sustineri nequit in vim contractus sponsionis.*

19 *Sponsionis iustitia est fundata super periculo.*

20 *Declarãtur Sotus* de iust, & iur. lib. 6. quæst. 6. artic. 2. col. penult. *&* *Nauarrus* cons. 59. num. 3. de vsur.

21 *Contractus Societatis Officij sustinetur ratione periculi: Et, cessante periculo, remanet purum mutuum, & non debentur fructus, & num. 22.*

23 *Societas contrahi potest etiam super re aliena, in præiudicium contrahentis.*

24 *Officia non possunt subhastari, nisi cum magna difficultate.*

25 *Contractus societatis officij sine officio, est vsurarius.*

26 *Consuetudo ineundi societates vltra valorem officij, non probatur obtenta in contradictorio iudicio: immò constat de contrario.*

27 *Consuetudo non inducitur ex sententijs difformibus.*

28 *Consuetudo, etiamsi obtenta esset in contradictorio iudicio, non suffragatur in materia vsuræ.*

DECISIO CCLI.

HOnorius Trincius super suo officio Militis Pij
valoris scutorum 500. acceperat à Lelio Barisciano
diuersis temporibus plures pecuniarum summas
longe excedentes valorem officij. Dubitaui, An
iste societates officij fuerint validæ in totum, vel solum
vsque ad valorem officij? Et domini fuerunt cõcordes,
quòd societates officij initæ cum eadem persona
super eodem officio substineantur solum vsque
ad valorem officij, & non vltra.

Mouebantur primo propter constitutiones felic.
record. Pauli Quarti, & Pij Quarti. In constitutione
enim Pauli Quarti prohibentur contrahi societates
officij vltra medietatem valoris officij, & requiritur
supplicatio signata manu Papæ. Constitutio vero Pij
Quarti continet moderationem illius constitutionis
1 & permittit vt † in futurum contrahi possint societates
sine supplicatione vsque ad valorem officij, &
non vltra. Et quamuis non inueniatur publicatio
constitutionis Pij Quarti, tamen dicebant Domini,
quòd aut ista Constitutio fuit publicata; & societates
vltra valorem non substinentur: aut non fuit publicata;
& multo minus substinentur: quia si ista constitutio
non habuit effectum, remanet constitutio
Pauli Quarti prohibentis contrahi societates vltra
medietatem valoris officij. Vltra quod, si publicatio
est necessaria in constitutionibus emanatis motu pro
2 prio, illa est multum verisimilis, cùm † ista constitutio
reperiatur registrata in Secretaria Apostolica,
impressa ab impressoribus Cameralibus, & publicè
vendita, & vsque ad hanc diem fuerit semper allegata
in decisione Causarum, & obseruata sine aliqua
contradictione. Et cessat secundum Dominos omnis
difficultas: quia in Pontificatu Pauli Quarti expediebantur
super huiusmodi societatibus supplicationes,
quæ vigore illius constitutionis erant necessariæ:
& post istam constitutionem Pij Quarti, non fuerunt
amplius expeditæ, iuxta formam istius constitutionis;
& societates fuerunt contractæ, vltra medietatem
valoris officij. Et ex ista obseruantia subsequuta
satis apertè declaratur, quod constitutio Pij Quarti,
fuit publicata, & habuit effectum.

Secundò, circumscriptis etiam istis constitutioni-
3 bus, mouebantur Domini: quia ex † dispositione Iuris
communis istæ societates non possunt substineri
in excessu, neque in vim contractus societatis, neque
in vim alterius contractus.

Quantum enim ad contractum societatis, notissi-
4 ma est illius forma, quòd † partes ineunt societatem
super officio, & officialis facit participem fructuum
eum, qui dat pecunias pro rata parte; quam partem
propter incertitudinem fructuum officij, & ad effectum
euitandi labores computorum, idem officialis
conducit ad rationem 12. pro 100. Et ideo cùm dans
pecunias admittatur ab officiali in socium officij, &
ad participationem fructuum, in eo quod societates
excedunt valorem officij, cessat officium, quod est subiectum
societatis, & communicatio fructuum, quorum
socius pecunias conferens particeps fieri possit;
5 & consequenter † sine subiecto; & communicatione
fructuum non potest subsistere societas, *leg. verum, in fin. ff. pro soc.*
Et duodecim pro centum percipiuntur
ex pecunia, ex qua non possunt, licitè percipi fructus.

Et quamuis officium non pereat communi periculo,
sed per mortem officialis totum pereat damno ipsius,
contra naturam contractus societatis; tamen ex
hoc non sequitur quòd officium non sit subiectum
societatis: quia pro maiori commoditate contrahentium
periculum societatis inter socios commutatur.
Si enim officialis moritur, officium amittit; & econtra,
si moritur ille qui dat pecunias, amittit suum ca-
6 pitale; & † sic in effectu compensatur periculum cum
periculo.

7 Nec placuit Dominis, quòd officia † sint de regalibus,
& non possint pignorari vel obligari: & ideo
licèt societates absorbeant totum valorem officij, officium
semper remanet integrum penes officialem,
& consequenter remanet etiam subiectum, societatis,
& res, quæ possit communicari. Quia per istum
8 contractum † non alienatur officium, sed socius admittitur
solum ad participationem fructuum, & in
excessu non remanent fructus, qui possint communicari.

9 Præterea, licèt † titulus officij non possit alienari
sine consensu Papæ, ad effectum euitandi fraudes, &
vt possit esse certus de vacatione: tamen respectu cõ-
10 trahentium, dummodo † non mutetur persona officialis,
& remaneat periculum vitæ in eadem persona,
officia sunt in communi commercio, & possũt etiam
in totum fructus communicari; vt fuit dictum *in Causa Romana Officij Scriptoriè 1. Aprilis* 1588. *coram R. P. D. meo Pamphilio.*
Et tanto magis per viam contractus
societatis, qui aliter inire non potest, & permittitur
à Papa, etiam sine licentia.

11 Non obstat quòd † sicut idem prædium, & fructus
illius, possunt vendi pluribus personis; ita pariter super
officio, & illius fructibus, possunt admitti plures
socij. Quia inter istos duos casus ratio diuersitatis
est euidens. Quando enim eadem res venditur plu-
12 ribus, venditio est valida: quia cùm † venditor tenea-

tur solum tradere; & sic ad factum, cuius loco suc-
cedit obligatio ad interesse; si non potest secundo,
emptori tradere idem prædium; vel fructus illius,
soluendo interesse liberatur. Sed in societate se-
13 cus est: quia non potest consistere sine officio, & †
eo ipso quòd est admissus aliquis in socium, officiũ
est ei communicatum, & non est amplius communi-
cabile; & consequenter de tempore contractus nihil
remanet penes socium, quod possit alteri communi-
cari, & super eo admittere alium in socium.

Quòd vero non possit substineri in vim alterius
contractus, fundamentum Dominorum fuit: Quia in
14 † vim census vitalitij propter periculum vitæ æsti-
mabile pecunia, iuxt. *cons.* Oldr. 207. non potest sub-
15 stineri; Quia † de natura istius census vitalitij est,
quod pecunia repeti non possit; & substinetur solum
propter incertitudinem vitæ; vt per Dec. *in cons.* 121,
sub num. 1. Et ideo cùm dans pecunias ad societatem
possit illas repetere elapsis sex mensibus, iste contra-
ctus est contrarius naturæ census vitalitij. Ratione
16 vero assumpti periculi non potest substineri. Quia †
quando officium est grauatum in totum, non existen
te officio nec fructibus, nihil remanet officiali peri-
culo expositum, pro cuius assecuratione aliquid præ-
stari possit, *leg. nihil interest, & leg. periculi, ff. de nautico*
17 *fœnore.* Et etiam, quia † nullum periculum transfer-
tur in officialem pecunia æstimabile, cùm pericu-
lum cum periculo compensetur.

18 Et cessante periculo, non potest etiam substineri in
19 vim contractus sponsionis: Quia † iustitia sponsio-
nis pariter est fundata super periculo, Et licet Sotus
de iust. & iur. lib. 6. quæst. 6. art. 2. col. penult. & Nauarr.
cons. 29. num. 3. de vsur. nitantur solum iustificare istos
contractus ratione assumpti periculi, & assecuratio-
20 nis, & in vim sponsionis: tamen † vterque eorum præ
supponit existentiam, & capacitatem officij; & du-
bitant solum de validitate istius contractus; Quia
non potest reduci ad rationem census, cùm capitale
possit repeti finitis sex mensibus: Neque potest sub-
stineri in vim contractus societatis: quia socius iux-
ta naturam societatis, non subit periculum amissio-
nis officij. Et ideo putant illum esse reducendum ad
contractum assecurationis, vel sponsionis. Sed cum
in isto contractu periculum cum periculo compense-
tur, vt dictum fuit, cessat eorum fundamentum, & cõ-
tractus remanet licitus ex sui natura, & substinetur
ex lege societatis, neque eget iustificatione, reducen
do illum ad aliam speciem contractus, quem contra-
hentes non intellexerunt inire: & tanto magis, cùm
in vim illorum contractuum non possit substineri.

Tertio dicebant Domini non esse recedendum ab
hac opinione: Quia vltra rationes concurrunt etiã
auctoritates Doctorum. Hanc enim opinionem sem-
per tenuit Rota, vt patet ex multis decisionibus fa-
ctis in hac materia: *in Causa Romana Societatis de Fer-
ris 6. Nouembris 1581. coram R. P. D. Seraphino: in Cau-
sa Romana Societatis de Lucchinis 24. Ianuarij 1575. co-
ram Illustrissimo Cardinali Blanchetto: & coram eodem in
alia Romana Societatis 28. Ianuarij 1591. & 20. Octobr.
1595. & in alia Romana Societatis 1. Iulij 1596. coram
R. P. D. Corduba.* Et decisiones quæ allegantur in con-
trarium, non tangunt istum casum; & in eis semper
præsupponitur existentia, & capacitas officij. Licet
21 enim † iste contractus substineatur ratione periculi;
vt fuit resolutũ *in Causa Romana compromissi, & Foroli-
uien. Societatis, coram bon. mem. Episcopo Lauretano;* &
22 ideo cessante periculo, remanet purum mutuum, &
fructus non debentur, vt fuit resolutum *in Causa Ro-
mana Societatis coram bon. mem. Cardinali Lancellotto; &
Romana Damnorum coram Cotta:* Tamen ex hoc non
sequitur quòd societates substineantur propter pe-
riculum sine officio; & quod non requiratur existen-
tia, & capacitas officij. In *Causa* vero *Romana, seu
Tusculana Societatis officium* erat capax, & fuit solum
23 resolutum, societatem substineri: quia etiam † super
re aliena, potest contrahi societas in præiudicium
contrahentis; & præsertim, cùm adesset probabilis
ignorantia dantis pecunias ad societatem: quæ in
hoc casu cessat. Et alia decisio, quæ allegatur *in Cau-
sa Romana Societatis de Lucchinis,* quòd à communiter
accidentibus inspiciuntur potius fideiussores, quàm
officia, quæ ad collocandum contractum, & euitan-
dam vsurariam prauitatem, interponuntur, non facit
ad rem: Quia licet habeatur respectus magis ad fi-
24 deiussores, quàm ad officia, cum † officia non possint
subhastari nisi cum magna difficultate, & cum licen-
tia Papæ, & à fideiussoribus sit facilior exactio: Ta-
men ex hoc non infertur, quod societates substinean
tur sine officio. Et potius illa decisio confirmat hanc
25 opinionem, cum admittat, contractum sine officio
esse vsurarium. Et sic Rota nunquam recessit ab hac
opinione, quam etiam secuti fuerunt multi Iudices
extra Rotam, adhibito etiam consilio Theologorũ,
& omnes recentiores, qui de istis societatibus scrip-
serunt. Et demum articulo diligenter discusso, ea-
dem opinio placuit Cõgregationi ad istum effectum
à S. D. N. institutæ, cui interfuerunt quinque Illu-
strissimi Cardinales, tres Rotæ Auditores antiquio-
res, & tres Theologi.

Non obstat, quòd propter consuetudinem in eun-
di societates vltra valorem officij, contractus substi-
26 nentur ex bona fide contrahentium. Quia ista † con-
suetudo non probatur obtenta in contradictorio iu-
dicio, cum oppositione partium, & effectuatione
mandatorum, prout probari debet: & constat de cõ-
trario ex decisionibus factis in diuersis Causis, secun
27 dum quas fuit iudicatum: Et consuetudo † non in-
ducitur ex sententijs difformibus Alberic. *in leg. quæ-
situm. §. si qui eodem, ff. de fund. instrum.* Aim. *consil.* 96.
num. 5. Vltra quod, si probaretur, non releuaret: quia
28 † consuetudo non suffragatur in materia vsuræ, *cap.
quia in omnibus, de vsur.* & fuit late deductum *in Causa
Romana Societatis 2. Iunij 1570. coram bon. mem. Cardi-
nali Lancellotto.*

COLIMBRIEN. RESERVATIONIS FRVCTVVM.

Mercurij 31. Ianuarij 1601.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Sententia, quæ fecit transitum in iudicatum, est exequen-
da.*

DECISIO CCLII.

FVit resolutum pro informante, sententiam esse
1 exequendam: quia fecit † trãsitum in iudicatum
ob

ob non protogationem fatallum; & ex decisione R.P.D. mei Decani constat de illius iustitia; cùm tam gratia Elisei transferentis, quàm habilitates translatariorum, sint iustificatæ.

ROMANA VINEÆ.

Mercurij 31. Ianuarij 1601.

ARGVMENTVM.

Censuarius preferetur in retractu. Nonnulla afferuntur ad intelligentiam Bullæ retractus.

SVMMARIVM.

1 *Censuarius, infra mensem à die denunciationis obtinens monitorium super retractu rei censuatæ venditæ, est præferendus. Etiamsi non fecerit depositum, & nu. 2.*
3 *Denunciatio in materia retractus requiritur pro forma.*
4 *Scientia sola venditionis, siue denunciatione, quatenus sufficeret, deberet esse omnium pactorum, cum quibus fuit facta venditio.*

DECISIO CCLIII.

FVit resolutum, sententiam A.C. in fauorem D. Fabij censuarij esse iustam, & confirmandam: Quia
1 intra † mensem à die denuntiationis declarauit velle præferri, obtinendo monitorium super retractu; quòd fuit executum contra emptorem. Et ideo vigore Bullæ S. mem. memor. Pij Quinti super forma contrahendi census, est præferendus.

Non obstat, quod non fecerit depositum pretij.
2 Quia Bulla † non cogit dominum census volentem præferri, ad faciendum depositum. Et cessat omnis difficultas: quia in instrumento adest pactum clarum, quòd emptor non teneatur ad solutionem pretij, nisi post traditam actualem possessionem vineæ: & ideo depositum ante traditionem possessionis, non erat necessarium.

Non obstat notitia Fabij ante denuntiationem.
3 Quia † denuntiatio requiritur pro forma, Bald. *de iur. protomiss. num. 20.* & late Tiraquel. *de retract. lignag. §. 36. glos. 2. nu. 26. 27. & 29.* Vltra quod, etiam si sola scientia sine denuntiatione sufficeret, esset necessaria
4 † probatio concludens scientiæ omnium pactorum, cum quibus est facta venditio; vt per Tiraquell. *dict. glos. 2. num. 30.* quæ hic non adest.

ANCONITANA CENSVVS.

Veneris 16. Februarij 1601.

ARGVMENTVM.

De obligatione excedente fines mandati, habentis etiam clausulam resolutiuam.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio facta à procuratore excedente fines mandati, est nulla.*
2 *Declaratur Decius* cons. 330.
3 *Pactum liberationis infra triennium, est illicitum. Fallit vt num. 4.*

DECISIO CCLIV.

FVit resolutum sententiam A.C. esse confirmandam: Quia mandatum datum à Paradiso ad accedendum venditioni census, est limitatum per illa verba immediate sequentia: *Cum hoc, quòd Iustinus Berardus, Io: Anton. Thomasinus, & Anselmus Matthiolus in solidum promittant in instrumento census conseruare ipsum Paradisum indemnem, & infra triennium eum ab obligatione eximere, & liberare, & non aliàs, nec alio modo*: Et
1 ideo procurator † excessit fines mandati illum obligando sine promissione Io. Antonij, & Anselmi de releuando eum indemnem, & liberando ab obligatione, & consequenter obligatio est nulla.
2 Non obstat *cons.* Dec. 330. Quia in † hoc casu ista qualitas non est posita in parte separata, sed est posita immediate post facultatem tributam procuratori ad effectum limitandi, & restringendi totum mandatum, & cum clausula resolutiua, *non aliàs, nec alio modo*, & ideo imputare sibi debet Iustinianus, qui contraxit cum procuratore, habēte mandatum limitatum cum clausula resolutiua, & non curauit impleri conditiones ipsius mandati.
3 Non obstat, † quòd pactum liberationis infra tri-
4 ennium est illicitum: Quia nihil repugnat, quod † fideiussores non possint se obligare ad fauorem confideiussoris de illo eximendo ab obligatione infra certum tempus.

PLACENTINA BENEFICIORVM.

Lunæ 19. Februarij 1601.

ARGVMENTVM.

Recursus Clerici ad Curiam secularem quomodo probetur.

SVMMARIVM.

1 *Narratio explicita recursus in supplicatione absolutionis, probat ipsum recursum.*
2 *Mandatum præsumitur, propter interesse illius, ad quem negocium pertinet.*
3 *Declaratur Decisio coram Pamphilio* in Causa Pacten. Pensionis.
4 *Paritio merè verbalis, non excludit ordinem præcedentem.*

DECISIO CCLV.

DOmini resoluerunt constare de recursu, ad effectum, de quo hodie agitur, vt Lupus indigeat absolutione excommunicationis. Quia de eo datur fides Notarij, qui fuit carceratus illius vigore cum regia prouisione, quia statim non consignauit declaratoriam A.C. latam contra Lupum. Et cōcurrit etiam
1 explicita † narratio facta per ipsum in supplicatione absolutionis; ex qua probatur factum ipsius recursus, *cap. venerabilem*, & *ibi* glos. *in versic. postulauit, de elect.* Et licet non probetur mandatum Lupi; tamen
2 † mandatum præsumitur propter interesse illius, ad quem negotium pertinet, iuxt. doctr. Bart. *in leg. vlt. num. 5. ff. de quæstion.* quam Rota semper in hac materia secuta fuit propter difficultatem probationis; Quia si necessaria esset probatio mandati nunquam posset probari aliquis recursus, semper enim obtinerentur per interpositam personam.

Mouit etiam Dominos: quia recursus erat in manibus Didaci de Barrientos procuratoris, cui postea à Lupo fuit datum mandatum ad hanc causam, cum facultate recurrendi ad Consilium, & Cancellarias Regias: Et ideo multum verisimile est, quòd iste re-

cur.

curlus fuerit habitus de mandato ipfius : præfertim
concurrentibus labore, & impenfa, quæ fiunt in ob-
tinendis Regijs prouifionibus:

Non obftat decifio *in caufa Placen. Penfionis coram*
3 *Reuß P.D. meo Pamphilio.* Quia in † eo cafu agebatur
de verificatione narratiuæ, per quam reddebatur
nulla penfio referuata Carolo; Et ideo neceffaria
erat plena probatio; Et tanto magis, cùm ageretur
ad effectum priuationis.

Non obftat, quòd Regia prouifio fuerat obtenta
ante declaratoriam, & etiam ante intimationem mo
nitorij. Quia hoc non excludit quod Lupus non
preuenerit in obtinendo prius regiam prouifionem,
ad effectum impediendi executionem Literarum A-
poftolicarum, prout poftea factum fuit certè enim
Didacus non poterat diuinare, quòd ifta beneficia
effent impetrata à Sede Apoftolica, & quod illorum
occafione pro executione Breuis; vel Literarum A-
poftolicarum, effet mota vel mouenda lis contra
Lupum, fi de toto ifto facto non fuiffet certioratus à
Lupo, qui habebat fuos procuratores in Curia.

Non obftat quod tempore carcerationis Notarij
Lupus longè diftabat à Ciuitate Placentię, & per tres
dies ante dimiferat poffeffionem, & conftituerat pro
4 curatorem ad dimittendum. Quia ifta paritio fuit †
mere verbalis; & non excludit ordinationem præce-
dentem.

ROMANA ANNVÆ PROVISIONIS.

Veneris 23. Februarij 1601.

ARGVMENTVM.

Verba imperfonalia contra quem inducant obliga-
tionem.

SVMMARIVM.

1 *Verba imperfonalia non inducunt obligationem, nifi con-*
traillum, ad quem de Iure fpectat fubire onus, & nu-
mero 2.

3 *Maritus tenetur prouidere vxori de his, quæ funt neceffa-*
ria pro eius vfu.

4 *Prouifiones annuæ vxori affignatæ, folent iuxta commu-*
nem obferuantiam, folui ex bonis in dotem datis.

5 *Taxatio prouifionis non folet verifimiliter remitti arbitris*
illam foluere debentis.

6 *Verba imperfonalia accipiunt interpretationem à conie-*
cturis.

7 *Quando promiffio de adimplendo omnia, & fingula,*
&c. eft fubfcripta à pluribus; tunc verba funt referen-
da fingula fingulis, vt quilibet teneatur pro ijs, ad quæ fe
obligant.

8 *Mandatum, ad effectum executionis, debet iuftificari ex*
eifdem actis.

DECISIO CCLVI.

FVit refolutum, mandatum relaxatum ab A. C.
pro fumma fcutorum duodecim millium non effe
exequendum. Quia in capitulis matrimonialibus,
quorum vigore actum fuit, non legitur obligatio ex
plicita bon. mem. Cardinalis Alexandrini foluendi
prouifionem fcutorum 500. D. Liuiæ; & illa verba in
quibus fit fundamentum, *Si affegni vna prouifione alla*
Signora Liuia à arbitrio dell' Illuftriffimo Cardinale, funt
1 imperfonalia, & non † inducunt obligationem ex
parte Cardinalis, *authen. fi quando* & *ibi* Bartol. & alij.
Cod. de conft. pecun. Iaf. *in leg. vlt. §. vlt. nu. 2.* & *ibi* Dec.
ff. fi cert. pet. Alex. *confil. 182. nu. 4. lib. 2.* Et in dubio †
2 verba imperfonalia referẽda funt ad illum, ad quem
de iure fpectat fubire onus, Ruin. *conf. 127. fub num. 4.*
& *conf. 201. num. 10. lib. 1.* Et ideo potius videtur fuif-
fe intellectum quòd folutio fieret à D. Michaele, qui
3 tenetur prouidere † vxori de his quæ funt neceffaria
pro eius vfu, *leg. fi cùm dotem, §. fin autem in fæuiffimo,*
ff. folut. matrim. leg. pro oneribus, Cod. de iur. dot. Præfer-
4 tim, attenta communi obferuantia, † fecundùm
quam iftæ prouifiones folent folui ex bonis in dotem
datis. Et hoc etiam Domini comprobabant ex mul-
tis præfumptionibus, & coniecturis.

Primò: quia quantitas remittitur arbitrio Cardi-
5 nalis. Et fi fuiffet † intellectum quòd Cardinalis de-
beret foluere de fuo, non eft verifimile, quod fuiffet
remiffa à D. Liuia taxatio in arbitrium Cardinalis
exponendo fe periculo, quod taxaret in modica
fumma.

Secundò, multum mouit Dominos obferuantia
fubfecuta: quia in conuentione de anno 1574. Do.
Michael agnouit iftud debitum vti proprium; & fo-
lutiones factæ D. Liuiæ fuerunt pofitæ in eius de-
bitum.

Tertiò, concurrit taciturnitas per fpatium multo-
rum annorum, vfque ad obitum Cardinalis.

Quartò, placuit etiam Dominis pro adminiculo
quòd quando Cardinalis voluit fe obligare in capi-
tulis matrimonialibus, hoc fuit expreffum concipien
do obligationem in perfona fua.

Non obftat, quòd gefta inter Cardinalem, & D.
Michaelem, non præiudicant D. Liuiæ, quæ fuit fe-
cuta fidem Cardinalis. Quia hoc prę fupponit pro-
miffionem Cardinalis ad eius fauorem; de qua non
conftat, cùm verba fint prolata imperfonalia, & re-
6 cipiant † interpretationem ab his coniecturis, quòd
Cardinalis non intellexerit fe obligare, ad folutio-
nem de fuo.

Non obftat fubfcriptio Cardinalis in fine capitu-
lorum, & promiffio de adimplendo omnia, & fingu-
la contenta in capitulis. Quia adeft etiam fubfcrip-
tio, D. Michaelis, & Angeli de Capranica, & ipfius
7 D. Liuiæ: & ideo † verba funt referenda fingula fin-
gulis; vt quilibet teneatur pro ijs, ad quæ fe obliga-
uit in capitulis.

Non obftant teftes: Quia funt examinati poft re-
8 laxationem mandati, quod † ad effectum executio-
nis debet iuftificari ex eifdem actis; vt fæpius fuit
refolutum. Vltra quod funt fingulares, & non con-
cludunt, quòd Cardinalis voluerit foluere de fuo.

ANAGNINA VICEDOMINATVS.

Veneris 23. Februarij 1601.

ARGVMENTVM.

Vicedominatus quibus coniecturis probetur effe
officium Ecclefiafticum.

SVMMARIVM.

1 *Vicedominatus poteft effe & non effe officium Ecclefia-*
fticum, iuxta qualitatem minifterij annexi.

2 *Vicedominatus probatur Ecclefiafticus ex pluribus colla-*
tionibus factis ab Epifcopis, quæ fuerint effectuatæ.

3 Quan-

3 *Quando adsunt collationes ab Episcopis facta, & non constat de erectione in contrarium, Beneficium censetur Ecclesiasticum, quocunque nomine nuncupetur.*
4 *Coniecturæ, ex quibus probatur Vicedominatum esse Ecclesiasticum, & num. 5. & 6.*
7 *Laicis officialibus non traditur possessio à Capitulo, nec datur locus in Choro inter Canonicos.*
8 *Canonicis competit sedes in Choro, iuxta antiquitatem eorum receptionis; non autem à dextris, & à sinistris Episcopi.*

DECISIO CCLVII.

Fuit resolutum, Vicedominatum esse officium Ecclesiasticum, & solitum conferri in titulum.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia licet Vice-
1 dominatus † possit esse, & non esse officium Ecclesiasticum, secundum qualitatem ministerij, quod ei est annexum, vt bene deducunt hinc inde informantes: Tamen in hoc casu concurrunt, omnia signa, ex quibus cognoscitur quòd officium, vel beneficium, sit Ecclesiasticum, Quia ex collationib. de anno 1548. & de anno 1558. quæ habuerunt effectum, & ex collatione moderni Episcopi in persona Columbi, & ex depositionibus testium, probatur quòd Vicedominatus solet conferri in persona Ecclesiastica in per
2 sonam Ecclesiasticam, & in perpetuum: & ideo † concurrunt omnia requisita quòd sit officium, vel beneficium Ecclesiasticum; vt per Oldrad *cons.* 140. *nu.* 2. Abb. *cons.* 47. *col.* 1. *lib.* 2. Achil. *decis.* 4. *de expectat.* vt fuit late deductum *in Causa firmana Hospitalis* 27. *Nouembris* 1577. *coram bon. mem. Cæsare de Grassis.* Et in hoc casu non est vis in nomine: Quia, vt bene deducit Ægid. *in cap. super hoc num.* 17. *de renunt.* si con-
3 currunt † ista signa, & non constat de erectione in contrarium, beneficium est Ecclesiasticum, siue nominetur officium, siue beneficium vel alio nomine.

4 His accedunt plures coniecturæ: & Primò duæ † enuntiatiuæ, altera in literis sanctæ memor. Gregorij XIII. de anno 1581. quòd Vicedominatus est officium Ecclesiasticum: alia vero in literis felic. recordationis Sixti V. de anno 1585. quòd officium Ecclesiasticum Vicedominatum nuncupatum, in titulum perpetui beneficij Ecclesiastici vni clerico seculari conferri consueuit.

5 Secundo, quia † Vicedominatus habet dotem distinctam, & separatam in certa portione decimarum debita Episcopo, quam ipsi immediate percipiunt de manu Rectorum.

6 Tertio multum mouit Dominos: quia prouisis † de Vicedominatu traditur possessio à Capitulo, & assignatur sedes in Choro à dextris, & à sinistris Episcopi. Et ista necessario arguunt, quod Vicedominatus sit officium Ecclesiasticum, & repugnant quòd
7 sit officium laicale: quia † laicis non traditur possessio à Capitulo, nec datur locus in Choro inter Canonicos, *cap.* 1. *de vita. & honest. cleric. cap. sacerdotum, de consecr. dist.* 2.

Nec placuit Dominis, quòd iste locus à dextris, & à sinistris, competat ratione Canonicatus, & non ra-
8 tione Vicedominatus: Quia Canonicis † cõpetit sedes in Choro iuxta antiquitatem suæ receptionis, & non à dextris, & à sinistris Episcopi, Rota *decis.* 9. *de consuetud. in antiq.* Et ideo ista sedes non potest competere ratione Canonicatus. Et cessat omnis difficultas: quia Columbo, qui erat Canonicus, fuit postea collatus Vicedominatus in dextera parte Chori, & à Capitulo fuit tradita possessio in dextera parte Chori; & consequenter ratione Vicedominatus, & non Canonicatus.

Non obstant testes, quòd Vicedominatus sint officia laicalia. Quia deponunt de eorum reputatione, propter officium temporale in defendendis, & hospitandis Presbyteris, & non assignant aliquam concludentem rationem: & in contrarium dantur alij testes, quòd Vicedominatus reputantur officia Ecclesiastica; & eorum depositiones sunt multum adminiculatæ ex tot coniecturis supra dictis.

Non obstat quod Episcopi soliti fuerunt conferre ista officia, etiam in mensibus reseruatis. Quia adsunt etiam in contrarium alij testes, quòd Vespesiano Astulfi fuit collatus Vicedominatus à Sede Apostolica. Vltra quod cùm isti Vicedominatus sint officia, seu beneficia Ecclesiastica, vt supra dictum fuit, collatio in mensibus reseruatis, spectat ad sedem Apostolicam, & consequenter collationes Episcoporum in mensibus reseruatis essent nullæ.

ROMANA HÆREDITATIS DE VALLE.

Lunæ 26. Februarij 1601.

ARGVMENTVM.

Immissio ex testamento non datur, nisi constet, de quibus bonis testator disponere potuerit.

SVMMARIVM.

1 *Quando institutio est facta in bonis, de quibus testator disponere potest, non datur immissio ante quàm constet, de quibus bonis disponere poterat.*
2 *Et ad hunc effectum est necessaria liquidatio, tam respectu bonorum de tempore obitus, quàm respectu quantitatis Legitimæ, & Trebellianicæ.*
3 *Fructus percepti de bonis testatoris, sunt imputandi in Trebellianicam.*
4 *Cumulatio petitorij, & possessorij, quando admittatur.*
5 *Hæredi grauato possidenti bona fideicommissaria, non currit præscriptio quoad ius petendi Legitimam, & Trebellianicam.*
6 *Remedio legis vlt.* Cod. de Edicto D. Adr. toll. *non præscribitur, nisi probetur concludenter possessio pacifica per tempus requisitum.*
7 *A præscriptione subducendum est tempus minoris ætatis.*
8 *Exceptio præscriptionis, si non sit clara, & liquida, non impedit immissionem.*
9 *Fideicommissarius possidens absque vitio, & habens parem titulum, dicitur legitimus contradictor.*
10 *Remedium legis vlt.* Cod. de Edict. D. Adr. Tollend. *an detur insistuto in re certa.*
11 *Verba,* De quibus disponere potest, *apposita in institutione hæredis, non sunt posita ad restringendam dispositionem vniuersalem, sed ad excludendum bona fideicommisso subiecta.*

DECISIO CCLVIII.

Domini concluserunt, non esse locum immissioni in possessionem bonorum vigore Testamenti Bernardini de Valle, ex eo potissimum fundamento: Quia institutio fuit facta in bonis, de quibus dispo-
1 nere poterat, & ideo † ante quam constet, quæ sint

ista

ista bona, de quibus disponere poterat, non potest
2 dari immissio. Et ad istum † effectum est necessaria liquidatio, tam respectu corporis bonorum, quæ à Bernardino possidebatur tempore obitus, vt est tex. clarus *in leg. vlt. Cod. de edict. Diu. Adr. tollend.* Quàm etiam respectu quantitatis Legitimæ, & Trebellianicæ. Et quantum ad Legitimam est videndum, an sit locus detractionibus, quæ prætenduntur. Quo verò ad Trebellianicam, est etiam videndum, an fructus
3 † percepti à nepotibus testatoris sint in eam computandi, si Domini de Tuscanellis vellent super hoc audiri: habet enim in hoc regulam contra se, *leg. quod de bonis, §. quod autem, ff. ad leg. Falcidiam*, & ibi Bart. & alij, Alex. *cons. 36. num. 4. vol. 7.* Et interim non potest dari immissio, præsertim parte opponente. Termini vero decisionis *in Causa Romana Fideicõmissi de Gallis*, quæ allegatur in contrarium, sunt longe diuersi: Aliud est enim quærere, an possit dari sententia canonizatoria fideicommissi, quæ requirit liquidationem ante immissionem; de quo solum fuit actum in illa Causa: & aliud est quærere, an fit danda immissio sine liquidatione præcedenti, prout hodie petitur.

Alia fundamenta Dominis non videbantur digna consideratione. Et primo non placuit, quòd cesset hoc remedium, quando prius fuit intentatum iu-
4 dicium petitionis hæreditatis: Quia in hoc † casu admittitur cumulatio petitorij, & possessorij, cum non sint ad inuicem repugnantia, & tendant ad diuersum finem, vt per Bart. *in leg. naturaliter, §. nihil commune, num. 16. ff. de acqu. possess.* Et in his terminis tradunt *in dict. §. nihil commune*, Ripa, *nu. 143.* Rub. Alex. *num. 266.* & alij, quos referunt Modern. *de adipiscen. possess. remed. 4. num. 507.* Exceptio etiam præscriptionis non intrat: Quia Lælius, & Bernardinus possidebant bona hæreditaria. Et ante tempus restitutionis fideicommissi, non potest in eis considerari aliqua negligentia in non petendo Legitimam, & Trebellianicam, cùm scirent ius suum esse saluum tem-
5 pore restitutionis: & ideo non fuit præscriptum ius petendi Legitimam, vt bene deducit Socci. Iun. *cons. 64. numer. 14. lib. 2.* quicquid incidenter dicat Alba *in cons. 200. num. 24.*

Quantum verò ad præscriptionem huius remedij, legis vltimæ, cessat etiam præscriptio: Quia post obi-
6 tum Bernardini fuit mota lis, & non probatur † concludenter possessio pacifica per tempus requisitum,
7 Caputaq. *decis. 332. par. 2.* Maxime, cùm † sit subducendum tempus minoris ætatis, Marci Antonij, vt per Balb. *de præscript. par. 6. princip. cas. 23. num. 34.* & fuit resolutum *in Causa Romana de Magdalenis 9. Iunij 1587. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto*; & *in Causa Romana Census de Caffarellis 19. Decembris eiusdem anni, coram bon. mem. Gipsio.* Et sufficit ad istum effe-
8 ctum vt † non impediatur immissio, quòd ista exceptio præscriptionis non sit clara, & liquida; vt per Dec. *in dict. leg. vlt. num. 12.* Afflict. *dec. 52. in fin.*

Aliud fundamentum, quòd Petrus sit legitimus
9 contradictor, cùm † sit fideicommissarius, & in possessione absque vitio, & habeat parem titulum, minus placuit Dominis: Quia Petrus in hac portione Bernardini, neque est fideicommissarius, neque habet titulum, cùm solum prætendat se vocatum ad fideicommissum ex testamentis Pauli, & Nicolai: & hæc bona sint exempta ab istis fideicommissis, & petatur immissio ex testamento Bernardini.

10 Vltimum fundamentum, quod † hoc remedium non detur instituto in re certa, habet difficultatem in Iure: quia multi Doctores tenent contrariam opinionem, vt per Mod. *dict. remed. 4. num. 158.* Et etiam in facto: quia institutio non est facta in Legitima, & Trebellianica vti in re certa, sed in vniuerso patrimonio ipsius Bernardini, cui Legitima, & Trebellianica erant debitæ.

Et licet in institutione sint apposita illa verba, *De*
11 *quibus disponere potest*: tamen † non sunt apposita ad effectum restringendi institutionem vniuersalem, sed ad effectum excludendi bona subiecta fideicommisso.

CIVITATIS CASTELLANÆ IVRIS PASCENDI, ET LIGNANDI.

Mercurij 14. Martij 1601.

ARGVMENTVM.

Emphyteota an possit constituere seruitutem in bonis emphyteoticis, in præiudicium domini directi.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteota potest constituere seruitutem in bonis emphyteoticis, emphyteusi durante.*
2 *Sed ad effectum acquirendi quasi possessionem contra dominum, requiritur scientia, & patientia ipsius domini, & num. 6.*
Contrarium innuitur num. 3.
4 *Possessio ciuilis semper remanet penes dominum directū.*
5 *Emphyteusi finita, datur domino directo Interdictum Retinendæ, pro recuperatione possessionis naturalis.*
7 *Seruitus in dubio non præsumitur.*

DECISIO CCLIX.

Fvit resolutum, Communitati non esse dandum mandatum de manutenendo contra Moniales.
1 Quia licet Emphyteota possit in bonis emphyteoticis constituere seruitutem, durante emphyteosi, Bart. *in leg. 1. §. vlt. ff. de superficiebus*, Gugl. de Cuneo, Bald. Salic. & Paul. de Cast. *in leg. 3. Cod. de seruitut. & aqua*, Ias. *in leg. vlt. num. 18. Cod. de iure emphyt.* Ta-
2 men ad † effectum acquirendi quasi possessionem contra Dominum, requiritur scientia, & patientia ipsius Domini, & non sufficit scientia, & patientia emphyteotæ, Ripa *in cap. cùm Ecclesia Sutrina, num. 65. de causa poss. & propriet.* & fuit resolutum *in Causa Cremonen. Pensionis 21. Nouembris 1575. coram bon. memor. Cardinali Lancellotto.* Et ideo cùm petatur mandatum de manutenendo contra Moniales, scientia, & patientia emphyteotæ, non teleuant ad istum effectum mandati de manutenendo contra Moniales.

Aliqui etiam ex Dominis existimabant, quòd etiā si probaretur scientia Monialium, non suffragaretur
3 Communitati: Quia Moniales † non poterant impedire quod emphyteota in sui præiud. cùm, durante emphyteosi, non permitteret Communitatem possidere, vt per Afflict. *dec. 380. num. 6.*

Non obstat quòd non est necessaria scientia, & patientia Monialium, cùm non possideant: Quia ci-
4 uilis † possessio semper remansit penes Moniales: &
5 ista possessio est adeo considerabilis, vt † finita emphy-

phyteosi, detur Domino directo interdictum, retinendæ pro recuperatione naturalis, Barto. *in leg. 1. §. vlt. num. 17. ff. vti possessio*, Bero. *cons. 102. num. 43. lib. 1.* & fuit resolutum *in Causa Ciuitatis Castelli Bonorum* 8. *Nouembris, coram R. P. D. meo Pamphilio*. Et ideo †
6 est necessaria scientia, & patientia, ipsius Domini, quo ad suum præiudicium; vt per Rip. *in dict. cap. cum Ecclesia, num. 65*.

Non obstat quod non probatur Casale, fuisse liberum ab ista seruitute, ante concessionem, in em-
7 phyteosi. Quia seruitus † in dubio non præsumitur, & sufficit Monialibus, quòd non probetur quasi possessio Communitatis contra ipsas.

BONONIEN. HÆREDITATIS DE GARGANTIBVS.

Mercurij 14. Martij 1601.

ARGVMENTVM.

Status filiationis quomodo probetur. Nonnulla de Legitimatione.

SVMMARIVM.

1 *Probatio certa filiationis, respectu patris dari nequit. Et ad hunc effectum sufficit probatio præsumptiua per coniecturas, & nu. 2.*
Etiam in probatione filiationis illegitimæ, & num. 3.
4 *Coniectura vrgentissima, quibus filiatio probari potest.*
5 *Ex tractatu, & reputatione probatur quasi possessio filiationis.*
6 *Testes non possunt deponere directè super filiatione, respectu patris.*
7 *Constituto in quasi possessione filiationis non præiudicat, subsequens negatio patris.*
8 *Facultas legitimandi Dominorum de Campegijs, licèt amplissima, non se extendit aduersus voluntatem testatorum.*
9 *Obreptio qualitatis speciali nota digna, reddit Legitimationem nullam.*
10 *Ad effectum restitutionis in spolio, sufficit solum probare extrema.*
11 *Possessio anterior præfertur instrumentali: Præsertim, si testes deponant de hora certa, & num. 12.*
13 *Ad effectum impediendi restitutionem in spolio, satis est, quòd primum extremum reddatur turbidum.*

DECISIO CCLX.

Dubium fuit distinctum in duas difficultates. Prima difficultas fuit, An constet de quasi possessione, & statu filiationis Io. Pauli. Secunda difficultas fuit, An ista quasi possessio suffragetur Gentili.

Quantum ad primam difficultatem, Domini fuerunt concordes, quòd constet sufficienter, de quasi possessione, & statu filiationis Io. Pauli. Quia cùm
1 certa probatio filiationis † respectu patris dari non possit, *leg. Lucius ff. de condit. & demonstr.* sufficit pro-
2 batio † præsumptiua per coniecturas; vt per Bald. *in cap. per tuas sub num. 4. de probat.* Quod procedit etiam
3 in probatione † filiationis illegitimæ, vt fuit late deductum *in Causa Romana à Bardesia 10. Decemb. 1576. coram S. D. N.* Hic autem concurrunt plures coniecturæ, & præsumptiones vrgentissimæ, quòd Io. Paulus fuerit filius Herculis: Testes enim probant statim,
4 ab ipso ortu Io. Pauli † plenissimum tractatum Herculis erga eum, vti suum filium: interfuit enim eius natiuitati, affirmando quòd erat suus filius: curauit eum educari penes nutricem: deinde retinuit apud se domi: illum palam nominabat suum filium, & vicissim ab eo nominabatur pater: eum mittebat ad scholas: volebat quod inseruiretur à suis famulis: prouidebat ei de omnibus necessarijs: comedebat in eadem mensa, & reputabatur ab omnibus eius filius. Et ex isto amplissimo tractatu, & reputatione, indu-
5 bitatum erat † apud Dominos, probari hanc quasi possessionem filiationis, vt fuit resolutum *in dict. Causa Romana Bardesia*, & postea *in Causa Romana de Zambeccarijs 17. Aprilis 1589. coram D. Episcopo Perusino*, & sæpius in alijs causis.

Nō obstat quòd testes dicunt, possibile esse quòd
6 Io. Paulus non fuerit filius Herculis: Quia testes † non possunt deponere directo super filiatione, respectu patris, cùm non detur certa probatio: & ideo sufficit quòd deponant de tractatu, & reputatione. Aliæ exceptiones contra testes visæ sunt Dominis leues, & placuerunt responsiones, quæ dantur per informantes.

Non obstat quòd postea Hercules expulit e domo Io: Paulum, negando quòd esset suus filius, & dando super hoc libellum in iudicio. Quia cùm Io. Paulus
7 esset † constitutus in quasi possessione filiationis, & contradicant facta præcedentia, subsequens negatio patris ei non præiudicat, Paris. *cons. 10. num. 62. lib. 2.* & fuit resolutum *in dict. Causa Romana à Bardesia*.

Quantum ad secundam difficultatem, Domini resoluerunt istam, quasi possessionem, non suffragari Gentili. Quia effectus huius dubij est, vt Io: Paulus vti legitimatus, succedat in totum Herculi, exclusis fratribus veniētib. ab intestato. Et licèt facultas Do-
8 minorum de Campeggis † sit amplissima; tamē non se extendit, vt possint legitimare ad effectum successionis in bonis patris, aduersus eius voluntatem, Bald. *cons. 17. num. 2. lib. 4.* Dec. *cons. 338. num. 9.* Illustrissimus Cardinalis Mantica, *de coniectu. vlt. volunt. lib. 11. tit. 3. num. 9.*

Videbatur autem Dominis satis constare, quòd legitimatio fuerit facta contra voluntatem Herculis: Quia prius se opposuerat, quòd Io. Paulus non admitteretur in Collegium Notariorum, vti eius filius; & postea in spetie comisit causam diffamationis contra Io. Paulum, negando eum esse suum filium, & petendo, quod ei imponeretur silentium. Et ista erat
9 qualitas digna speciali nota; quæ † cùm non fuerit narrata Campeggijs, reddit legitimationem nullam, & subreptitiam; & sic concurrit vterque defectus potestatis, & voluntatis.

Et licet informantes pro Gentile restringat effectum Dubij ad restitutionem in spolio; tamen Domi
10 ni dixerunt † quod ad istum effectum sufficiebat solum probare extrema, & non erat opus disputare, an constaret de quasi possessione filiationis Io. Pauli. Et nihilominus, sequendo etiam in hoc eorum intentionem, Domini censuerunt, quòd si dubium disputaretur ad effectum restitutionis in spolio, Gentili non competeret actio spolij, ex defectu probationis pri-
11 mi extremi: quia † possessio Dominorum de Gargantibus est anterior; & ideo possessio instrumenta-
12 lis Io: Pauli non est releuans.

Circa domum enim nulla est difficultas: quia possessio

sessio fuit capta à Gargantibus die 5. Iunij, & à Io: Paulo die sexta. Quò vero ad alia prædia, licèt tam Gargantes, quàm Hercules cœperint possessionem eadem die 5. Iunij post obitum Herculis; tamen apparet, quod possessio Io. Pauli fuit posterior: quia, vt testes deponunt, incontinenti, nulla interposita mora post obitum Herculis, Gargantes obtinuerunt mandatum de associando à Vicelegato, quod fuit ab eis consignatum Ludouico Pansachio, vt caperet possessionem istorum prædiorum: qui statim discessit, & postea redijt, & attulit claues prædiorum. Io. Paulus vero post obitum Herculis procurauit legitimationem à Campeggis, & in iudicio produxit fidē legitimationis, & quasi possessionis filiationis, & curauit, examinari testes super obitum Herculis, & postea obtinuit mandatum de immittendo in possessionem, cuius vigore fuit immissus. Quæ omnia requirunt spatium temporis, & arguunt prioritatem possessionis Dominorum de Gargantibus præsertim,
12 cum eorum testes deponant † de hora certa, & ipsi hodie reperiantur in actuali possessione. Put. dec. 1. de
13 *præsumpt.* Et sufficit ad istum † effectum, quod primum extremum reddatur turbidum.

PARMEN. STATVS.

Veneris 23. Martij 1601.

Continet Argumentum idem, quod Decisio 244.

SVMMARIVM.

1 *Testis reuocans primum dictum, non reijcitur in totum: sed super eius dicto non potest fundari sententia, & num. 2.*

3 *Sententia condemnatoria de falso, solùm inhabilitat respectu noui examinis, & non reddit nullum examen præcedens.*

4 *Testi affirmanti se falsum deposuisse, creditur: sed non in præiudicium Partis, cui ex prima depositione fuit ius quæsitum.*

DECISIO CCLXI.

PRoposui iterum idem Dubium alias propositum, & resolutum, An Bernardinus Montaninus, Ioannes de Vsbertis, & Toguinus Fafanus testes examinati pro parte Dominorum, de Rangonibus, essent ita debilitati, vt eis non sit adhibenda fides? Et Domini dixerunt, quòd si contrarietates in dictis non obstant, de quibus particulariter agetur, isti testes patiuntur maximā diminutionem, sed non sunt in totum repellendi.

Fundamenta huius resolutionis fuerunt eadem, quæ sunt deducta in alia decisione: Quia in simplicibus terminis quæstionis Doctorum, Cui dicto sit standum, quando testes reuocauerunt primum di-
1 ctum? recepta opinio est, quòd † non tollatur in totum fides primo dicto, sed remaneat solum debilitatum quo ad fidem probationis; itaut super eo non possit fundari sententia, vt per Gabr. *de criminal. conclus. 29. numer.* 1. & 15. & istam opinionem sæpius Rota sequuta fuit. Sed videbatur Dominis quòd iste casus sit extra omnem difficultatem illius quæstionis: quia primum examen est solemne, & cum citatione partis, & reuocatio est informis, & sine citatione Dominorum de Rangonibus, quibus ex prima depositione erat ius quæsitum, & postea isti testes recesserunt à reuocatione primæ depositionis, confirmando primam cum interrogatorijs Dominorum de Pallauicinis; & etiam adhibita tortura. Et in hoc casu non reperitur aliquis, qui dicat, quod primo di-
2 cto sit adimenda fides in totum: & † cum materia sit arbitraria, & in hoc attendantur coniecturæ, & verisimilitudines, ista omnia saltim reddunt turbidam reuocationem primæ depositionis, & inducunt animum Dominorum, vt isti testes non sint in totum repellendi: præsertim concurrente detentione precedenti istorum testium, in Castro Varani, & modo reuocationis.

Non obstat, quòd cum reuocatione primi dicti, concurrit etiam sententia condemnatoria de falso de anno 1536. Quia quatenus ista sententia deducitur ad effectum, quod afficiat Rangonos, etiam fuit resolutum, quòd eos non afficit: & ista decisio præsupponitur in præsenti disputatione. Et ideo non percutiunt hoc Dubium, quæ dicuntur de defectu integri processus, & de scientia Comitis Ludouici, Quatenus verò deducitur ad effectum, quòd ex eo testes sint effecti infames, & ideo eis non sit credendum; & neq; ista sententia, neq; alia de anno 1546.
3 suffragatur Dominis de Pallauicinis: Quia † sententia condemnatoria de falso solum inhabilitat respectu noui examinis, & non reddit nullum examen precedens, Io. de Anan. *in cap. fraternitatis numer. 6. & ibi* Anchar. *num. 1. de hæretic.* Abb. *consi. 16. in fin. lib. 8.* & sentit Paulus de Castro *in leg. 2. num. 10. Cod. de fid. instru.* Et dicebant Domini, quòd si sola reuocatio primi dicti non tollit fidem in totum testibus, neque debet tollere sententia condemnatoria, quando solum est fundata in ista reuocatione, & non iustificatur ex actis falsitas, vel aliunde.

Distinctio vero, quæ fit per informantes, inter condemnationem de falso, per eandem depositionem, vel per diuersam, non nititur, neque ratione, neque auctoritate Doctorum. Quia Gabr. Aim, & Grammat. qui allegantur, non tangunt istam difficultatem.

Non obstant auctoritates Doctorum, quòd credi-
4 tur † testi affirmanti se falsum deposuisse: quia hoc
5 non † habet locum in præiudicium partis, cui ius fuit quæsitum ex prima depositione iuxta, communem opinionem Doctorum, in his terminis, quam Rota sequitur. Et tanto magis, cum concurrant reuocatio istius secundæ depositionis, cum interrogatorijs, & tortura, & alia adminicula, vt supra dictum fuit.

SABINEN. TENVTÆ COLLIS RAMPOLI.

Veneris 6. Aprilis 1601.

ARGVMENTVM.

Concessio Tenutæ non extenditur ad terras, non expressas in concessione.

SVMMARIVM.

1 *In materia ampliationis, & extensionis concessionum, requiritur probatio plena, & concludens.*

2 *Verba generalia recipiunt limitationem à verbis subsequentibus.*

3 *Dictio, Videlicet, posita post genus, vel nomen appellatiuum, stat restrictiuè.*

4 In-

4 *Inclusio terrarum intra aliquos fines esset inutilis, si non excluderet terras existentes extra illos fines.*

5 *Tota Tenuta possessa ab emphyteota, præsumitur emphytheotica, nisi aliud probetur: Dummodo inuestitura non sit limitata intra certos fines, & num. 6.*

7 *Onus probandi, quòd terræ non expressæ in emphyteusi, sint emphyteoticæ, spectat ad dominum directum. Præsertim, si agit ad caducitatem, & num. 8.*

DECISIO CCLXII.

CApitulum Ecclesiæ Sancti Iuuenalis de Narnia concesserat de anno 1489. ad tertiam generationem Alexandro, & Paulo de Maleano vnum podere solitum locari, positum in territorio Maleani, in vocabulo Collis Rampoli: videlicet totum planum, Collis Rampoli positum intra rupes, & omnem aliã iurisdictionem, quam habet dicta Ecclesia Sancti Iuuenalis in dicta tenuta de dicto podere. Et cùm esset factus locus deuolutioni ob lineam finitam, orta est dubitatio post tres sentẽtias conformes ad fauorem Capituli, circa vim compræhensiuam illius concessionis, An sit restricta ad terras existentes intra rupes, vel compræhendat etiam terras existentes vltra rupes, Et Causa per plures positiones plenè discussa, fuit resolutum, quòd fines illius concessionis non extenduntur vltra rupes.

1 Ratio potissima resolutionis fuit: Quia † in hac materia requiritur probatio plena, & concludens, Caputaqu. *decis. 96. lib. 2. in manuscript.* & fuit resolutum coram me *in Causa Romana Domus 11. Maij* 1592. Et ex instrumento locationis cuius vigore agitur; & in quo principaliter Capitulum fundat intentionem suam, non resultat probatio plena, & concludens ad eius fauorem, quòd locatio se extendat vltra rupes.

2 Quia illa † verba, *vnum podere positum in territorio Malleani in vocabulo Collis Rampolli*, etiam si essent apta compræhendere totam tenutam, recipiunt limitationem, & restrictionem ab alijs verbis immediatè sequentibus; videlicet, totum planum positum intra rupes: ex quibus restringitur concessio ad terras positas intra rupes, tam ex natura dictionis, *videlicet*,

3 quæ † quando est posita post genus vel nomen appellatiuum, stat restrictiuè, Ruin. *cons. 97. num. 13. & 15. lib. 2.* Dec. *cons. 47. sub num. 2.* Curt. Iun. *cons. 245. nu. 9.*

4 *lib. 5.* Quàm etiam ex natura inclusionis † intra rupes, quæ esset inutilis, & sine effectu operandi, si non excluderet terras existentes extra rupes. Et licet in continenti subdatur, *Et omnem aliam iurisdictionem, quàm habet dicta Ecclesia in dicta tenuta de dicto podere*: Tamen ista verba secundũ Dominos non important corpus aliquod, & dominium vtile aliarum terrarũ, diuersum, & separatum ab eo, quod prius fuit expressum; sed important omne aliud ius, quod Capitulum poterat habere intra fines designatos, & sic infra rupes: & perinde est, ac si fuisset dictum, quòd Capitulum locabat planum positum intra rupes cùm omni sua iurisdictione; quæ verba sunt solita apponi de stilo in similibus concessionibus.

Et hoc etiam Domini comprobabant; Quia conceditur omnis iurisdictio in dicta tenuta de dicto podere, & cum concessio tenutæ fuerit restricta ad planum infra rupes vt supra dictum fuit, & iurisdictio vigore relationis ad dictam tenutam de dicto podere, & restricta ad terminos prioris concessionis, & consequenter verba, non possunt intelligi ampliatiuè, & extensiuè ad terras existentes vltra rupes, non expressas, immo exceptuatas in concessione. Et videbatur etiam Dominis multum inuerisimile, quòd contrahentes, qui restrinxerunt verba vniuersalia, quæ fortasse erant apta comprẹhendere totam tenutam, ad effectum vt locatio haberet solum locum in terris existentibus infra rupes, in continenti voluerit se corrigere, & sub illis verbis omnem aliam iurisdictionem compræhendere, etiam terras existentes vltra rupes. Et tanto magis, quia si ista erat eorum intentio, facilè poterant remouere omnem difficultatem, locando simpliciter totam tenutam sine restrictione ad planum intra rupes.

Non obstant instrumenta locationum, de anno 1395. & 1479. Quia non percutiunt tempus concessionis, & non concludunt quòd ista locatio se extendat vltra rupes. Tendunt enim ad probandum, quòd tota tenuta Collis Rampoli, erat Capituli; & quòd se extendebat vltra rupes, & continabat cum Lajs. Et ex his non infertur necessario, quòd tota tenuta fuerit postea compræhensa in hac concessione: præsertim, cùm sit restricta ad planum infra rupes. Et licet hodie tota tenuta possideatur ab eodem Domino; tamen hoc non suffragatur Capitulo, cum non probet concludenter, quod tota tenuta fuerit compræhensa in hac concessione, cuius vigore agitur. Et in hoc casu non applicàtur *cons.* Ruin. 50. *lib. 1.* quod

5 † tota tenuta possessa, ab emphyteota, præsumitur

6 emphyteotica, si aliud non probatur; cum † adsit

7 inuestitura limitata infra certos confines, & idcò † onus probandi, quòd terræ existentes extra fines, sint emphyteoticariæ, spectat ad Capitulum; vt in fortioribus terminis fuit resolutum *in Causa Asten. Feudi 27. Aprilis & 18. Iunij* 1584. *coram bon. mem. Bubalo.*

8 Et tanto † magis, cum Capitulum agat ad caducitatem, Caputaq. *dict. decis. 96. lib. 2.*

MACERATEN. CESSIONIS.

Lunæ 9. Aprilis 1601.

ARGVMENTVM.

Excluditur læsio in contractu cessionis. Vide Decisio 236.

SVMMARIVM.

1 *Dominium rei non venit in cessione, quando cessionario est concessus solus eius vsus pro certo tempore limitato.*

2 *Læsio non potest deduci ex omissione integræ descriptionis mercium, & creditorum singulariter, & nominatim, si in effectu sit descripta tota summa tam capitalis, quàm lucri.*

3 *Læsioni non est locus, nisi probetur, quòd credita tam assignata, quàm omissa, excedant debita.*

DECISIO CCLXIII.

POst tres sententias conformes opponebant Domini de Barnabò per viam exceptionis coram me, qui vltimam sententiam tuleram, quòd aderant alia bona, & credita, vltra descripta in inuentario; & quod in eo fuerãt creditores non veri; & ideo constabat de eorum læsione, & fuerant grauati. Et licèt in effectu nihil de nouo deducerent; tamen cùm à me peterent vt eos iterum audirem, volui eis satisfacere.

Et propositis hac die memorialibus loco Causę, Domini dixerunt quòd læsio non probatur: & hodie, eis visa est res clarior, cùm etiam ex relatione vltimi calculatoris constet, quòod æs alienum excedit creditum in notabili quantitate.

Non obstant quæ in contrarium deducuntur. Et primò, quòd in inuentario non est descripta nisi vnica apotheca, cùm essent duæ. Quia † dominium
1 apothecarum non venit in cessione, cùm concedatur solum cessionarijs earum vsus pro certo tempore limitato: merces verò, & credita apothecæ inferioris, licèt non fuerint singulariter descripta in inuentario, tamen ex hoc non infertur ad læsioné: quia non probatur quòd Domini de Barnabò posuerint, nisi capitale trium millium florenorum: & ideo etiam, quod fuissent duo socij, & non plures, non poterant finita societate, prætendere aliud, quàm capitale, quod posuerant, & eorum ratam lucri. Et cum lucrum totius societatis, deductis debitis, sit florenorum 1400. & tam capitale florenorum trium millium, quàm eorum medietas lucri florenorum 700. sint de
2 scripta in inuentario, non † potest deduci læsio ex omissione integræ descriptionis mercium, & creditorum: quia sufficit in effectu, quòd sit descripta tota summa, quàm ipsi prætendere poterant, & cessionarij consequi.

Non obstat secundò, quòd fuit omissa partita census scutorum 790. Quia iste census fuit creatus pro extinctione eiusdem summæ, in qua venditor census erat descriptus debitor in libris in diuersis partitis; & , vt apparet ex partita in libro spolij manu Antonij Mariæ Barnabò, hæc partita fuit comprehensa in summa florenorum 28139. descripta in inuentario: & ideo non debebat iterum apponi eadem partita eam duplicando in damnum cessionariorum.

Non obstat tertio omissio partitarum, quas exegit Cornelius Palmuecius. Quia quantum ad partitas ab eo exactas post cessionem, si Cornelius exegit florenos 4262. soluit florenos 5117. & sic maiorem summam, & consequenter cessat læsio.

Quo vero ad partitam florenorum 1308.10. exactam ante cessionem, non probatur concludenter, quòd ista partita non sit comprehensa in inuentario: Quia cùm in inuentario non sint descripta omnia credita singulariter, & nominatim, potest esse, quòd sub partita generali debitorum hæredum Dominici in summa florenorum 19409. 22. quæ remanet, deductis debitoribus exigibilibus, & alijs non veris, contineatur ista partita florenorum 1308. exacta à Cornelio: & ideo ex eo capite læsio non probatur concludenter, & per necesse. Et videbatur dominis cessare omnē difficultatē: quia etiam si ista partita exacta à Cornelio, & partita Census, non fuissent comprehensæ in inuentario, nihilominus, computata etiam partita scutorum 50. quæ fuit omissa, debi-
3 ta longe excedunt credita assignata: & cùm † non probetur quòd credita tam assignata in inuentario, quàm omissa, excedant debita, non potest esse locus læsioni.

Non obstat quòd fuerunt descripti in inuentario creditores non veri. Quia quantum ad creditum Communitatis Maceratæ in florenis 1200. licèt postea Dominicus fuerit declaratus creditor Communitatis in florenis 183. tamen in actis est producta fides Nicolai Gaspattini, & Io: Baptistæ Ferri, qui declarauerunt Dominicum creditorem in dicta summa florenorum 183. quòd summa scutorum 800. fuit soluta Communitati à cessionarijs: & ideo ista sententia non concludit, neque quod creditum Communitatis Maceratæ ab initio non esset verum, neque læsionem: quia potest esse quòd Dominicus fuerit declaratus creditor propter solutiones factas à cessionarijs.

Quo vero ad credita Fabij Aleuolini, & Simonis Fardini, licèt tota summa fuerit posita in debitum Dominici, qui erat solum debitor partis; tamen ab initio hoc non fuerat detectum, & ideo fuit posita tota summa in debitum ipsius, sed postea à cessionarijs fuit solum annotata summa vere debita: quod arguit totam summam, fuisse positam in debitum Dominici per errorem, & non animo fraudandi. Et nihilominus, etiam computatis istis partitis ad fauorem Dominorum de Barnabò, debitum longe excedit creditum.

IACEN PORTIONIS DE ANSO.

Veneris 4. Maij 1601.

ARGVMENTVM.

De Probatione Iurispatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiuæ antiquissimæ, concurrentibus adminiculis, probant Iuspatronatus.*

2 *Adminicula, & coniecturæ pro Iurepatronatus, & num. 4. 5. & 6.*

3 *Episcopi non solent esse faciles in instituendo præsentatos, si eis non constat de iure patronatus præsentantium.*

DECISIO CCLXIV.

PRoposui in hac Causa idem Dubium aliàs propositum, & resolutum coram bon. memor. Lipsio, An præsentatio Rectoris de Anno in ista portione ad fauorem Polycarpi, fuerit valida. Et quoniam plures difficultates excitabantur per informantes, idcirco Domini distinctè procedendo in hac positione, resoluerunt solùm constare de iure patronatus Rectoris, cum præsupposito, quòd iura sint in forma probanti.

Mouebantur ex tribus enunciatiuis antiquissimis in diuersis institutionibus Episcoporum, ad præsentationem Rectoris, vti patroni, de anno 1048. 1465.
1 & 1472. quæ † probant iuspatronatus, concurrentibus alijs coniecturis adminiculis, & præsumptionibus, Cassad. *decis. 2. de probation*, Dec. *consil. 117. in fin.* Achil. *decis. 6. de iur. patron.*

Adminicula autem, & coniecturæ in hoc casu plures concurrunt, & admodum vrgentes. Coadiuua-
2 tur enim ista probatio † ex alijs similibus enuntiatiuis in institutionibus Episcoporum de anno 1506. 1519. 1522. & 1539. quæ verisimiliter non emanassent si fuisset dubitatum de pertinentia iurispatrona-
3 tus; cùm † Episcopi non soleant esse faciles in instituendo præsentatos, si eis non constat de iure patronatus præsentantium, Rot. *dec. 11. de iur. patron. in nou.* Paleot. *decis. 23.* Ant. August. *in tit. comm. de iure patron.* §. 12.

4 Secundo multum mouit Dominos, quòd † præsen-
tatio de anno 1506. fuit canonizata per sententiam
Ordinarij de anno 1566. & habuit effectum, cùm te-
stes deponant de possessione præsentati, & idem præ-
sentatus, vti Portionarius, interuenerit in traditione
possessionis Rectoriæ moderni Rectoris. Et hoc pa-
cto probatur etiam effectuatio alterius præsentatio-
nis de anno 1519. Item probatur, quod habuit effe-
ctum alia præsentatio de anno 1539. ad fauorem Ga-
briellis Borquet, cùm eius possessio probetur per te-
stes. Et etiam alia præsentatio, ad istam portionem
de anno 1518. cùm de possessione præsentati constet
per instrumentum, & per collationem Episcopi de
5 anno 1537. Et ideo cùm † probetur effectuatio tot
præsentationum, non potest negari quod ista quasi
possessio Rectoris multum coadiuuet probationem
iurispatronatus, Dec. *dict. cons.* 117. *num.* 2.

Tertio, multum etiam adminiculantur plures te-
6 stes, qui deponunt † de quasi possessione Rectoris, &
de pertinentia iurispatronatus ex publica voce, & fa-
ma; & alia sententia Ordinarij canonizatoria iuris-
patronatus, ad fauorem Rectoris, de eodem anno
1566. quæ licèt non sit antiqua, & exhibeatur sine
actis, tamen saltim facit magnum adminiculum. Et
Ex his Domini censuerunt, resultare sufficientem
probationem iurispatronatus ad fauorem Rectoris.

Reseruarunt autem Domini, vt particulariter vi-
deatur, An istud iuspatronatus sit ex dotatione, vel
fundatione? ex quo potissimum capite pendet reso-
lutio validitatis vel inualiditatis præsentationis Po-
licarpi.

Reseruarunt etiam, vt, si opus erit, videatur de ve-
ritate præsuppositi, An iura sint in forma probanti.

VERCELLEN. CAPELLANIÆ.

Lunæ 7. Maij 1601.

ARGVMENTVM.

Agitur de probando Iurepatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus concessum cum conditione, probatur, si constat de adimplemento.*

2 *In materia Patronorum præsentantium, multum defertur sententiæ Ordinarij.*

3 *Quando agitur solum inter prouisos, & Ordinarius non est in causa pro libertate Beneficij, sufficit leuior probatio, quoad personas præsentantium.*

4 *Præsentatio sustinetur, etiam ex alia vacatione non expressâ.*

5 *Præsentatio posterior sustinetur, quando anterior non habuit effectum.*

6 *Præsentatus à maiori parte, est instituendus.*

DECISIO CCLXV.

FVit resolutum constare de iure patronatus, & de
præsentatione facta à Patronis existentibus in
quasi possessione præsentandi; Et ideo Io: Baptistam
ab eis præsentatum esse instituendum.

Quantum enim ad existentiam iuris patronatus,
de ea non potest dubitari, cùm adsit concessio Sanctæ
mem. Pij Quinti ad fauorem Defendentis, & suorum
successorum pro duabus vocibus ex tribus. Et licet
ad effectum, vt sit locus gratiæ, requiratur adimple-
1 mentum constructionis Capellæ; tamen † adimple-
mentum satis probatur, cùm hodie Capella reperia-
tur constructa Abb. *cons.* 54. *num.* 2. *lib.* 1. Caputaqu.
decis. 371 *lib.* 1. *in manuscrip.* Et tanto magis, cùm vl-
tima præsentatio habuerit effectum. Quo vero ad
personas præsentantium, videbatur Dominis, satis
constare, quòd sint patroni, cùm concurrat sententia
2 Ordinarij, cui † in hac materia multum defertur,
Rota *decis.* 11. *de iure patronat. in nou.* & eorum quasi
3 possessio: præsertim, cum agatur solum inter † proui-
sos, & Ordinarius non sit in causa pro libertate be-
neficij: & ideo sufficit leuior probatio, Cassad. *decis.*
1. *de probat.*

Non obstat quòd præsentatio fuit facta ad istam
Capellaniam vti vacantem per priuationem, & non
per obitum, pendente tempore ad appellandum:
Quia sufficit quòd patroni postea fuerint prosecuti
4 suam præsentationem; cum † substineatur etiam ex
alia vacatione non expressa Rota *decis.* 16. *sub num.* 3.
de renunt. in antiqu. & fuit resolutum *in Causa Mediola-
nens. Iurispatronatus 3. Maij 1588. coram Illustrissimo
Cardinali Blanchetto.*

Non obstat quòd ista præsentatio, non substine-
tur, propter aliam præsentationem anteriorem fa-
ctam de persona Caroli. Quia fuit facta solum à
Francisco pro se, & Iacobo, qui non ratificauit: &
5 ideo † cùm ista præsentatio non habuerit effectum,
potuit postea fieri de nouo.

Non obstat quòd Petrus Franciscus, ex cuius per-
sona vacauit Capellania, fuit solum præsentatus à
Bernardino, & Eusebio de Dionysijs. Quia contro-
uertitur, an Eusebius sit de familia fundatoris. Præ-
terea, isti de Dionysijs habent solum iuspatronatus
pro vna voce, & illi de Porta, à quibus est præsenta-
6 tus Io: Baptista, habent duas voces: & ideo † vti præ-
sentatus à maiori parte est instituendus: Et licet A-
lexander obtinuerit gratiam Apostolicam; tamen ei
non suffragatur: quia Papa intellexit, quòd iuspatro
natus spectaret, pro medietate ad familiam, de Mo-
mis, & pro alia medietate ad familiam de Dionysijs;
& non potuit cogitare, quod Momi haberent duas
voces ex tribus: & ideo gratia est subreptitia.

MACERATEN. DOMVS, SEV SALVIANI.

Veneris 11. Maij 1601.

ARGVMENTVM.

De actione hypothecaria contra tutorem, & eius bona, pro redditione rationis.

SVMMARIVM.

1 *Actio personalis in Saluiano præscribitur spacio triginta annorum.*

2 *Actio hypothecaria competit pro redditione rationis, contra tutorem, & eius bona.*

Et præscribitur spacio quadraginta annorum, & num. 3.

Et ex hoc tempore subducenda est ætas pupillaris, & numero 4.

DECISIO CCLXVI.

DOmini resoluerunt, quòd sententia lata in Sal-
uiano contra Bernardinam hæredem tutoris,
non redditur iniusta ex eo capite, quòd intrabat præ-
scriptio, & consequenter non erat locus Saluiano.

1 Quia licet † in hoc casu sola actio personalis præscribatur spacio 30. annorum, vt per Purp. *cons.* 339. Tamen, præscripta actione personali, non est præscripta
2 eodem temporis spacio actio hypothecaria, quæ † competit pro redditione rationis contra tutorem, &
3 eius bona, *leg. pro officio, Cod. de adminis. tut.* sed † requiritur spacium 40. annorum, *leg. cùm notissimi.* §. t. & ibi Salic. *num.* 3. *Cod. de præscrip.* 30. *annorum*, & fuit resolutum *in Causa Romana Domus de Bucchis* 29. *Aprilis* 1577. *coram S. D. N.* & postea idem fuit resolutum *in Causa Romana fideicommissi* 24. *Ianuarij* 1586. *coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto*. Et ideo necessarium est docere, quòd effluxerint 40. anni à die, quo fuit
4 finita tutela per obitum tutoris: & ex † hoc tempore subducenda est prima ætas pupillaris Camillæ, *leg. vltima, Cod. in quibus casibus rest. in integrum, non est necess.* Et propterea, cùm non probetur iste cursus 40. annorum post finitam tutelam, & de tempore, quo Camilla poterat agere, hypotheca non erat extincta; & consequenter sententia non potest dici iniusta ex isto capite, quòd non competebat amplius Saluianum, propter præscriptionem hypothecæ.

LVCANA CAPELLANIÆ.

Lunæ 21. Maij 1601.

ARGVMENTVM.

De iustificatione Gratiæ, circa vacationem expressam, & circa valorem; Item. De regula triennali.

SVMMARIVM.

1 *Possessio triennalis Beneficij inducit præsumptionem dispensationis, & alterius tituli validi, & num.* 2.
3 *Regula de triennali suffragatur ei, qui per triennium post decretum remansit in possessione.*
4 *Declaratur Decisio coram Corduba in* Corduben, *Capellaniæ; & alia coram Pamphilio in* Calaguritana *Canonicatus.*
5 *Narratiua valoris non percutiens tempus Gratiæ, non releuat.*
6 *Testes deponentes de valore per assensum non probant, si valor est expressus negatiuè per non excessum.*

DECISIO CCLXVII.

Dubitaui in hac Causa, An gratia Dominici sit iustificata? Et quoniam dicta gratia plura continet, quæ sunt iustificanda; Domini quo ad habilitates ipsius, existentiam Capellaniæ, & possessionem Bernardini vsque ad obitum simul cum Canonicatu, sine difficultate concluserunt gratiam esse iustificatam: quia ista omnia concludenter probantur per testes. Difficultas fuit inter Dominos circa vacationem expressam, & circa valorem. Et in illis resoluerunt gratiam non esse iustificatam.

Quantum enim ad vacationem, illa deducitur vigore decreti, quod Bernardinus teneretur infra certum tempus dimittere Canonicatum; aliàs tam Canonicatus, quàm Capellania, vacarent eo ipso: & cum Bernardinus, post decretum continuauerit in possessione Capellaniæ vltra triennium, excluditur ista vacatio ob dimissionem non factam in tempore; quia stante possessione triennali ipsius Bernardini, est
1 locus allegationi Lapi, quæ inducit præsumptionem
2 dispensationis Chisanen. *decis.* 14. & † alterius tituli validi, Cassad. *decis.* 2. *de caus. poss. & propr.* Guido *decis.* 1. Mohed. *decis.* 24. Et consequenter remanet vacatio Capellaniæ ex persona Bernardini, Cresc. *decis.* 257. Caputaq. *decis.* 92. *lib.* 1. *in manuscrip.* Et in ter-
3 minis regulæ de triennali, quòd † suffragetur ei, qui per triennium post decretum remansit in possessione, fuit resolutum *in Causa Corduben. Capellaniæ* 25. *Octobris* 1596. & 24. *Ianuarij* 1597. *coram R. P. D. Corduba*; & sentit Sarnen. *super dicta reg. quæst.* 10.
4 Resolutionem † verò Illustrissimorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum intelligebant Domini procedere iuxta terminos illorum Decretorum, quæ in ea decisione citantur; in quibus casibus non solet dispensari. Et in his terminis procedit, etiam decisio, quæ allegatur per informantes, *in Causa Calaguritana Canonicatus coram R. P. D. meo Pamphilio.* Et ideo illæ decisiones non sunt extendendæ ad hunc casum, ita vt possessio triennalis non suffragetur aduersus decretum, & consequenter intret vacatio ob non seruatam illius formam.

Quo vero ad valorem expressum; pariter dixerunt Domini, gratiam non esse iustificatam: Quia narratiua facta in prouisionibus de anno 1573. & de anno 1580. non suffragatur ad illum effectum,
5 cùm † istæ prouisiones non percutiant tempus huius gratiæ, Oldrad. *cons.* 58. *num.* 1. Cassad. *decis.* 19. *in fin. super reg.* & fuit sæpius resolutum. Testes vero non
6 concludunt; quia † valor est expressus negatiuè, & primus, & tertius deponit de ascensu: secundus autem est vnicus, & ignorat quantitatem fructuum.

VALENTINA PENSIONIS.

Veneris 25. Maij 1601.

ARGVMENTVM.

De reseruatione pensionis, non facta mentione alterius primò impositæ super eodem Beneficio.

SVMMARIVM.

1 *Reseruatio pensionis, non facta mentione alterius primò impositæ, est inualida.*
2 *Amplia, vt procedat, etiamsi prima pensio esset conditionalis.*
3 *Clausula.* Dummodo remaneant centum pro Rectore, *non infert scientiam Papæ primæ reseruationis.*

DECISIO CCLXVIII.

Fvit resolutum, gratiam reseruationis pensionis
1 esse inualidam. Quia in ea † non est facta mentio de pensione prius imposita super ista Parochiali, ad fauorem Seminarij, Cassad. *decis.* 3. *de pens.* Caputaqu. *dec.* 301. & 312. *par.* 2. Accoramb. *dec.* 16. Et ista ex-
2 pressio est necessaria, etiam quod † prima pensio esset conditionalis; vt fuit resolutum in Causa *Conchen. Medietatis fructuum* 30. *Aprilis* 1568. Et Clausula, *dummodo remaneant centum pro Rectore*, tendit ad aliũ
3 effectum, & ex † ea non infertur ad scientiam Papæ primæ reseruationis: à qua scientia pendet validitas secundæ.

ALGAREN. DECIMARVM ANIMALIVM.

Luna 4. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Reijcitur præsumptio solutionis Decimarum.

SVMMARIVM.

1 *Sola tarditas creditoris non inducit præsumptionem solutionis.*
2 *Depositum Decimarum debet fieri in Cœmeterio.*
3 *Depositum non integrum non releuat: neque excusat recusatio Rectoris, & num. 4.*
5 *Index laicus est omnino incompetens in Causis Decimarum.*

DECISIO CCLXIX.

FVit resolutum, non constare de sufficienti solutione decimarum de anno 1576. Quia solutio realis non probatur; & præsumptioni non est locus:
1 quia non sufficit † sola tarditas creditoris ad istum effectum inducendi præsumptionem solutionis; vt late deducunt informantes. Et cessat omnis difficultas: quia fuit mota lis de dicto anno 1576. & fuerunt depositata animalia, & Rector recusauit recipere: & ideo non potest dici quòd Rector fuerit negligens in petendo debito tempore. Depositum verò non suffra-
2 gatur: quia non fuit factum in Cæmeterio, vbi † debebat fieri, Bald. & Salic. *in leg. acceptam, Cod. de vsur.* Et tanto magis, quia nō fuit abdicatum dominium, cùm postea fuerit recuperatum, ad effectum deponendi in Cæmeterio; tamen istud depositum factum
3 in Cæmeterio non fuit † integrum, & ideo non releuat; vt per Bald. & Salic. *in dict. leg. acceptam.*
Non obstat recusatio Rectoris. Quia illa recusa-
4 tio non excusat, † quod Depositum non deberet fieri in loco congruo, & integrum.
Non obstat quod depositum fuit factum de man-
5 dato Iudicis. Quia † iudex laicus est omnino incompetens Put. *dec. 361. lib. 1.* Sarnen. *in reg. de ann. quest. 46.* Et tanto magis, cùm quæstio esset circa tempus solutionis Decimarum.

PARMEN. STATVS.

Luna 4. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

De contrarietatibus in dictis testium, quæ conciliari nequeant. Et an testes ob tales contrarietates sint repellendi in totum.

SVMMARIVM.

1 *Contrarietas, etiam in non substantialibus, repellit in totum testes, qui reuocauerunt primam depositionem.*
2 *Neque eis suffragatur protestatio facta in secundo examine, quòd non intendunt recedere à prima depositione.*

DECISIO CCLXX.

POstquam Domini firmarunt in hac Causa, quod Bernardinus Montaninus, Io: de Vbertis, & Togninus Fasanus, testes examinari pro parte Dominorum de Rangonibus, licèt paterentur maximam diminutionem, tamen non erant in totum repellendi, si contrarietates in dictis non obstabant: Proposui Dubium, An adsint tales contrarietates, ita quod isti testes sint in totum repellendi. Et Domini illud distinxerunt in duas difficultates. Prima difficultas fuit, An adsint tales contrarietates in dictis, quæ non possint conciliari.

Secunda difficultas fuit. Præsupposito, quòd adsint contrarietates, An sint tales, ita vt isti testes sint in totum repellendi?

Quantum ad primam difficultatem, depositioni Io: de Vsbertis opponuntur duæ contrarietates. Et primo dicitur, quòd in primo examine super quinto Capitulo deponit quòd ipse non vidit ostia proiecta: Et in secundo examine super 17. Cap. deponit quòd vidit portas in terra iacentes. Huic contrarietati datur conciliatio per informantes pro Dominis de Rangonibus: quòd testis non vidit portas proiectas in ipso actu proiectionis, qui fuit de nocte; sed postea de die vidit portas proiectas, prout deponit in secundo examine. Ista conciliatio non placuit Dominis: Quia testis, in primo examine deponit, quòd licèt ipse non viderit ostia proiecta, tamen intellexit publicè, quòd homines loci Zibelli viderunt, & videre potuerunt ea proiecta; & quod erat publica vox, & fama, quod erāt proiecta propter raptum. Et ideo cùm testis affirmet non vidisse ostia proiecta, & fundet solum suam depositionem in auditu publico, quòd homines loci Zibelli viderunt ea proiecta; ista qualitas de auditu publico, quòd homines loci viderunt, non conuenit ipsi actui proiectionis de nocte: & tanto magis, cum testis deponat, quòd vicini non fuerunt ausi currere ad rumorem. Mouit etiam maxime Dominos: quia agebatur de probando raptu Catherinæ: & cum ad istum effectum ista qualitas proiectionis portarum esset magni momenti, si testis vidisset de die portas proiectas, non restrinxisset suam depositionem ad solum auditum, quòd fuerant visa proiecta ab hominibus loci.

Alia opponitur contrarietas huic testi. Quia in primo examine deponit de auditu de actibus impudicis Bernardini cum Martha, & quòd ipse nunquā vidit ipsum Bernardinum accedere ad Martham, nec ad eius domum: & tamen in secundo examine deponit vidisse actus impudicos Bernardini cum Martha in domo mariti ipsius Marthæ. Ista contrarietas visa est Dominis posse conciliari: Quia vtrumque, dictum potest stare; cùm in primo examine testis loquatur de accessu ad domum Marthæ, & in secundo de actibus impudicis in domo Mariti Marthæ.

Tognino opponuntur tres contrarietates, ex quibus duæ non placuerunt Dominis. Quod enim primo dicitur, quòd in primo examine deponit, quòd vidit, & cognouit, & in sua domo comedit cum patre Catherinæ, & Marthæ, & in secundo examine dicit quod illum vidit in Ciuitate Mediolani, & quòd tunc audiuit quod erat pater Catherinæ, & Marthæ, & quod aliter eum non cognouit. Ista contrarietas potest euitari ex diuersitate temporis: Quia initium cognitionis potuit habere originem à simplici auditu in Ciuitate Mediolani, & tunc aliter eum non cognoscebat; sed postea successiuè habuit cognitionem, perfectam, etiam comedendo cum eo in domo sua, prout deponit in secundo examine.

Item alia contrarietas, circa cognitionem carnalem, & actus inhonestos Bernardini cum Martha,

 po-

poteſt etiam euitari; cùm poſſit verificari depoſitio
teſtis in diuerſis actibus, tam tempore, quo aſſocia-
bat Bernardinum, quàm poſtea, dum Bernardinus
erat in domo Marthæ.

Tertia, & vltima opponitur contrarietas. Quia in
primo examine ſub 6. deponit quòd fuit præſens die
ſequenti poſt raptum, quando Io: Petrus conqueſtus
fuit cum Io. Franciſco patre Bernardini de raptu v-
xoris: & tamen in ſecundo examine deponit ſolum
de auditu de iſta quærela, & negat ſe aliud ſcire, niſi
prout ſupra depoſuit. Iſta contrarietas ſecundum
Dominos non poteſt conciliari; Quia in vtroque
examine teſtis deponit, de eadem quærela poſt diem
raptus; & verba teſtis in ſecundo examine de viſu,
quæ ponderantur per informantes pro Dominis de
Rangonibus, non concernunt iſtud factum quærelæ
die ſequenti, cum Io: Franciſco in quo conſiſtit con-
trarietas; ſed ſolum deponit, quòd vidit, & audiuit
quod Io: Petrus conquerebatur, cum alijs de raptu
vxoris.

Quantum ad ſecundam difficultatem, Domini di-
xerunt, quòd cùm fuerit reſolutum, circumſcriptis
contrarietatibus, iſtis teſtibus non eſſe adhibendam
fidem, niſi cum maxima diminutione; nunc additis
iſtis cõtrarietatibus, ſunt in totum repellendi. Quia
1 cùm † iſti teſtes ſint multum ſuſpecti, propter reuo-
cationem primæ depoſitionis, vt viſum fuit in alijs
poſitionibus, contrarietas etiam in non ſubſtantia-
libus eos repellit, gloſ. *in cap. cauſam, quæ, in verſicul. tempore*, & *ibi* Innoc. Bald. & alij, *de teſtibus*, Miliſ. *in verſic. teſtis quando eſt ſuſpectus*, & *in verſ. teſtis ſi in vno dicit falſum*, Grammat. *conſ.* 1 *num.* 8. *&* 9. *& conſ.* 21. *num.* 28. Natt. *conſ.* 315 *num.* 11. Et tanto magis, cùm
iſtæ contrarietates ſint multum conſiderabiles, &
concernant ipſum factum raptus.

Non obſtat proteſtatio, facta in ſecundo exami-
ne, quòd non intendebant recedere à prima depoſi-
2 tione: Quia quando † teſtes ſunt ſuſpecti, & ſunt
examinati per extenſum, iſta cautela non ſuffraga-
tur, Felin. *in cap. cum in tua, ſub num.* 1. *verſ. fatetur tamen, de teſtibus*, Tiber. Decian. *reſp.* 48 *num.* 8 *lib.* 5. &
ſentit Florian. *in leg.* 1. *num.* 4. *ff. de teſtib.* & poſt eum,
& alios quos citat Natt. *in conſ.* 537. *num.* 11.

TIRASONEN. IVRIS NOMINANDI PRÆDICATOREM.

Veneris 8. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Ius eligendi Prædicatorem in Cathedrali, ſpectat ad Epiſcopum.

SVMMARIVM.

1 *Munus prædicandi, ſpectat de Iure communi ad Epiſcopum.*

2 *In Eccleſia Tiraſonenſi, ius eligendi Prædicatorem ſpectat ad Epiſcopum, ex Decreto particulari, Congregationis Concilij: Licet Præbenda Canonicalis fuerit ſuppreſſa, & vnita pro ſalario Prædicatoris, & numero 3.*

4 *Impenſa Prædicatoris ſpectat ad Epiſcopum. Intellige vt num. 5.*

DECISIO CCLXXI.

Domini reſoluerunt, ius eligendi Prædicatorem
in Eccleſia Cathedrali, ſpectare ad Reueren-
1 diſſimum Epiſcopum. Quia de † Iure communi mu-
nus prædicandi ſpectat ad Epiſcopum per ſe, vel per
alium, *cap. inter cætera de offic. ordin.* & datur particu-
laris reſolutio congregationis Illuſtriſſimorum
Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum,
2 quod ex † diſpoſitione eiuſdem Concilij electio Præ-
dicatoris in hac Eccleſia ſpectat ad Epiſcopum, licèt
Præbenda Canonicalis fuerit ſuppreſſa, & vnita pro
ſalario Prædicatoris: &, vt eadem Sacra Congrega-
3 tio cenſuit per decretum *cap. 4. ſeſſ. 24.* ſunt † ſublata
priuilegiata in contrarium, & conſuetudines etiam
immemorabiles.

Quantum ad impenſam, Domini dixerunt, quòd
4 † ſpectat ad Epiſcopum, qui habet ius eligendi Præ-
dicatorem. Nec faciunt difficultatem illa verba
Concilij, *impenſis eorum, quæ eas præſtare, vel tenentur, vel ſolent*: Quia neque Concilium loquitur de Prædi-
catore in Eccleſijs Cathedralibus, neque Capitulum
ad eas tenetur, vel probatur, quod ſit ſolitum præ-
ſtare aliquas impenſas Prædicatori.

5 Hoc tamen Domini intelligebant, quando † Epi-
ſcopus non vult vti opera Theologi in prædicando,
& vult deputare alium Prædicatorem: ſed ſi Epiſco-
pus permittat prædicare Theologum, ad quem ra-
tione officij ſpectat iſtud onus prædicandi, non tene-
tur ei aliquid præſtare, cùm habeat certum ſtipen-
dium cum iſto onere prædicandi.

ROMANA EXECVTIONIS.

Veneris 8. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

De nullitate mandati relaxati contra bona hæreditaria, non citato hærede.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum relaxatum contra bona hæreditaria, non citato hærede; vel, ſi hæreditas eſt iacens, ei non deputato, & citato curatore; eſt nullum.*

2 *Statutum Vrbis* l. 1. cap. 85. *requirit in relaxatione mandati citationem perſonarum, quæ ex hoc principaliter, lædi poſſunt.*

DECISIO CCLXXII.

Fvit reſolutum, mandatum non eſſe exequendum:
Quia fuit nulliter relaxatum contra bona hære-
1 ditaria, nec † citato hærede; & ſi hæreditas erat ia-
cens, ei non deputato, & citato curatore, qui repræ-
ſentaret perſonam hæredis, iuxt. *leg.* 1. *ff. de curat. bonis dando*, Angel. *in leg. dies cautionis, §. toties num.* 3. &
ibi Alex. *in §. Prætor. ait, num.* 4. *ff. de damn. infect.* Mat-
2 theſil. *ſingul.* 4. *num.* 7. Statutum vero † *lib.* 1. *cap.* 85.
cuius vigore petitur executio, requirit citationem
perſonarum, quæ ex hoc principaliter lædi poſſunt;
& ſic vel ipſius principalis debitoris, vel hæredis. Et
ideo cùm non fuerit ſeruata iſta forma, neque ex hoc
capite mandatum ſubſtinetur.

ARIMINEN. TRANSACTIONIS.

Mercurij 13. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Contractus quando declaratur nullus, is, qui dedit de nullitate, tenetur restituere ea, quæ accepit.

SVMMARIVM.

1 *Legi non præstat impedimentum, quod de Iure, non sortitur effectum.*
2 *Dans de inualiditate transactionis, potest audiri sine restitutione pignorum, & chirographi.*
3 *Petens executionem contractus, debet prius adimplere pro parte sua.*
4 *Petens annullationem contractus validi, debet adimplere pro parte sua, restituendo quod accepit.*
5 *Idem operatur propositum in proposito, quòd oppositum in opposito.*
6 *Dans de nullitate contractus, neque petit executionem contractus, neque distractum.*
7 *Contractus quando declaratur nullus, vel altera pars acquiescit; tunc, qui dedit de nullitate tenetur restituere quantum accepit.*

DECISIO CCLXXIII.

DOmini dixerunt quod Angelica non impugnat
transactionem, vti læsiuam, neque petit illius re
scisionem; qui sunt propriè termini legis, *si diuersa*,
Cod. de transact. sed dat de inualiditate, & nullitate
transactionis: in quo casu non procedit dispositio il-
1 lius legis: quia † non præstat impedimentum, quod
de iure non sortitur effectum, Natta *cons. 631. num. 7.*
Roland. à Valle, *cons. 7. num. 4. lib. 3.* Rimin. *cons. 5. nu.*
71. lib. 1. & fuit resolutum *in Causa Tirasonen. Iuris præ-*
sentandi 11. Februarij 1585. coram bon. memor. Episcopo
2 *Lauretano.* Et ideo † potest audiri sine restitutione
pignorum, & chirografi: Et placuit ratio diuersita-
tis, quæ adducitur ab Anchatano in *cons. 34. num.* 10,
3 quod † sicut ille, qui petit executionem contractus,
debet prius adimplere pro parte sua, *leg. Iulianus, §.*
4 *offerri, ff. de act. empt.* ita etiam debet † adimplere ex
parte sua, restituendo quod accepit, qui petit annul-
lationem contractus validi, & agit ad distractum.
5 Quia † idem operatur propositū in proposito, quod
oppositum in opposito. Quæ ratio cessat in eo, qui
6 dat de nullitate contractus: quia † neque petit exe-
cutionem contractus, neque distractum; licet in hoc
7 casu, quando altera † pars acquiescit nullitati, vel
contractus declaratur nullus, ille qui dedit de nulli-
te, teneatur restituere omnia quæ accepit. Et in his
terminis procedunt decisio *in Causa Recanaten. Tran-*
sactionis coram bon. memor, Gipsio, & *cons.* Bald. 376. *in*
fin. lib. 1. Abb. 62. *in fin. lib. 1.* & Aim. 83. *numer.* 1. &
aliæ auctoritates, & rationes, quæ deducuntur per
informantes.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE SPINIS.

Veneris 15. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

De remedio Legis Finalis, *Codic. de edict. Diui Adriani tollendo.*

SVMMARIVM.

1 *Probata descendentia, & identitate bonorum fideicommissariorum, est locus immissioni vigore, legis vltim.* Cod. de Edict. Diu. Adr. Toll.
2 *Restitutio bonorum non est necessaria, quando non versamur in primo fideicommissario.*

DECISIO CCLXXIV.

DOmini resoluerunt, Federicum, & Ascanium es-
se immittendos in possessionem domorum, de
1 quibus agitur, vigore, leg. vlt. *Cod. de edict. Diu. Adria.*
Tollend. Quia fideicommissum Francisci est clarum
ad fauorem Familiæ de Spina post obitum matris, &
Aurelij, & per testes probatur, quòd ipsi sunt de fa-
milia de Spina, & descendentes ex linea legitima na-
turali; & quod istæ domus possidebantur à Franci-
sco tempore obitus; & quòd postea decesserunt ma-
ter, & Aurelius: & ideo, cùm factus fuerit locus fidei
commisso ad eorum fauorem, eis competit remediū
dictæ legis vltimæ. Et non est necessaria restitutio,
cùm non versemur in primo fideicommissario, *leg.*
Sancimus, §. vltimo, & ibi Glos. *in versic. ipso iure, Cod.*
ad Sen. cons. Trebell.

ROMANA CENSVS.

Lunæ 18. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Excussio principalis debitoris, quando non sit necessaria in casu releuationis indemnitatis.

SVMMARIVM.

1 *Simplex promissor indemnitatis, regulariter non potest conueniri; nisi prius excusso debitore principali.*
2 *Limita, vt non procedat in promissione concepta cum clausula,* Penitus sine damno conseruare.
3 *Clausula,* Promittens releuare indemnem, & penitus sine damno conseruare, *continet promissionem defensionis, susceptionis litis, & liberationis à molestijs.*
4 *Fideiussori obligato, vti principalis principaliter, & in solidum, in forma Cameræ, non competit beneficium excussionis.*
5 *Termini susceptio impedit, vt non possit amplius opponi beneficium excussionis.*
6 *Protestatio clandestina, & facta per acta alterius Notarij, non releuat.*

DECISIO CCLXXV.

FVit per Dominos resolutum, D. Alexandrum po-
tuisse conueniri, non excussis Dominis de Cuppis
1 principalibus debitoribus: Quia licet regulariter †
simplex promissio indemnitatis, hoc ex natura sua
habeat, vt debeat apparere de damno, & quòd cre-
ditor à principali debitore satisfieri non possit; & id-
eo est necessaria excussio, Bart. *in leg. 1. num. 2. Cod. de*
conuen. fisci debit. lib. 10. & *in leg. quaro num. 4. ff. locat.*
Roman, *cons. 211. num. 2.* Cornel. *cons. 109. in fin. lib. 1.*
Marsil. *in rubric. de fideiuss. num.* 27. & fuit late dedu-
ctum *in Causa Romana Dobane salis 10. Decembris 1582.*
2 *coram R.P.D. Seraphino.* Tamen in hoc casu propter †
prægnantiam illius clausulæ, *Promisit indemnes rele-*
uare, & penitus sine damno conseruare, ita quod re. obli-
gatio D. Alexandri excedit terminos simplicis fide-
iussio-

iussionis de indemnitate, & † continet promissionem defensionis, susceptionis litis, & liberationis à molestijs. Bart. *in leg. pater, num. 1. ff. de dot. prçleg.* Ruin. *consl.* 187. *nume.* 7. *lib.* 1. Paris. *consl.* 109. *numer.* 37. *lib.* 1. Soccin. Iun. *consl.* 42. *num.* 1. *lib.* 4. Et ideo cùm D. Alexander sit obligatus in specie ad liberandum à molestijs, potuit conueniri sine excussione principalium debitorum, iuxta formam suæ obligationis, pro liberatione à molestijs illatis Cisbis ab Abbate Marascel lo; licet non constet quòd fuerint passi damnum. Et
4 tanto magis, quia ad omnia ista † est obligatus vti principalis, principaliter, & in solidum in forma Cameræ, & ideo cessat beneficium excussionis; vt fuit resolutum *in Causa Romana. Trium millium* 18. *Aprilis* 1586. *coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto*. Et hoc eo magis dicendum est, stante susceptione termini facta per D. Alexandrum cum confessione debiti; quæ
5 † impedit vt non possit amplius opponi ista exceptio
6 excussionis. Neque ei suffragatur protestatio: quia † est clandestina, & facta per acta alterius Notarij, vt per Doct. *in cap. cum M. de constit.* & *ibi* Rip. *num.* 22. & inter recentiores bene deducit D. Siluester Aldob. *in consl.* 33. *num.* 39. 40. & 41. & fuit resolutum in Causis, quæ referuntur per informantes.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 18. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Actio spolij non competit, non probato primo extremo. De nullitate, & iniustitia mandati. Vide Decisio 232.

SVMMARIVM.

1 *Primum extremum in spolio pendet à iustitia, & validitate mandati.*
2 *Immissio iudicialis sine expulsione, vel recognitione colonorum, non priuat possessione sua, si Iudex non processit ritè, & rectè.*
3 *Deficiente probatione primi extremi, actio spolij non competit.*
4 *Mandatum relaxatum, citato eo, qui fuit substitutus ab actore ad lites, quem non probatur fuisse constitutum à legitima persona, est nullum.*
5 *Mandatum relaxatum, vel executum pro summa excessiua, est iniustum.*
6 *Spoliatus à Iudice non potest sibi ius dicere, & propria auctoritate recuperare possessionem.*

DECISIO CCLXXVI.

Domini dixerunt, quòd omissa via spolij, videatur de bono iure in negotio principali: Quia
1 primum † extremum pendet à validitate, & iustitia mandati. Si enim mandatum est nullum, vel iniustū, non adest sufficiens probatio primi extremi: quia
2 † quando iudex non procedit ritè, & rectè, immissio iudicialis sine expulsione, vel recognitione Colonorum, non priuat possessorem sua possessione; vt fuit resolutum *in hac Causa*, & sæpius tantum in alijs. Et tanto magis cum Zelli contradixerint, & non habuerint se pro spoliatis; vt apparet ex literis Illustrissimi Cardinalis Aldobrandini. Et consequenter, deficien-
3 te † probatione primi extremi eis non competeret, actio spolij.

Dubitant autem multum Domini de validitate & iustitia huius mandati. Quantum enim ad validitatem, mandatum fuit relaxatum, citato Stepha-
4 no Lutio, qui † licèt esset substitutus ab actore ad lites; tamen non constat quod iste actor qui substituit, fuerit constitutus à legitima persona cum solemnitatibus requisitis, & si hoc non iustificatur, ex isto capite resultat nullitas mandati; vt per Bald. *in leg. qui aliena, §. quamquam, num.* 1. *in* 3. *not.* & *num.* 4. *ff. de neg. gest.*

Quo vero ad iustitiam, illa etiam redditur mul-
5 tum turbida: Quia mandatum fuit relaxatum † pro summa scutorum 800. vigore instrumenti, quod erat simulatum in summa scutorum 500. Secundò, quia fuit reformatum in scutis 471. & nihilominus fuit executum pro tota summa. Tertio, quia saltim in aliqua parte mandatum est detectum iniustum, ex depositionibus testium, qui de nouo sunt examinati; vt latius fuit deductum in alia resolutione. Et ideo, cum istud mādatum patiatur tot difficultates releuantes, Domini volunt quòd iuxta stilum Rotæ videatur negotium principale.
6 Non obstat quòd † spoliatus à Iudice non potest sibi ius dicere, & propria auctoritate recuperare possessione: Quia istud fundamentum præsupponit, quod Zelli amiserint possessionem, & postea eam recuperauerint: & , si mandatum est nullum, vel iniustum, illud prçsuppositum cessat: quia Zelli nūquam amiserunt suam possessionem, neque tractant de ea recuperanda.

BONONIEN. TRANSLATIONIS PENSIONIS.

Veneris 22. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

De Priuilegijs Conclauistarum.

SVMMARIVM.

1 *Translatio pensionis potest fieri à Conclauistis coram quibuscunque Ordinarijs locorum, vel Canonicis Metropolitanarum, vel aliarum Ecclesiarum, ex Priuilegio Sixti Quinti.*
2 *Copia impressa non facit fidem sine subscriptione Notarij, & sigillo alicuius personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ.*
3 *Declara, vt hoc non requiratur ad effectum validitatis translationis extraiudicialis: sed sufficit quòd tempore oppositionis exhibeatur in forma probanti, & num. 4.*
5 *Priuilegium publicatum, & insertum in Bullario, non potest dici copia simplex, ita vt Executor non potuerit illi adhibere fidem.*
6 *Facultas transferendi non comprehendit pensiones impositas super Cathedralibus, quæ sunt speciali nota dignæ.*
Contrarium quoad Conclauistas, ob Priuilegium eis concessum, & num. 7.
8 *Derogatio Concilij Lateranensis nō est necessaria in translatione, quando fuit apposita in prima reseruatione pensionis.*
9 *Capitulo*, Nuper de decim. *censetur derogatum per derogationem Conciliorum generalium, cum clausula*, Quorum tenores.

DE-

DECISIO CCLXXVII.

DOmini resoluerunt, translationem pensionis
esse validam, Quia de facultate executoris non
potest dubitari, cum ista translatio sit facta coram
Canonico Ecclesiæ Collegiatæ Sãctę Marię in Trans-
1 tyberim: Et in priuilegio † concesso conclauistis à
felic. recor. Sixto Quinto, ista facultas tribuitur qui-
buscunque locorum Ordinarijs, vel Canonicis Me-
tropolitanorum, vel aliarum Ecclesiarum: & in simi-
li translatione pensionis fuit resolutum *in Causa A-
drien. Pensionis 20. Decembris 1593. coram Reu. P. D.
meo Pamphilio*.

Non obstat, quòd coram eo non fuerunt produ-
cta priuilegia in forma probanti, sed solum copia im-
2 pressa, quæ † non facit fidem sine subscriptione No-
tarij, & sigillo alicuius personæ in dignitate Eccle-
siastica constitutæ. Quia licet in iudicio, parte oppo-
nente, ad effectum concludentis probationis requi-
ratur subscriptio Notarij, & sigillum personæ in di-
3 gnitate Ecclesiastica constitutæ; tamen † ad illum
effectum validitatis trãslationis extraiudicialis suf-
ficit copia impressa, cùm ex ea iudex satis reddatur
certus de sua iurisdictione; vt fuit resolutum *in Cau-
sa Lucana Pensionis 17. Februarij 1592. coram bon. mem.
Orano*, in qua assertur simile de litteris insertis in pro
cessu fulminato, quæ non sunt in forma probanti, &
nihilominus translatio illarum vigore facta ab exe-
4 cutore substinetur, & † sufficit quod tempore oppo-
sitionis exhibeatur in forma probanti, Put. *dec.* 246.
lib. 3. Achil. *dec.* 2. *de offic. deleg. & decis.* 7. *de pens.*

Mouit etiam Dominos, quòd ista priuilegia con-
cessa Conclauistis erant notoria in Curia; & quòd
5 ista non potest dici † simplex copia, cùm fuerit pu-
blicata, & impressa, & inserta in Bullario: & ideo
executor potuit adhibere fidem huic copiæ impres-
sæ, Achil. *dict. dec.* 2.

6 Non obstat quod ista facultas transferendi † non
compræhendit pensiones impositas super Ecclesijs
Cathedralibus, quæ sunt speciali nota dignæ, *cap.* 2.
*cap. dilectus, de concess. præbend. cap. quamuis §. 1. de præ-
7 bend*. Quia in priuilegio conceditur † Conclauistis
facultas transferendi quascunq; pensiones, super qui
busuis fructibus quorumcunque beneficiorum Ec-
clesiasticorum: & ideo propter vniuersalitatem, &
prægnantiam istorum verborum, compræhendun-
tur pensiones impositæ super Ecclesijs Cathedrali-
bus; vt fuit resolutum *in Causa Ciuitaten. Pensionis 5.
Decembris 1567. coram Dradino*; & postea, materia
plene discussa, *in Causa Farnen. Pensionis 14. Aprilis
1578. coram S. D. N.* in qua latissime respondetur om-
nibus, quæ in contrarium deducuntur per informan-
tes pro Reuerendissimo Archiepiscopo.

Non obstat, quòd non fuit derogatum Concilio
8 Lateranensi; Quia sufficit † quòd ei fuerit deroga-
tum in prima reseruatione pensionis, Cresc. *dec.* 238.
Fab. *dec.* 59. Anton. August. *de translat. pens.* §. 6. Et in-
tellectus, qui datur per informantes, quòd illæ deci-
siones procedunt, quando eodem tempore fuit reser
uata pensio, & concessa facultas transferendi, non
placuit Dominis: Quia fundamentum decisionum
non consistit in hoc, quòd pensio sit vel non sit reser-
uata, eodem tempore, cum facultate transferendi;
sed quod pensio translata, est eadem pensio, & quòd
non inducitur nouum grauamen Ecclesiæ: Et ideo
sufficit vnica derogatio.

Aliqui etiam ex Dominis existimabant, quòd si
derogatio esset necessaria, sufficeret generalis dero-
gatio Conciliorum generalium, cum clausula, *quo-
9 rum tenores*; vt in † terminis derogationis Capituli,
nuper, de decimis; fuit resolutum *in Causa Conchen. E-
xemptionis decimarum 27. Martij 1589. coram bon. mem.
Orano*.

NICOTEREN. DONATIONIS.

Veneris 22. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Mandatum probatur ex præsumptionibus, & con-
iecturis. Donatio remuneratoria ex quibus digno-
scatur.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum probatur ex præsumptionibus, & coniecturis.*
2 *Coniectura pro mandato, & num. 3. 4. & 5.*
3 *Iura ad fauorem alicuius non potest quis verisimiliter ha-
bere, nisi ab ipsomet, de cuius interesse agitur.*
6 *Donatio remuneratoria consistit in seruitijs de præterito,
non in seruitijs præstandis de futuro, & num. 8.*
7 *Donatio inter viuos, cum promissione de non reuocando,
etiam ex causa ingratitudinis reuocari non potest.*
9 *Factum donatarij contra donationem reuocatam, ei non
præiudicat, si de Iure communi reuocatio, non est va-
lida.*
10 *Error iuris non nocet idiotæ.*
11 *Confessio extraiudicialis, non probatur per testes singula-
res.*

DECISIO CCLXXVIII.

IN prima propositione huius Causæ Domini fue-
rant concordes, quòd non esset locus executioni
sententiæ A. C. cum sit vulnerata per sententiam re-
uocatoriam Domini de Caualerijs: Sed quia contra
illam sententiam A. C. opponebatur nullitas, & in-
iustitia, fuit restricta difficultas, vt videretur; An es-
set valida, & iusta, ita vt esset confirmanda vel reuo-
canda. Et eam per plures positiones plene discussa,
fuit resolutum sententiam A. C. esse validam, & iu-
stam, & ideo confirmandam.

Quantum enim ad nullitatem, illa deducitur, ex
1 defectu mandati Marci Antonij Cybi, & cùm † man-
datum probetur præsumptionibus, & coniecturis,
Innoc. & alij *in cap. ex parte Decani, de rescrip.* Curt. Sen.
cons. 76. Fab. *dec.* 23. *lib.* 1. Put. *dec.* 362. *lib.* 1. Caputaqu.
decis. 85. *lib.* 2. hic concurrunt coniecturæ multum
vrgentes, quòd Marcus Antonius vere esset procura-
2 tor Episcopi. Primo, quia † iudicium fuit cœptum, &
continuatum contra eum, vti procuratorem Episco-
pi sine contradictione. Secundo, quia ipse produxit
examen testium, & alia iura in fauorem Episcopi;
3 quæ † verisimiliter nõ potuit habere aliunde quàm
ab ipso Episcopo, Alexa. *in leg.* 1. *col.* 2. *Cod. de procur.*
Abb. *cons.* 7. *col.* 2. *lib.* 2. Rom. *cons.* 446. *in* 2. *dub.* Aim.
cons. 80. *num.* 5. Fab. *dict. dec.* 23. Caputaq. *in dict. decis.*
4 185. Paleott. *decis.* 71. Tertiò, quia soluit † suam par-
tem extractus, Cassad. *decis.* 3. *num.* 4. *de procur.* Quar-
5 tò, quia † comparuit in Causa, & fecit plures prote-
stationes, & postea appellauit à sententia A. C. & ob-

tinuit

tinuit commissionem appellationis, & restitutionis
in integrum, & substituit procuratorem D. Scipio-
nem Rotam. Et ex tota ista serie facti videbatur Do-
minis sufficienter constare de eius mandato, Et tan-
to magis, cùm idem Marcus Antonius vti procurator
Episcopi exegerit fructus duorum eius offitiorum
ab anno 1588. vsque ad annum 1597.

Quantum verò ad iustitiam, illa pendet ex dupli-
ci inspectione: Quarum prima est, An ista donatio
potuerit reuocari ab Episcopo? Et cùm difficultas
consistat in intellectu donationis, an sit facta æque
principaliter, tam pro seruitijs Herculis de præteri-
to, quàm pro seruitijs de futuro; Domini intellexe-
6 runt, quòd principalis intentio Episcopi, & causa †
donationis, fuit remuneratio seruitiorum de præte-
rito; in quibus propriè consistit donatio remunera-
toria: Et licet subdatur; *Et ad hoc, vt deinceps, & in
futurum eum maiori animo, & amore eius seruitia debeat
prosequi*; tamen ista clausula non fuit apposita ad ef-
fectum restringendi, & limitandi donationem, vt so-
lum locum haberet, dum permanebat in eius serui-
tio, obligando eum perpetuo ad seruitutem in vita,
si volebat consequi donationem: sed ista clausula fuit
apposita ad effectum vt Hercules, dum permanebat
in seruitio, respondendo huic liberalitati Episcopi,
cum maiori animo, & amore ei inseruiret; & sic in
summa importat solum causam impulsiuam, & inci-
7 tatoriam donatarij durante seruitio. Et ideo † cùm
donatio sit inter viuos, cum promissione de non re-
uocando, etiam ex causa ingratitudinis, & sit valla-
ta iuramento, non potuit reuocari ab Episcopo sub
prætextu, quòd seruitium cessauerit: Quia, vt dictum
8 fuit, donatio † non fuit facta correspectiuè ob serui-
tia præstanda in futurum, ita vt cessante seruitio, ces-
set donatio, *leg.* 2. & *ibi* glos. Bartol. & alij, *ff. de donat.*
Tiraqu. *in tract. cessante causa, limit.* 1. Et quamuis
pro declaratione mentis Episcopi adducantur in cõ-
trarium depositiones testium; tamen isti testes non
concludunt quòd Episcopus voluerit solum facere
donationem, quæ duraret durante seruitio.

Altera inspectio est, An saltim Hercules sibi præ-
iudicauerit, cùm exegerit ducatos 37. post reuoca-
tionem donationis vigore ordinis Episcopi, in quo
fiebat mentio de reuocatione donationis? Et in hac
difficultate Domini dixerunt, quòd Hercules non
habuit intentionem ratificandi reuocationem, neq;
renunciandi iuri suo, si reuocatio erat inualida; sed
exegit cum ista credulitate, quòd donatio esset reuo-
cata ex iusta causa, prout in partita banchi contine-
tur; & incontinenti fecit protestationem, quòd in-
tendebat petere terminos decursos, & decurrendos,
Et ideo cum ista materia, an reuocatio fuerit vali-
da, tam quam facta ex iusta causa, pendeat ex dispo-
9 sitione iuris communis; si de iure † communi reuo-
catio non est valida, factum exactionis ei non præiu-
dicat, Bart. *in leg. ornamentorum, ff. de aur. & argen. leg.*
Aim. *cons.* 29. Et hoc maxime dicendum est, quia
Hercules habuit iustam causam existimandi, quòd
reuocatio esset valida, cum consuluerit doctorem, &
ab eo habuerit responsum, quod donatio poterat re-
uocari cessante seruitio; & ab isto errore processit
exactio, & continuatio in seruitio Episcopi. Et ideo
10 cum sit homo † idiota, iste error ei nocere non de-
bet, & est excusandus: præsertim, cùm donatio non
sit omnino clara, & habuerit etiam difficultatem in-
ter Dominos, Put. *dec.* 248. *& dec.* 401. *lib.* 3.

Non obstant depositiones testium. Quia aliqui ex
eis patiuntur exceptiones, quæ bene deducuntur per
informantes: alij sunt singulares, & deponunt de
11 confessione extraiudiciali, quæ † non probatur per
testes singulares iuxta eam opinionem, quam Rota
sequitur, Puteu. *decis.* 3. *de probat.* & non concludunt
quod Hercules consenserit reuocationi donationis,
nec quod voluerit ratificare reuocationem, licèt es-
set inualida.

VALENTINA PENSIONIS.

Lunæ 25. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

De reseruatione pensionis, non facta mentione al-
terius reseruationis pensionis primo impositæ.

SVMMARIVM.

1 *Mentio pensionis primò impositæ est necessaria in reser-
uatione alterius pensionis, etiam quando prima pensio
est perpetua.*
2 *Onus perpetuum non computatur in fructibus Beneficij.*
3 *Clausula,* Dummodo remaneant centum pro Recto-
re, *est apposita ad eius fauorem, & non debet retorqueri
in eius odium.*
4 *Papa non censetur velle grauare Beneficium duplici one-
re.*
5 *Impugnans secundam reseruationem, ob non factam men-
tionem primæ, tenetur probare illius validitatem.*
6 *Acceptatio pensionis probatur ex litteris Apostolicis de-
super expeditis.*
7 *Consensus pensioni probatur ex literis expeditis cum clau-
sula,* Quorum omnium, & cuiuslibet ipsorum res-
pectiuè ad hoc expressus accedit consensus.
8 *Ad validitatem secundæ reseruationis sufficit quòd Papa
habuerit scientiam primæ reseruationis. Sed ista scientia
est probanda concludenter, & num.* 9.

DECISIO CCLXXIX.

DOmini fuerunt concordes, quod gratia reserua
tionis ad fauorem Reuerendissimi Episcopi sit
inualida ob non factam mentionem alterius pensio-
1 nis prius impositæ ad fauorem Seminarij: quæ †
mentio est etiam necessaria quando prima pensio est
perpetua, & sic in effectu cõtinet dismembrationem
fructuum, Fab. *decis.* 36. *lib.* 1. Chisanen. *decis.* 134.
Caputaq. *decis.* 407. *lib.* 1. & fuit resolutum *in Causa
Cesaraugustana Dismembrationis* 23. *Iunij de anno præte-
rito coram R.P.D. meo Pamphilio*, Decisio vero Guido-
boni 19. quæ in contrarium allegatur, non tangit
istam difficultatem; & procedit ad effectum saluan-
2 di gratiam à mala expressione valoris, cum † onus
perpetuum non computetur in fructibus. Et ad istum
effectum non releuat clausula, *Dummodo remaneant
centum pro Rectore*: Quia ista † clausula est apposita
3 ad fauorem Rectoris, & non debet retorqueri in eius
odium: & quia etiam in hoc casu militat eadem ra-
4 tio, quod † Papa non censetur voluisse grauare Bene-
ficium duplici onere; vt fuit resolutum *in Causa Vicen
tina Pensionis* 12. *Februarij* 1590. *coram Illustrissimo
Cardinali Mantica.*
5 Non obstat quod † impugnans secundam reserua
tio-

tionem, ob non factam mentionem primæ, tenetur
probare illius validitatem Caputaq. *dict. decis.* 301.
Cotta, *decis.* 107. & sæpius fuit resolutum. Quia exi-
stentia Seminarij, vt dicebant aliqui ex Dominis, est
notoria, & satis iustificatur ex expressione facta in
Literis, quod Archiepiscopus exposuerat in illius
erectione vltra summam sex millium ducatorum; &
6 ex † eisdem literis probatur, acceptatio pensionis,
cùm requirant impensam satis considerabilem, Cas-
sad. *decis.* 3. *num.* 4. *de procurat.* Sam. *in reg. de ann. quæst.*
32. *num.* 6. Caputaq. *decis.* 50. *lib.* 3. *in manuscrip.* Con-
sensus vero Rectoris probatur ex illa Clausula, *Quo-
rum omnium, & cuiuslibet ipsorum respectiuè ad hoc ex-
pressus accedit consensus.* Cùm enim Literæ non possint
expediri, nisi præcedente consensu, iuxta formam re-
gulæ 43. & ideo expeditores velint prius videre con
7 sensum; ex illa clausula posita in literis expeditis pro
batur præstatio consensus. Caputaqu. *decis.* 120. &
decis. 212. *lib.* 1. Peregr. *decis.* 73. Put. *dec.* 439. *in fin. lib.* 1.
Et cessat omnis difficultas: quia ostenditur, etiam
consensus Rectoris.

8 Non obstat quod † ad effectum validitatis secun-
dæ reseruationis sufficit, quod Papa habuerit scien-
tiam primæ impositionis, Caputaqu. *decis.* 296. *lib.* 3.
& fuit resolutum *in Causa Policastren. Pensionis, de an-
no* 1587. *coram Illustrissimo Cardinali Platto.* Quia
9 scientia Papæ † non probatur concludenter. Licèt
enim prima pensio fuerit imposita ad fauorem Semi-
narij, tamen non probatur quod Papa de tempore
reseruationis istius secundæ pensionis habuerit scien-
tiam erectionis Seminarij: & non data ista scientia,
cessat fundamẽtum quod Papa potuit cogitare quod
ista Parochialis esset grauata onere contributionis,
iuxta formam Sacri Concilij Trident. Vltra quod,
etiam data scientia Papa potuit cogitare, quod Se-
minario esset prouisum per vnionem aliorum benefi-
ciorum, vel quod ei essent assignati alij redditus.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 25. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Creditor à debitore constitutus ad exigendum, sum-
mam sibi debitam, ponere nòn potest ad compu-
tum; sed ad restitutionem tenetur, non obstante
creditoris approbatione.

SVMMARIVM.

1 *Creditor constitutus procurator ad exigendum, non potest,
in præiudicium anteriorum, sibi satisfacere de suo credi-
to. Nec ei prodest bona fides, & ignorantia status debi-
toris, & num. 4.*

2 *Negociorum gestor non potest vti retentione vel compen-
satione sui crediti, in præiudicium Creditorum anterio-
rum.*

3 *Casus probans simulationem contractus.*

5 *Creditores vnius Prouinciæ, in quo casu sint præferendi
creditoribus alterius Prouinciæ, & num. 6.*

7 *Creditores ab initio sibi obligant personam, & vniuersa
bona, nec habent respectum ad negotiationes.*

DECISIO CCLXXX.

FVit resolutum, Hortensium non potuisse ponere
in computis gabellæ satisfactionem sui crediti,
& teneri ad restitutionem, non obstante solidatione,
& approbatione computorum facta à Comite Nico-
lao de mense Iunij anni 1597.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia antea à cre-
ditoribus fuerant constituti deputati pro satisfactio-
ne suorum creditorum; & Comes de anno 1595. con-
stituerat procuratorem irreuocabilem ad exigẽdum
ad fauorem, & commodum creditorum, omnes pe-
cuniarum summas sibi debitas, & debendas, & dis-
ponendum, iuxta mandatum deputatorum à credi-
toribus; & de anno 1596. fuerat distributa inter cre-
ditores summa scutorum 22000. exacta à Dominis
de Sabellis. Et ideo cùm creditores instarent pro con
secutione suorum creditorum, Hortensius non po-
1 tuit † in præiudicium anteriorum creditorum sibi
satisfacere de suo credito; neque Comes approban-
do computa præferre creditorem posteriorem ante-
riori, *leg. si non expedierit, §. si pupillus, ff. de bon. auct.
iud. possid. leg. pupillus, ff. quæ in fraud. credit.* Paul. de
Castr. *cons.* 446. *num.* 3. *lib.* 1. Ruin. *cons.* 76. *numer.* 11.
lib. 1. & fuit resolutum *in Causa Romana Pecuniaria,
coram S. D. N. & in alia Romana de Bartolacijs coram R.
P. D. Penia*, quæ referuntur per informantes, &
*in Causa Romana Officiorum Cellesij 19. Nouembr. 1592.
coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.* Et vltimo loco
in Causa Romana Census de Luraghis 21. *Aprilis anni præ
teriti coram R. P. D. Iusto.* Et tanto magis, cùm præce-
deret mandatum Comitis irreuocabile ad fauorem
creditorum. Nec in hoc est aliqua differentia inter
negociorum gestores, & creditores ex alijs causis.
Quia cum negociorum gestor, remaneat creditor eo
tempore, de quo cessante gratificatione inspicitur so-
2 lum † prioritas, iuxta dispositionem iuris commu-
nis; nulla ratio suadet, vt si est posterior, possit vti re
tentione, vel compensatione sui crediti, in præiudi-
cium creditorum anteriorum. Et hoc maximè dicen-
dum est in isto casu; quia venditio Locorum Gabellæ,
quorum precium fuit positum, in satisfactionem
crediti Hortensij, fuit simulata ad istum effectum,
3 fraudandi anteriores creditores. Et † simulatio se-
cundum Dominos claræ probatur: quia venditio fuit
facta de mense Februarij 1597. & ex literis ipsius
Hortensij de Mense Iunij, & Octobris eiusdem anni
apparet, quod solum tractabatur venditio, & quòd
non erat facta de Mense Octobris sequenti: Et ista
confessio Hortensij, comprobatur etiam ex literis ei
scriptis de eodem Mense Iunij ab Abbate Pharaone,
in quibus dicit: *Se le paresse, passassemo la partita in
faccia di Vostra Signoria di vna vendita simulata, per le-
uare che non vi siano più scrupoli di fastidio, fino che poi
V. S. la venderà ad altri.*

Non obstat quod Hortensius erat in bona fide,
cùm ignoraret statum Comitis, & quod credito-
res instarent pro consecutione suorum creditorum:
4 Quia † non habetur in consideratione ad istum effe-
ctum ignorãtia creditoris posterioris, sed secundum
Doctores attenditur solum diligentia creditorum
anteriorum, & quod eis non possit imputari negli-
gentia; vt fuit resolutum *in dicta Causa Romana Pecu-
niaria coram S. D. N.* Vltra quod ex literis colligitur
scientia status Comitis, & ad istum effectum fuit si-
mulata venditio, vt dictum fuit. Et ista scientia mul-
tum etiam coadiuuatur ex notorietate facti, & ex
lapsu temporis decem, & septem mensium.

5 Non

Non obstat quod † creditores vnius Prouinciæ
5 sunt præferendi creditoribus alterius Prouinciæ, *leg. si procuratoris, §. si plures, ff. de tribut. act.* Quia ille tex-
6 tus habet locum in creditoribus † mercatorum, qui
habent plures negociationes separatas in diuersis
Prouincijs: & extra istum casum non fit distinctio inter creditores vnius, & alterius Prouinciæ; sed atten-
7 ditur solùm inter eos prioritas: quia † creditores ab
initio sibi obligarunt personam, & vniuersum patrimonium, & non habuerunt respectum ad negotiationes; vt bene deducit Paul. de Castr. *in consil. 286. num. 3. lib. 1.*

BONONIEN. EVICTIONIS.

Mercurij 4. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Quando non sit locus sequestro, & consignationi depositi.

SVMMARIVM.

1 *Appellatione pendente, omnia manent in eo statu, in quo erant ante sententiam.*
2 *Paupertas, & præsumptio boni iuris, suffragatur ad effectum subministrationis alimentorum, & expensarum litis.*
3 *Sequestrum non conceditur pro credito non liquido.*

DECISIO CCLXXXI.

Domini resoluerunt, non esse locum consignationi depositi, neque sequestro. Quantum ad denegationem consignationis depositi, fundamentum Dominorum fuit: Quia cùm in sententia Reu. P. D. Peniæ contineatur explicitè restitutio, & consignatio huius depositi, & ab ista sententia fuerit appellatum, & Causa appellationis mihi commissa, interim
1 † pendente appellatione, omnia debent remanere
in eo statu, in quo erant ante sententiam, *leg. 1. ff. ad Turpil. leg. vnica, ff. nil nou. app. pend. leg. appellatione, Cod. de appell.* & consequenter non est locus illius consignationi.

Nec placuit Dominis, quòd saltim per modum prouisionis sit eis consignandum istud depositum. Quia cum constet de eorum bono iure, & paupertate vltra, quod paupertas non probatur, cùm testes sint examinati lite pendente, ad perpetuam rei me-
2 moriam, paupertas, † & præsumptio boni iuris eis
suffragaretur ad effectum subministrationis alimentorum, & expensarum litis, non autem ad istud effectum restitutionis depositi, super quo pendet lis: & ideo sine vrgenti causa non est recedendum à regulis iuris.

Quò vero ad denegationem sequestri super isto deposito pro fructibus, quos Comes prætendit, ra-
3 tio Dominorum fuit: quia † isti fructus non sunt li-
quidi, & Comiti est sufficienter prouisum, qui habet idoneos fideiussores de illis soluendis ad omne mandatum Rotæ. Et tanto magis, quia Balli prætendunt melioramenta; & Comes eis tenetur ad damna, & interesse passa occasione euictionis; & si ista liquidantur, facilè poterit euitari restitutio fructuum.

PLACENTINA. CASTRI.

Mercurij 4. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo, in quo casu denegetur.

SVMMARIVM.

1 *Verbalis reproductio citationis sufficit ad validitatem processus; vt realis reproductio, postea retrotrahatur ad diem termini.*
2 *Exceptio periurij repellit agentem à limine iudicij.*
3 *Quando adsunt plura iuramenta, non sufficit simplex absolutio; sed est necessaria in specie ab omnibus iuramentis.*
4 *Transportatio actorum quando sit necessaria, etiam extra causam appellationis.*
5 *Clausula,* Constituti *operatur vt constituenti non detur mandatum de manutenendo contra illum, cuius nomine se constituit possidere.*
6 *Validitas, vel inualiditas* Constituti *pendet à validitate vel inualiditate contractus in controuersiam deducti.*
7 *Vtilus* Constituti *stat in suspenso, pendente lite super inualiditate contractus.*

DECISIO CCLXXXII.

Fuit per Dominos resolutum, Comiti non esse dandum mandatum, de manutenendo in possessione
1 Castri. Quia licet † sufficiat verbalis reproductio citationis ad effectum validitatis, processus per contradictas, cùm realis reproductio postea sequuta retrotrahatur ad diem termini, vt fuit resolutum *in Causa Burgen. Quindenniorum 5. Martij 1599. coram bon. memor. Orano*; & ideo testes sunt validè examinati, qui bene probant possessionem istius Castri ad fauorem Comitis: Tamen ei obstat exceptio periu-
2 rij, quæ † repellit agentem à limine iudicij, *leg. si quis maior, Cod. de transact. Felin. in cap. dilecti, num. 2. de except.* Et absolutio Vicarij, quæ datur, non est sufficiens: quia cùm in instrumento contineatur triplex iuramentum de obseruando instrumentum, de non petendo absolutionem, & de ea obtenta non vtenda,
3 non † sufficit simplex absolutio, sed est necessaria in specie ab omnibus iuramentis, Bald. *in leg. 2. num. 9. ff. de iure iur.* Rom. *cons.* 326. Felin. *in cap. constitutus nu. 14. de rescrip.* & fuit resolutum *in Causis Romana Donationis de Cincijs 20. Nouembris 1585. coram Reu. P. D. Seraphino; Clusina pensionis 20. Iunij 1590. coram Illustrissimo Cardinali Plato; & Valentina Affictus 21. Iunij 1599. coram R. P. D. Corduba.* Et ideo nisi ostendatur alia absolutio magis specifica, ista ei non suffragatur.

Obstat etiam alia exceptio, defectus transportationis actorum: Quia vltima Commissio habet clausulam, quòd si & post quam per Michaelem in primis, & ante omnia purgata fuerint attentata, procedatur perinde ac si prima, & secunda Commissio essent signatæ cum clausula, sine retardatione solutionis census arbitrio Rotæ. Et cùm ista vltima Commissio sit attendenda, in primis necessarium est firmare, an adsint vel non adsint attentata; & an procedendum sit retardata vel non retardata solutione.
4 Et ad istum effectum, etiam † quod non versemur in

causa

causa appellationis, est necessaria transportatio actorum ex natura ipsius negocij, cum ista non possint firmari nisi visis actis.

Aliud fundamentum, quòd Comiti non possit darì mandatum de manutenendo, propter clausulam
5 constituti, quæ † operatur hunc effectum, vt constituenti non detur mandatum de manutenendo, contra illum cuius nomine constituit se possidere, non
6 placuit Dominis: Quia cùm validitas † vel inualiditas constituti pendeat à validitate, vel inualiditate contractus, qui iam est in controuersiam deductus,
7 interim, † donec fuerit terminata lis super inualiditate contractus, virtus constituti est suspensa, Dec. *cons.400. sub num.4. versic. 4. respondetur*, & fuit resolutum *in Causa Romana de Zambeccarijs, decima Martij 1589. coram D. Episcopo Perusino.* Et ideo si aliud non obstaret, Comiti esset dandum mandatum de manutenendo, cùm probet suam possessionem, etiam post contractum.

NEPESINA DOTIS.

Mercurij 4. Iunij 1601.

ARGVMENTVM.

Solutio Dotis quomodo probetur.

SVMMARIVM.

1 *Confessio geminata, tendens ad liberandum, & parandam exceptionem, non ad acquirendam actionem, probat contra confitentem.*
2 *Testes examinati in criminali, quando probent in Iudicio ciuili.*
3 *Quando verba Instrumenti referentis sunt clara, statur referenti, quamuis relatum non reperiatur.*
4 *Reseruatio iuris non tribuit ius de nouo.*

DECISIO CCLXXXIII.

Dubium fuit distinctum in duas difficultates. Prima fuit, An constet sufficienter de solutione dotis. Secunda difficultas fuit, præsupposito quòd probetur solutio dotis, An saltim Ascanio competat actio contra Scipionem depositarium, pro recuperatione depositi?

Quantum ad solutionem dotis, Domini resoluerunt de ea sufficienter constare: Quia dantur depositiones plurium testium; quorum aliqui, qui sunt contestes, deponunt de confessione extraiudiciali Ascanij in Castro Morlupi; aliqui verò de confessione facta in Vrbe, parte præsente, quod sibi fuerat soluta
1 dos. Et ista confessio † geminata multum operatur, cùm tendat ad liberandum, & parandam exceptionem, non autem ad acquirendam actionem; vt per Gabr. *de confess.conclus. 1. num. 22. & 30.* Præsertim concurrente depositione aliorum, qui dicunt vidisse quietantias Ascanij de integra solutione dotis: Et licet isti testes sint examinati pro informatione Curiæ
2 ad instantiam Bernardini; tamen, cùm † etiam Scipio interuenerit in illo iudicio criminali, & postea isti testes ad eius instantiam fuerint repetiti, citato Ascanio, & cum interrogatorijs ipsius, probant inter easdem partes in illo iudicio ciuili, Bartol. *in leg. 2. §. 1. numero 5. ff. de vibon. rapt.* Alexandr. *in leg. 2. numero 26. Cod. de edend.* Et tanto magis, cùm in illo iudicio criminali fuerit secuta sententia condemnatoria contra Ascanium, ex hoc capite, quòd petierat debitum iam solutum.

Multum etiam mouit Dominos promissio facta à Cæsare Rodulfo de anno 1584. in præsentia, & ad instantiam ipsius Ascanij de restituendo scuta 450. data, & tradita ipsi Ascanio per Camecchiam in causa dotis Dominicæ eius filiæ. Si enim non præcessisset vera solutio dotis, non est verisimile quòd Ascanius fecisset obligare Cæsarem pro restitutione summæ, quam non acceperat, promittendo eum releuare indemnem pro tota summa; neque permisisset, quòd Notarius apponeret enunciatiuam non veram, quæ ei non poterat esse nisi præiudicialis, præsertim fauore dotis. Et licet in ista promissione habeatur relatio ad instrumentum rogatum per Constantinum Baldam; tamen ista relatio, non est habita ad primum instrumentum rogatum à Constantino, quod continet solum solutionem partis dotis; sed necessarium est, quòd fuerit intellectum de alio instrumento continente integram solutionem dotis; de quo verisimile est in actu solutionis eundem Notarium fuisse rogatum, vt in eisdem actis, in quibus constabat de promissione dotis, appareret etiam de integra solutione:
3 Et ideo † cùm verba sint clara, statur referenti, quamuis relatum non reperiatur; vt per Dec. *cons. 63. num. 6.* Accoramb. *decis. 48.* Et ex ista enunciatiua instrumenti in præsentia Ascanij, & cum eius obligatione de releuando indemnem Cæsarem pro tota summa, & ex depositionibus testium, videbatur Dominis sufficienter constare de solutione dotis. Et tanto magis, cùm tarditas, & cunctatio ipsius in petendo dotem ab anno 1582. vsque ad annum 1590. & in expectando obitum Camecchiæ, qui erat informatus de solutione, & postea absentiam Bernardini eius filij ex causa banni, præseferat aliqualem suspicionem, & inducat coniecturam solutionis.

Quantum ad secundam difficultatem, Domini cõcluserunt Ascanio, non competere actionem contra Scipionem depositarium pro recuperatione depositi: Quia, circumscripta cessione, ei non competit actio nomine proprio contra depositarium, pro credito iam exacto. Cessio autem ipsius Bernardini, in qua Ascanius se fundat, non legitur in instrumento cessionis factæ Monasterio Conuertitarum; sed in eo cõ-
4 tinetur solum, † reseruatio iuris competentis Ascanio, quæ non tribuit ius de nouo. Et quamuis contineatur etiam declaratio, quòd ista summa depositata spectabat ad Ascanium; tamen ista declaratio hodie detegitur erronea, cùm probetur solutio dotis ex depositionibus testium, & ex enunciatiua instrumenti adminiculata, vt supra dictum fuit. Et ideo non suffragatur Ascanio contra depositarium, præsertim reclamante Bernardino; cui competeret actio contra depositarium, si depositum fuisset verum.

VITERBIEN. PORCORVM.

Mercurij 4. Iulij 1601.

ARGVMENTVM.

De præstatione alimentorum, & sumptuum litis.

SVMMARIVM.

1 *Præsumptio boni iuris in negocio principali iam terminato non sufficit ad effectum subministrationis alimentorum,*

 rum,

rum, & impensarum litis in alijs prætensionibus.

2 *Ex valore aliorum locorum non infertur ad valorem loci, in quo est facta venditio.*

DECISIO CCLXXXIV.

DOmini fuerunt concordes, quòd Scipioni non debeantur alimenta, & sumptus litis: Quia hodie non est amplius quæstio super negocio principali, cùm fuerit satisfactus de precio liquidato, per sententiam Illustrissimi Cardinalis Bonuisij in summa scutorum 519. sed remanet solum quæstio circa fructus perceptos, & damna, & interesse, & pretium
1 quanti plurimi. Et ad istum effectum † subministrationis alimentorum, & expensarum non suffragatur præsumptio boni iuris in negocio principali iam terminato; sed requiritur præsumptio boni iuris in istis prætensionibus. Et Domini non vident vnde colligi possit ista præsumptio boni iuris: Quia licèt fuerit resolutum, quòd Scipioni debentur fructus percepti, damna, & interesse, & pretium quanti plurimi; tamen fuit etiam resolutum, quòd nihil istorum probatur; & sola prætensio non sufficit. Fides verò Dohaneriorum Vrbis, & Communitatis Ciuitatis Vrbis veteris, in quibus sit fundamentum pro probatione
2 pretij quanti plurimi, non concludunt: quia † ex valore aliorum locorum non infertur ad valorem illius loci, in quo est facta venditio. Et ideo concluserunt, ei, non esse danda alimenta, & sumptus litis: præsertim, cum vltra pretium porcorum, habuerit etiam aliam summam satis considerabilem.

CVSENTINA CAPELLÆ.

Veneris 26. Octobris 1601.

ARGVMENTVM.

Possessio instrumentalis quando præferatur, ad effectum mandati de manutenendo.

SVMMARIVM.

1 *Possessio instrumentalis sufficit ad effectum mandati de manutenendo, quando non probatur possessionem prius fuisse plenam.*

2 *Possessio turbatiua non impedit manutentionem, si antiquus possessor non habuit se pro spoliato.*

3 *Possessio ciuilis præfertur in concursu cum naturali.*

4 *Gratia, licèt cum decreto irritanti, si non iustificatur, non priuat quem possessione sua.*

5 *Sententia Iudicis, qui non processit ritè, & rectè, non priuat anteriorem possessorem.*

DECISIO CCLXXXV.

DOmini dixerunt, Marcum Antonium esse manutenendum: Quia constat de eius possessione
1 instrumentali, quæ sufficit † ad effectum mandati de manutenendo, quando non probatur possessionem prius fuisse plenam: hoc enim non probato, possessio instrumentalis, vti antiquior, præfertur: iunior enim dicitur clandestina, & turbatiua, vt sæpe fuit resolutum.

Non obstat quod posterior possessio est cum per-
2 ceptione fructuum. Quia vti † turbatiua non impedit manutentionem, si antiquus possessor non habuit se pro spoliato, Put. *dec. 419. lib. 2.* Retinet enim pos-
3 sessionem ciuilem, quæ † præfertur in concursu cum naturali. Et ideo est ei dandum mandatum de manutenendo, vt fuit resolutum coram bon. mem. Oriolen. *in Causa Ciuitatis Castelli de Meliorutijs*, & *in Causa Mediolanen. Parochialis 22. Iunij 1587. coram Illustrissimo Cardinali Plata*, reprobata contraria opinione, Couar. *pract. quæst. cap. 17. num. 5.*

Non obstat, quòd propter decretum irritans positum in gratia Cæsaris, ista possessio Marci Antonij est infecta, & consequenter non manutenibilis. Quia
4 ad istum effectum requiritur † quòd gratia sit iustificata: si enim gratia non iustificatur, decretum, quod est accessorium, non operatur aliquem effectum. Et ideo cum possit esse, quòd gratia non iustificetur, Marcus Antonius interim non est priuandus sua possessione; vt fuit resolutum *in Causa Valentina Iurispatronatus 30. Aprilis 1582. coram R.P.D. Seraphino.*

Non obstat quòd possessio Cæsaris fuit capta in
5 vim sententiæ Vicarij. Quia sententia † iudicis non priuat anteriorem possessorem, si non processit ritè, & rectè. Et sententia Vicarij est nulla, & iniusta, cum non fuerit citatus Marcus Antonius, & gratia Cæsaris non sit iustificata.

SEGVNTINA DECIMARVM DE ANGVITA.

Veneris 26. Octobris 1601.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Sententia si est concepta alternatiuè, non potest dubitari de eius validitate.*

DECISIO CCLXXXVI.

DOmini resoluerunt, sententiam esse validam. Quia non est lata solum ad fauorem Ioannis Ciascon, vti Thesauratij neque est restricta ad eius personam, cùm in ea declaretur decimas spectare ad Episcopum, & ei soluendas esse, siue Ioanni, eius nomine. Et ideo cùm sententia sit concepta alternatiuè non potest dubitari de eius validitate, respectu Episcopi, cùm constet de eius mandato in persona Ioannis Morales, qui illam obtinuit.

LVNEN. SARZANEN. BENEFICII.

Lunæ 5. Nouembris 1601.

Argumentum desumi potest ex Summario.

SVMMARIVM.

1 *Possessio instrumentalis præfertur posteriori.*

2 *Clausula, Vocato N. apposita in Gratia, facit sententiam appellabilem.*

3 *Iudex non procedens ritè, & rectè, non priuat quem sua possessione.*

DECISIO CCLXXXVII.

DOmini resoluerunt, Gabrieli dandum esse man-
1 datum de manutenendo: Quia probatur † eius possessio instrumentalis, quæ præfertur posteriori possessioni Antonij, cùm illa sit clandestina, & turbatiua.

Non obstat, quòd ista possessio fuit capta ab Antonio in vim sententiæ Vicarij. Quia coram eo gratia Antonij non fuit iustificata, & ab ista sententia
2 fuerat appellatum in tempore, & † propter clausulam,

lam, Vocato Gabriele, dabatur appellatio; vt sæpe
3 fuit resolutum. Et ideo † cùm Vicarius non processerit ritè, & rectè, Gabriel non amisit suam possessionem; vt fuit resolutum *in Causa Romana Domus ad Imaginem Pontis coram Cardinali Lancellotto*: & consequenter ei est dandum mandatum de manutenendo.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS DE TVDELA.

Lunæ 12. Nouembris 1601.

ARGVMENTVM.

De probatione Immemorabilis.

SVMMARIVM.

1 *Actus æquiuoci non concludunt necessario obseruantiam sententiæ.*

2 *Non probata effectuatione sententiæ, non potest præsumi quod actus subsecuti fuerint facti in executionem illius sententiæ.*

3 *Non admittitur concursus præsumptionum æquè principalium, quarum vna non venit in consequentiam alterius.*

4 *Actus regulariter præsumuntur facti in executionem tituli præcedentis.*

Contrarium in casu num. 5.

6 *Actus nonnulli recensentur ad probandum exercitium iurisdictionis; & reijciuntur, & num. 7. 8. 9. & 10.*

DECISIO CCLXXXVIII.

PRoposui Dubium in hac Causa, An constet de obseruantia sententiæ latæ de anno 1311. ad effectum vt suffragetur Decano pro probatione immemorabilis in ea enunciatæ, licet patiatur plures defectus prout fuit resolutum 5. Iulij 1593. Et fuit conclusum pro negatiua.

Ratio Dominorum fuit: Quia Decanus ante istam sententiam erat in quasi possessione exercendi iurisdictionem ciuilem, & criminalem; & non constat quòd actus iurisdictionales, qui dantur post sententiam, fuerint facti magis ratione sententiæ, quàm consuetudinis, & quasi possessionis præcedentis. Et
1 propterea, cùm actus sint æquiuoci, non † concludunt necessario obseruantiam sententiæ, Abb. *in cap. 2. in fin. de censib.* Felin. *in cap. cum Bertoldus, num. 26. de re iud.* Et hoc maximè dicendum est, quia non do-
2 cetur de effectuatione istius sententiæ: & † non probata effectuatione, non potest esse locus præsumptioni, quòd actus subsequuti fuerint facti in executionem, & obseruantiam illius sententiæ; vt fuit resolutum *in Causa Senen. Tenutæ Pontis Arrighi* 10. *Martij* 1578. *coram S. D. N.* Cessante enim probatione effectuationis, necessarium esset præsumere executionem sententiæ, & quòd actus subsequuti licet sint æqui-
3 uoci, fuerint facti in vim illius sententiæ: & non † admittitur iste concursus præsumptionum, quæ sunt æquè principales, & vna non venit in consequentiam alterius, Ruin. *cons. 29. num. 4. & cons. 151. num. 18. & sequ. lib. 4.* & fuit resolutum *in Causa Placentina Decimarum de anno 1587. coram bon. mem. Bubalo.* Et tanto magis, quia in Commissione de anno 1330. continetur narratiua, quòd Decanus prætendebat exercere iurisdictionem vigore consuetudinis; & neque in ista Commissione, neque in aliquo actu posteriori, fit vlla mentio de ista sententia: & multum verisimile est, quòd sicut fuit facta mentio de laudo, ita etiam fuisset facta mentio de ista sententia, si habuisset effectũ.
4 Nec in hoc casu applicatur regula, quòd † actus præsumuntur facti in executionem tituli præcedentis. Quia cùm Decanus haberet etiam alium titulum,
5 scilicet consuetudinis, & quasi possessionis, oritur † æquiuoca probatio obseruantiæ subsequutæ; & probandum est in cuius tituli executionem actus sint facti, Ruin. *cons. 104. num. 15. & 16. lib. 5.* Aim. *cons. 197. num. 12.*

Nec placuit Dominis aliud fundamentum, quòd præsumitur istos actus, esse factos vigore consuetudinis canonizatæ per sententiam, vele contra, prout vtilius est agenti. Quia potius præsumi debent facti in continuationem status præcedentis, & non sententiæ, quæ patitur tot defectus, & non apparet clarè effectuata: & sufficit ad istum effectum, vt ista probatio non releuet, quòd actus sint æquiuoci, cùm possint etiam applicari soli consuetudini præcedenti.

Aliqui etiam ex Dominis eò facilius venerunt in hanc sententiam: quia discurrendo super singulis actibus, qui dantur inter sentẽtiam, & laudum, dicebant, quòd tres ex eis non concludunt exercitium iurisdictionis, & ideo non possunt inseruire pro obseruantia sententiæ.

Primus enim actus de anno 1320. erectionis triũ
6 portionum, licet † sit iurisdictionalis, vt per Felin. *in cap. ex parte il 2. num. 2. de rescrip.* etiam quod extraiudicialiter fiat; tamen ab ista erectione fuit appellatum: & ista appellatio, non præsupponit ptin aın instantiam spectare ad Decanum, sed est prouocatio ad causam, cùm actus erectionis beneficiorum fit extraiudicialis, & non constet fuisse prius motam litem coram Decano, *cap. cùm sit Romana, & ibi gloss. in vers. solent, de appellat.* gloss. *in cap. concertationi, in verbo, grauatum, de appell. in 6.* Et ideò iste actus impugnatus, & qui non probatur effectuatus, non suffragatur Decano. Nec protestatio delegati, quòd per suum accessum ad oppidum Tudelæ, non intendebat præiudicare iurisdictioni Decani, potest inferre præiudicium Episcopo; cum esset solum delegatus ad illam causam. Ægid. *decis. 644.* Caputaq. *decis. 238. par. 2.*
7 Secundus actus de anno 1330. Commissionis Causæ inter Ægidium Decanum intrusum, & Capitulum Tudelæ, in qua narratur, quòd Ægidius falsò asserens se esse Decanum, & posse in Capitulum, & personas Ecclesiasticas Villæ Tudelæ iurisdictionem Ecclesiasticam exercere, promulgauerat sententiam executionis contra Canonicos, sub prætextu, quòd fuisset spoliatus fructibus, continet narratiuam facti alieni inter diuersas personas, & impugnationem tam personæ, quàm iurisdictionis Decani; cùm in eo dicatur, quòd falsò asserebat se Decanum, & posse in Capitulum, & personas Ecclesiasticas iurisdictionem consuetudine exercere: & ideò iste actus impugnatiuus non probat exercitium iurisdictionis ipsius.
8 Tertius actus † reuocationis Officialis factæ à Decano de anno 1364. probat solum, quòd Decanus habebat officialem: sed non probat quòd ille officialis exerceret iurisdictionem. Et in isto dubio, An Decanus, & eius officialis, haberent cognitionem causarum, vel ne, de illo tempore? multum facit pro exclusione iurisdictionis Decani, seu eius officialis, actus præcedens de anno 1352. de quo tempore Episcopus condemnauit Thesaurarium Ecclesiæ Tude-

ſtr, occaſione ſolutionis cuiuſdam ſummæ procera, & propter concubinatum; & Theſaurarius acceptauit ſententiam, ſubijcjens ſe miſericordiæ Epiſcopi, præſente, & non contradicente Decano.

Remanent alij duo actus, qui habent maiorem
9 difficultatem: Quorum † primus continet inhibitionem Vicarij Tiraſonenſis Decano, vel eius officiali, ſeu ipſorum Locumtenentibus, ne in Cauſa, quæ vertebatur inter Decanum ex vna, & Capitulum ex altera, per appellationem deuoluta, aliquid innouetur in præiudicium appellationis. Et videbatur illis Dominis ex iſto actu non reſultare probationem, ſaltim concludentem, exercitij iuriſdictionis Decani: quia non conſtat quòd Cauſa in prima inſtantia fuerit ab eo cognita; cùm inhibitio potuerit eſſe facta, vti parti, & non vti iudici: neque etiam conſtat, an appellatio fuerit iudicialis, vel extraiudicialis: & multum verisimile eſt, quòd lis fuerit extraiudicialis, cùm cauſa eſſet propria ipſius Decani.

10 Alius actus de anno 1365. † inhibitionis Epiſcopi contra Canonicos exercentes iuriſdictionem in Villa Tudelæ, vt illam non exerceant, donec oſtendant facultatem eis datam à Decano, licèt ſit concludentior cæteris; tamen ſecundum illos Dominos eſt vnicus, & præſefert etiam aliqualem difficultatem; Quia ſi iuriſdictio erat Decani, illa inquiſitio ſpectabat ad Decanum, cujus nomine iſti Canonici exercebant iuriſdictionem, & non ad Epiſcopum. Et ideo dicebant, non eſſe attendendum: & tanto magis, cùm præcederet ille actus de anno 1352. in præſentia Decani; & poſtea illinc ad ſex menſes Epiſcopus inſtituerit Vicarium generalem in oppido Tudelæ, cum facultate exercendi omnimodam iuriſdictionem.

BONONIEN. HÆREDITATIS DE GARGANTIBVS.

Veneris 16. Nouembris 1601.

ARGVMENTVM.

Quaſi poſſeſſio filiationis in quo caſu non ſuffragetur neque in petitorio, neque in poſſeſſorio.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio facta contra voluntatem patris, eſt inualida:*
2 *Et ſufficit ad hunc effectum, vt conſtet de diſſenſu patris, & de contradictionibus extraiudicialibus.*
3 *Poſſeſſio anterior præfertur inſtrumentali.*
4 *Ad hoc vt non competat actio ſpolij, ſufficit quòd primum extremum ſit turbidum, & non probetur plenè, & concludenter.*
5 *Acquiſitio poſſeſſionis pendet plurimum ex animo.*

DECISIO CCLXXXIX.

FVit per Dominos reſolutum, quaſi poſſeſſionem, & ſtatum filiationis Io: Pauli non ſuffragari Gentili, neque in petitorio, neque in poſſeſſorio.

Quantum ad petitorium, fundamentum Dominorum fuit; Quia cùm conſtet de diſſenſu, & contradictione patris, quòd Io: Paulus non erat ſuus filius,
1 legitimatio Dominorum de Campegijs, † vti facta contra voluntatem patris, eſt inualida, *Bald. conſ. 17. numer. 2. lib. 4.* Et tanto magis, cùm fuerit facta poſt obitum patris, & poſt ius quæſitum Dominis de Gargantibus fratribus ipſius teſtatoris.

Nec placuit Dominis, quòd ad inſtantiam Herculis non fuerat mota lis ad iſtum effectum, vt declararetur, quòd Io: Paulus non erat eius filius. Quia ſuf-
2 ficit quod conſtet † de eius diſſenſu, & contradictionibus extraiudicialibus, ad iſtum effectum, vt legitimatio poſtea ſecuta, vti facta aduerſus eius voluntatem, ſit inualida.

Quo vero ad effectum poſſeſſorij, ratio Dominorum fuit; quia poſſeſſio Dominorum de Gargantibus
3 eſt anterior, & ideò † poſſeſſio inſtrumentalis Io: Pauli non eſt releuans, Caputaqu. *dec. 333. par. 2.* Et ſufficit ad effectum, vt non competat actio ſpolij, quòd
4 † primum extremum ſit turbidum, & non probetur plene, & concludenter. Quod autem poſſeſſio Dominorum de Gargantibus eſſet anterior, videbatur Dominis non poſſe dubitari: quia poſſeſſio domus fuit capta à Gargantibus 5. Iunij, & à Io: Paulo die 6. poſſeſſio vero prædij fuit capta eadem die, ſed à Gargantibus hora 16. circa meridiem, & à Io: Paulo de ſero, vt deponunt teſtes.

Non obſtat quòd poſſeſſio fuit capta ab Alexandro, & non ab alijs fratribus. Quia poſſeſſio fuit capta nomine communi Alexandri, & fratrum, licèt nomen ſolius Alexandri vti maioris fuerit expreſſum, prout etiam omnes actus præcedentes, fuerant facti nomine communi, ſcilicet aditio hæreditatis inſtantia immiſſionis, & mandatum de immittendo. Et reſpectu Io: Antonij nulla eſt difficultas: quia ipſe erat præſens, & procurauit quòd adiretur hæreditas, & obtineretur à Vicelegato mandatum, de immittendo, & quòd tranſmitteretur Ludouicus ad capiendam poſſeſſionem prædij. Reſpectu verò Aſtorgij, Domini intellexerunt, quòd cùm ab iſtis fratribus fuerit acquiſita poſſeſſio omnium bonorum hæreditatis, eorum intentio non fuerit velle relinquere in ſuſpenſo acquiſitionem poſſeſſionis, iſtius portionis ante ratificationem Aſtorgij; ſed quod voluerint acquirere poſſeſſionem omnium bonorum, licet reuocabiliter reſpectu iſtius portionis, ſecuta ratificatione Aſtorgij; ita vt interim donec Aſtorgius declararet, an vellet ratificare, in totum reſideret, in eorum perſona. Et in hoc placuit deciſio, quæ allegatur per informantes *in Cauſa Romana Vineæ coram Ortolen.* Et
5 hoc Domini comprobabant, quia iſta † materia acquiſitionis poſſeſſionis plurimum pendet ab animo, & cùm iſti fratres vſi fuerint exactiſſima diligentia, vt eſſent primi in accipiendo poſſeſſionem, omnium bonorum, non eſt veriſimile quòd intellexerint velle acquirere ſolum poſſeſſionem partis, relinquendo ante ratificationem Aſtorgij in ſuſpenſo aliam partem, cuius Io: Paulus, vel alius poſtea ſuperueniens poſſet acquirere poſſeſſionem conſiderabilem, ad effectum manutentionis, & reſtitutionis in eorum præiudicium. Et ideo poſſeſſio non erat vacua in aliqua parte, quando fuit capta poſſeſſio inſtrumentalis à Ioan: Paulo; & conſequenter ei non ſuffragatur, & tanto magis ad effectum reſtitutionis in ſpolio, ad quem effectum ſufficit quòd primum extremum ſit turbidum.

VALENTINA EXPENSARVM.

Lunæ 26. Nouembris 1601.

ARGVMENTVM.

Agitur de cambijs, & recambijs.

SVMMARIVM.

1 *Intimatio recambiorum pro extinctione cambij, sufficit sine alia interpellatione.*
2 *Verba non sufficiunt vbi opus est facto.*
3 *Intimatio quando fieri debet pluribus, qui non faciunt Collegium, est facienda singulis.*

DECISIO CCLXXXX.

QVantum ad primam partem Dubij, Domini dixerunt cambia deberi: Quia habent originem
& dependentiam à primo cambio, quòd non est amplius in dubium reuocandum, cùm fuerit intimatum
Beneficiatis, & canonizatum per tres sententias conformes, & tacitè etiam approbatum in concordia,
in qua Canonici susceperunt onus soluendi ista cambia, & recambia. Et ideo cum propter non factam
solutionem in tempore huius primi cambij procurator cogeretur ad illius solutionem, pro illius extinctione,
cum interesse hactenus decurso, potuit recambiare eandem summam: & pari ratione potuit fieri
aliud recambium ducatorum 202. quia procurator non tenebatur soluere de proprio. Et hoc maximè
dicendum est: quia ista recambia fuerunt facta cum protestatione, & declaratione, quòd accipiebantur
pecuniæ pro extinctione cambij; & postea fuerunt in-
1 timata Beneficiatis: quæ intimatio sufficit sine alia
interpellatione, cum agatur solum de euitando interesse, & non de acquirendo: in quo casu procedunt
decisiones, quæ allegantur per informantes, in contrarium.

Circa tempus Domini dixerunt, quòd debentur vsque ad effectualem extinctionem cambiorum: Neque
suffragatur Beneficiatis ad istum effectum obligatio mercatorum soluendi debita liquida: quia per
2 illam obligationem, non extinguuntur cambia; & †
vbi opus est facto, verba non sufficiunt.

Quo vero ad expensas factas in intimatione executorialium, Domini pariter resoluerunt deberi:
Quia cũ Beneficiati essent 150. & solum se congregauerint 30. aderat iusta causa dubitandi, an intimatio
facta illis 30. sufficeret: & tanto magis cum isti
3 Beneficiati † non faciant collegium: & ideo executoriales debebant intimari singulis. Et cessat secundum
Dominos, omnis difficultas, propter protestationem, postea facta in Curia, quod non constabat
de sufficienti intimatione executorialium.

ROMANA CENSVS SCVTORVM 18000.

Lunæ 26. Nouembris 1601.

ARGVMENTVM.

Emptor soluens creditoribus descriptis in lista contenta in Instrumento venditionis, an possit molestari à creditoribus anterioribus venditoris.

SVMMARIVM.

1 *Emptor, si scit adesse creditores anteriores, non liberatur, si soluit posterioribus, & num. 9. & 10.*
2 *Destinatio solutionis precij creditoribus descriptis in lista, non censetur esse taxatiuè, & restrictiuè in præiudicium anteriorum.*
3 *Sed stat enunciatiuè, & demonstratiuè, tanquam si illi soli essent creditores, & non adessent alij, & num. 5.*
4 *Verba quando stant demonstratiuè, non intelligitur sublata hypotheca creditoribus anterioribus, si adsint.*
6 *Verbum* possit, *ex sua natura importat liberam voluntatem: sed ratione subiectæ materiæ importat quandoque necessitatem, & num. 7.*
8 *Mens verisimilis contrahentium colligitur ex Instrumento contractus.*
11 *Motus proprius debet recipere interpretationem ab Instrumento.*
12 *Per Motum proprium licentiæ alienandi non solet inferri præiudicium creditoribus anterioribus, respectu precij subrogati loco rei venditæ.*
13 *In Motus proprij interpretatione illè sensus est amplectendus, per quem satisfit intentioni Papæ, & Partium, & non tollitur ius quæsitum alicui.*
14 *Papa liberans rem venditam ab omnibus hypothecis, intelligitur velle illam eximere ab omnibus obligationibus: non autem respectu precij eiusdem in quod translatæ sunt omnes hypothecæ creditorum.*

DECISIO CCLXXXXI.

IN prima propositione huius Causæ fuerat firmatum, quòd obligatio Excellentissimi D. Marchionis, cuius vigore agitur, erat restricta ad precium scutorum septuaginta sex millium: & non extendebatur vltra istud precium: & ex hoc inferebatur per informantes, quòd cum istud precium fuerit solutum creditoribus anterioribus, non competebat amplius actio Excellentissimo Dom. Lothario; & quòd erat locus regulæ *legis dolo facit, ff. de reg. iur.* & *leg. vendicantem, ff. de euict.*

Verum quia pro eius parte replicabatur, quòd Excellentissimus D. Marchio debebat soluere illis creditoribus descriptis in lista, ad quorum fauorem ipse erat obligatus; & quòd si soluisset istis creditoribus, si superuenissent creditores anteriores, non potuisset ab eis molestari propter Motum proprium S. D. N. & petebat super hoc particulariter audiri, placuit Dominis ei satisfacere. Et ideò dubitaui, An si Excellentissimus D. Marchio soluisset illis creditoribus descriptis in lista contenta in instrumento venditionis Castri Nomenti, ad quorum fauorem Illustrissimus D. Lotharius est obligatus, stante dicto Motu proprio, potuisset molestari à creditoribus anterioribus Dominorum de Vrsinis, quibus dicitur fuisse solutum. Et fuit per Dominos resolutum, pro affirmatiua, nempe, quòd Excellentissimus D. Marchio potuisset molestari à creditoribus anterioribus, si soluisset posterioribus.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia ante Motu proprium non potest dubitari de hypotheca creditorum Dominorum de Vrsinis, vsque ad summam scutorum centum sexdecim milliũ cum bona, vsq; ad hanc summam essent separata per sententiam R. P. D. Seraphini ab alijs bonis fideicommisso subiectis ex causa æris alieni Camilli, Legitimæ Ioannis, & Pauli, & melioramentorum Latini. Et ista hypotheca fuit sublata solum respectu Castri, ad effectum vt

emptor esset securus, & translata in precium scuto-
rum 76000. Et ideo si istud precium fuisset solutum
posterioribus creditoribus, Dom. Marchio potuisset
molestari à creditoribus, qui super eo habebant hy-
pothecam anteriorem. Et hoc maximè dicendum
est; quia ante istam obligationem ad fauorem Dom.
Lotharij fuerat commissa ad instantiam D. Marchio
nis Causa graduationis creditorum, & data cedula
in actis pro satisfactione creditorum anteriorum; Et
1 ideo † stante scientia D. Marchionis, quòd adessent
alij creditores anteriores, non liberabatur si soluisset
posterioribus, Paul. de Castr. *in leg. vlt. §. & si præfa-
tam, num. 4. Cod. de iur. delib.* Et tanto magis, cùm isti
creditores instarent pro consequutione sui crediti,

Quòd autem hypotheca non sit sublata, respectu
istius precij, dicebant Domini constare, tam ex ver-
bis, quàm ex mente contrahentium, & confirmatio-
nis S. D. N.

Quantum ad instrumentum venditionis Castri ex
eo clare apparet, quòd istud precium scutorum sep-
tuaginta sex millium, fuit destinatum in satisfactio-
nem creditorum. Et quamuis D. Marchio promise-
rit soluere istud precium creditoribus descriptis in
2 lista: tamen ista † destinatio non fuit taxatiuè, & re-
strictiuè in præiudicium creditorum anteriorum, qui
bus contrahentes non poterant præiudicare: & ideo
eorum voluntatem debemus metiri, ex potestate.
3 Sed ista destinatio † solutionis precij creditoribus de
scriptis in lista, fuit facta demonstratiuè, tanquam si
isti soli essent creditores, & non adessent alij: quia
existimabatur, non adesse alios creditores præter de-
scriptos in lista, ex quo Domini de Vrsinis sub fide
Magnatum, & cum iuramento asserebant, quòd non
aderant alij creditores; vt in similibus terminis, be-
nè deducit Ruin. *in cons. 97. numer. 4. lib. 2.* Et conse-
4 quenter, cùm † verba stent demonstratiuè, non fuit
intellectum velle tollere hypothecam creditoribus,
anterioribus si adessent.

Neque applicatur replicatio, quòd Vrsini non as-
seruerunt simpliciter, & absolutè, quòd non aderant
alij Creditores; sed dixerunt, quòd non aderant alia
debita, quæ huic instrumento obstare possent: Quia
ista expressio virtualiter importat quòd non aderant
alij creditores anteriores; data enim anterioritate
aliorum, remanebant debita, quæ poterant obstare
instrumento. Et ideo hoc potiùs comprobat contra-
rium, quòd D. Marchio volebat esse tutus, & soluere
creditoribus anterioribus; & quòd propter istā asser-
tionem Dominorum de Vrsinis, quòd non remane-
bant creditores anteriores, à quibus posset pati mo-
lestiam, promisit soluere descriptis in lista.

Et quòd ista fuerit vera intentio contrahentium,
vt non excluderentur creditores anteriores, si perue-
nissent, comprobatur secundum Dominos: quia non
potest assignari aliqua ratio, ob quam fuerit intelle-
ctum velle potius soluere istud precium, posteriori-
bus descriptis in lista, quàm alijs anterioribus non
descriptis, à quibus D. Marchio propter anteriorem
hypothecam poterat molestari: & ideo multum ve-
5 risimile est, quòd † enunciatiuè, & demonstratiuè
fuerit facta promissio creditoribus descriptis in lista,
eo quia de illis solum habebatur notitia; & quòd
multo magis fuissent descripti creditores anteriores,
si de eo tempore fuissent detecti.

Mouit etiam maximè Dominos facultas tributa
D. Marchioni in instrumento, quòd si apparuerint
creditores anteriores, possit eis satisfacere, omissis
creditoribus descriptis in lista, obtinendo, etiam ab
eis cessionem iurium, cum quibus posset excludere
posteriores creditores. Ex ea enim apparet, sensisse
contrahentes, quod solutio fiat descriptis in lista, si
non apparerent alij creditores anteriores; & si appa
rerent, quòd solutio fieret anterioribus, vt emptor
esset securus: & ad istum effectum fuit expresse con-
uentum, quòd creditores cederent iura D. Marchio-
ni: quæ cessio erat inutilis, si fuisset sublata hypothe-
ca anterioribus creditoribus, quia in hoc casu emp-
tor non potuisset molestari.

Nec placuit Dominis, quòd esset in potestate Mar
chionis soluere vel non soluere creditoribus anterio
6 ribus; cum iuxta naturam verbi, *possit*, solutio † esset
merè facultatiua. Quia in hoc casu, ratione subie-
7 ctæ † materiæ, quæ habet præexistentem necessita-
tem, propter anteriorem hypothecam creditorum,
quibus contrahentes non poterant præiudicare, non
importat liberam voluntatem, sed necessitatem, &
obligationem soluendi anterioribus, Aret. *in leg. Gal-
lus, sub num. 3. ff. de lib. & posth.* Cosett. *in singul. in verb.
possit*. Et tanto magis, concurrente verisimili mente
8 contrahentium, quæ † ex omnibus partibus instru-
menti colligitur, vt supra dictum fuit, *leg. fideicomiss.
§. hæc verba*, & *ibi* glos. *in verbo continere, ff. de leg. 3*.

Præterea, etiam si solutio fuisset facultatiua respe
ctu D. Marchionis ista facultas, ante eius obligatio-
nem ad fauorem D. Lotharij erat redacta ad necessi-
tatem; quia erat commissa Causa graduationis, &
data cedula pro satisfactione creditorum anteriorū,
iuxta graduationem fiendam ab A. C. & ideo etiam
quod ista Commissio graduationis expirasset, per
9 lapsum trium mensium, sola † scientia Marchionis,
quòd adessent alij creditores anteriores, qui insta-
bant, operabatur istum effectum vt non posset solue-
re posterioribus in præiudicium anteriorum; vt per
Paul. de Castr. *in dict. §. & si præfatam, num. 4.* Et con-
sequenter, si soluisset posterioribus creditoribus, po-
tuisset molestari ab anterioribus. Nec in hoc casu ei
potuisset suffragari dispositio *leg. nomen, Cod. quæ res
10 pig. oblig. poss.* Quia † non est quæstio de debitore
soluente creditori, cuius nomen erat alteri hypothe-
catum; sed agitur de debitore sciente adesse credito-
res anteriores, qui etiam instabant, & soluente poste-
rioribus.

Non obstat, quòd in cedula reseruatur facultas
D. Marchioni auollandi census. Quia reseruatio fuit
facta solum ad effectum, vt si D. Marchio vellet sibi
auollare tot census, non cogeretur soluere totam sum
mam; & non ad effectum auollandi census posterio-
res in præiudicium anteriorum: & ideo debet intelli-
gi de censibus anterioribus; prout etiam fuit de-
claratum in protestatione à procuratore D. Marchio
nis.

Quo vero ad Motum proprium, Domini dixerūt,
quod principaliter emanauit pro confirmatione in-
strumenti, ad maiorem cautelam, & securitatem em-
11 ptoris: & ideo debet † recipere interpretationem,
ab instrumento, ita vt non tollat hypothecam ante-
rioribus creditoribus, sicut non tollitur per instru-
mentum.

Secun-

Secundo mouebantur, Quia in Motu proprio disponitur, quod emptor possit se tueri, ex iuribus cessis ab anterioribus, ad effectum excludendi posteriores; quod ostendit non fuisse intentionis S. D. N. tollere hypothecam creditoribus anterioribus, respectu pretij, sed potius illas præseruasse.

Tertio mouebantur ex verisimili eius mente, quæ deducebatur ex multis coniecturis. Primo, quia noluit præiudicare primogenituræ respectu dignitatis, quam transtulit in Castrum Silieis: nec fideicommisso, quod transtulit in bona Mantuæ, & multiplicium. Et ideo multum verisimile est, quod noluerit præiudicare creditoribus anterioribus quo ad summam scutorum 76000. assignatam creditoribus, & liberam à fideicommisso.

12 Secundo: quia iuxta † stilum similium gratiarum, non solet inferri præiudicium creditoribus anterioribus respectu precij subrogati loco rei venditæ, à quo solito verba concessionis, si essent dubia, recipere nent declarationem.

Tertio: quia nulla aderat causa inferendi hoc præiudicium creditoribus anterioribus; cùm intentioni Papæ, & contrahentium eodem modo satisfieret, siue pecuniæ soluerentur descriptis in lista, siue non descriptis anterioribus. Immo hoc secundo casu pinguius prouidetur indemnitati emptoris, cuius magis interest quòd solueretur creditoribus anterioribus.

13 Et ideo † iste sensus est amplectendus, per quem satisfit intentioni Papæ, & partium, & non tollitur ius quæsitum creditoribus.

Vltimo mouebantur ex obseruantia subsequuta. Quia Marchio commisit Causam graduationis, inter creditores, & dedit cedulam in actis, & creditores semper se obligarunt, de restituendo prioribus, & potioribus; & in specie ipse D. Lotharius in solutione fructuum huius census. Et sic ista obseruantia declarat, quòd ob omnibus semper fuit intellectum, quòd creditoribus anterioribus, remaneret hypotheca respectu precij.

Non obstat, quòd Motus proprius, non solum confirmat contractum emptionis, sed vlterius procedit, liberãdo Castrum ab omnibus hypothecis, ita quod emptor non possit super eo, quouis prætextu molestari, etiam quod integrum precium in solutionem debitorum conuersum non sit, cum alijs clausulis am-

14 plissimis. Quia hoc † est verum respectu ipsius Castri, quod Papa voluit omnino eximere ab omnibus obligationibus: sed non habuit locum, respectu precij, in quod translatæ sunt hypothecæ creditorum, quibus Papa non intellexit præiudicare, ita vt liberato Castro, eis non remaneant sua primæua iura illæsa respectu huius precij. Et tanto magis, cùm hoc redundet in præiudicium Dom. Marchionis, cui tutius erat acquirere iura ab anterioribus, quàm à posterioribus. Et ideo, licèt D. Marchio non possit molestari super Castro, etiam quod precium non esset conuersum in solutionem debitorum; non tamen ex hoc potest inferri, quòd non posset molestari à creditoribus anterioribus, si soluisset istud præcium creditoribus posterioribus.

ROMANA DOMVS.

Mercurij 28. Nouemb. 1601.

ARGVMENTVM.

Caducitas ob non solutum canonem, quando non habeat locum.

SVMMARIVM.

1 *In dubio fit interpretatio, vt cesset caducitas: & ad hunc effectum sufficit verba non esse clara.*

2 *Subhastatio facta non citatis interesse habentibus, est nulla.*

DECISIO CCLXXXXII.

IN alia propositione, huius Causæ fuerat restricta difficultas ad caput subhastationis, An suffragetur Dominis de Sorbellonibus: quia hoc circumscripto, Domini non dubitabant, quòd domus spectaret ad Io: Mariam vigore fideicommissi Vrsolinæ, cùm adsit probatio concludens, quòd ista domus fuit relicta in eius bonis: quia concurrunt inuestitura facta Barbaræ eius matri, declaratio caducitatis contra ipsam, confessio procuratoris Dominorum de Sorbellonibus in responsione ad positiones, & plures quietantiæ solutionis affictus: Et cum non agatur contra tertium possessorem, sed contra ipsos concedentes, ex istis simul iunctis resultat probatio cõcludens possessionis, & dominij Vrsolinæ.

Caducitas autem propter deuolutionem, ob non solutum Canonem, non intrat, vt fuit resolutum. Neque est locus caducitati ex alio capite, quòd Io: Maria non retinuerit penes se filios, iuxta formam testamenti: Quia non est apposita pœna, caducitatis expressa in casum contrauentionis; & verba secundum Dominos important potius monitionem, quàm conditionem: & non est clarum, quòd ista clausula sit referenda ad omnia præcedentia: quia imediatè Vrsolina liberat Io: Mariã à redditione rationis, & incõtinenti, subdit *Con questo però, che essa sia tenuto di hauer la cura, & gouerno di detti suoi figlioli, &c.* Et ideo istud onus potest intelligi appositum correspectiuè ad solam liberationem à redditione rationum. Et in du-

1 bio † fit interpretatio, vt cesset caducitas; & sufficit ad istum effectum, quòd verba non sint clara.

Vltra quod, si verum est, quòd Io: Maria fuit impeditus à tutoribus, ne illos retineret penes se, propter spem successionis, ad quam erat vocatus post eorum obitum; ista est iusta causa eum excusandi à non adimplemento, si fuisset apposita caducitas in casum contrauentionis.

Et ideo hac die proposito iterum eodem Dubio, Domini sine difficultate firmarunt, constare de dominio, & possessione Vrsolinæ, & non esse locum caducitati, & restrinxerunt difficultatem ad fundamentum subhastationis.

Et quamuis non fuerint concordes in capite, An debitum esset proprium tutoris, vel filiorum Alexandri, & Baptistoni, ita vt ex hoc capite alienatio posset sustineri propter detractionem, Legitimæ, & Trebellianicæ; tamen fuerunt concordes in alio fundamento, quòd subhastatio non suffragetur Domi-

2 nis de Sorbellonibus: quia subhastatio † fuit facta, citato Antonio, non vti tutore filiorum Alexandri, &

Vrso-

Vrsolinæ, quorum erat domus; sed Antonius fuit citatus vti tutor filiorum Baptistoni sui fratris, & subhastatio fuit facta vigore mandati relaxati contra bona hæreditaria ipsius Baptistoni. Et ideo, etiam si debitum fuisset commune, cum filijs Alexandri, non potuit subhastari eorum domus, ipsis non citatis.

ROMANA DE PEROTTIS.

Lunæ 3. Decembris 1601.

ARGVMENTVM.

Protestatio socij de accipiendo pecunias ad societatem officij, quæ requirat, vt afficiat alterum socium.

SVMMARIVM.

1 *Protestatio de accipiendo pecunias ad societatem, requirit declarationem, quòd pecuniæ accipiuntur ad commodum, & incommodum, &c.*

2 *Talis protestatio non debet esse vaga, & incerta, & debet exprimere, per acta cuius Notarij.*

3 *Quando socius accipiens pecunias ad societatem officij, est principalis, non potest petere fructus, nec ratione lucri cessantis, nec ratione damni emergentis.*

4 *Protestatio, etiam non intimata, sufficit, si est facta in ipso contractu societatis.*

5 *Susceptio termini non præiudicat, quando est facta metu mandati executiui, & detegitur error confessionis.*

DECISIO CCLXXXIII.

FVit per Dominos resolutum, mandatum relaxatum contra Dominos de Perottis, non esse exequendum. Fundamentum resolutionis fuit, Quia licèt præcedat protestatio Numæ post finitam societatem, quòd volebat accipere pecunias ad societatem à D. Martia de Victorijs ad commodum, & incommodum Dominorum de Perottis, & deinde illinc ad tres dies acceperit ab ea pecunias ad societa-
1 tem: Tamen ista protestatio non est sufficiens: quia † erat necessaria declaratio, tempore initi instrumenti societatis, quòd pecuniæ accipiebantur ad commodum, & incommodum Dominorum de Perottis, vt essent certi de contractu societatis, & succedente casu mortis, potuissent pecunias lucrari: quia alias fuisset in potestate ipsius Numæ, prout ei magis expediebat iuxta euentum rei, dicere illam societatem fuisse initam ad commodum, & incommodum illorum, vel sui ipsius.

2 Mouit etiam Dominos, quòd ista protestatio † est vaga, & incerta, cum contineat quod volebat accipere pecunias ad societatem à D. Martia, & alijs quibuscunque personis; nec in ea exprimitur per acta cuius Notarij. Et ideo non poterant Perotti facile certificari, sub cuius vitæ periculo pecuniæ starent, vt posset esse locus lucro in casum mortis.

Aliqui etiam ex Dominis existimabant, quod si protestatio fuisset formiter facta, nihilominus isti fructus non deberentur: quia Numa est principalis, & non fideiussor, in quo casu procedit decisio, quæ allegatur coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.
3 Et ideo, cùm † sit principalis, non potest illos petere, neque ratione lucri cessantis: quia non probantur requisita *Castr. in leg. 3. §. vltim. ff. de eo quod certo loc.* neque ratione damni emergentis: quia non constat, quòd fuerit passus aliquod damnum, nec quòd habuerit necessitatem, accipiendi istas pecunias ad societatem à D. Martia.

Non obstat alia decisio, quæ allegatur, quòd sola
4 declaratio, etiam † non intimata, sufficiat: Quia in illo casu declaratio fuerat facta in ipso contractu societatis, & fuerat factus locus lucro pecuniarum. Et in isto casu protestatio tenet in præiudicium protestantis, etiam non intimata, licet non noceat ei contra quem fit, *leg. sed, & si socius, §. 1. ff. pro soc.*

Non obstat susceptio termini ad soluendum. Quia
5 non est attendenda cum fuerit † facta metu mandati executiui; & satis sit detectus error, istius confessionis.

ROMANA BONORVM DE CINCIIS.

Lunæ 3. Decembris 1601.

ARGVMENTVM.

Hæredes tenentur pro rata ad soluenda debita defuncti.

SVMMARIVM.

1 *Versio in communem vtilitatem quomodo probetur.*

DECISIO CCLXXXIV.

DOmini dixerunt, quòd Decretum est iustum, quantum ad debita Iulij. Licet enim Iulius reliquerit tres filios, Reuerendissimum Episcopum, Baldassarem, & Melchiorem: tamen Melchior decessit sine filijs, & in eius portione successerunt æqualiter Episcopus, & nepotes: & ideo tenentur pro medietate ad solutionem debitorum Iulij.

Quantum ad debita contracta per Baldassarem, & Melchiorem, pariter dixerunt quòd decretum est iustum: Quia continet solum in genere, quòd Episcopus teneatur pro medietate, ad solutionem illorum, quæ fuerunt versa in vtilitatem communem; in alijs autem pro quarta parte, in qua Episcopus successit Melchiori. Et ea, quæ deducuntur in contrarium per informantes pro nepotibus, nõ concernunt iustitiam decreti, sed executionem, de qua hodie non agitur; & tunc erit videndum, an probetur ista versio, & pro qua parte: Quamuis Domini non dubitarent, quòd satis constaret de versione, si iustifi-
1 catur † quòd pecuniæ peruenerunt in manus Factorum communium, qui illas descripserunt in libris continentibus negocia communia; & quòd Episcopus eis solidauit computa; nisi ex eisdem libris appareret de exitu pecuniarum, pro particulari vsu Baldassaris, & Melchioris.

Circa vltimam partem decreti, quæ continet præfixionem termini ad eligẽdum portionem bonorum, secundum diuisionem datam in actis, Domini dixerunt; quòd illius iustitia, vel iniustitia pendet ex facto. Si enim nepotes ostenderent, quòd duæ partes bonorum mobilium Iulij spectent ad eos; constaret de errore, & decretum esset moderandum. Si vero hoc non iustificatur; decretum est iustum; & ideo videndum est, quomodo res se habeat.

OSCEN. INDVLTI.

Mercurij 5. Decembris 1601.

ARGVMENTVM.

Ius quando dicatur conſiderabile, ad effectum Regulæ, *De non tollendo iure quæſito.*

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentinum tribuit Epiſcopis ius nominandi, ſeu eligendi Lectorem, vel Pœnitentiarium; & ius examinandi, & approbandi; & præſeruat ius conferendi, cui prius competebat.*

2 *Regula,* De iure quæſito non tollendo, *præſeruat quodcunque ius, etiam minimum.*

3 *Ius perpetuum, & iuriſdictionale, & ius multum conſiderabile.*

4 *Beneficia patrimonialia licèt ſint conferenda certo generi perſonarum, ſpectant tamen ad collationem Epiſcopi.*

5 *Epiſcopus in concurſu duorum æquè nobilium, habet facultatem gratificandi alteri ex eis.*

DECISIO CCLXXXXV.

POſt reſolutionem factam in hac Cauſa per Illuſtriſſimos Cardinales Sacri Concilij Tridentini Interpretum, quòd tam, quo ad nominationem, & examen Lectoris, & Pœnitentiarj, quàm etiam quo ad qualitates, ſunt ſeruanda decreta Concilij: ita tamen, vt quo ad perſonas Concilij qualitatibus præditas, obſeruentur etiam Literæ Sixti Quinti iuxta tenorem Literarum Pij Quinti. Dubitaui, An ius, quod competit Epiſcopo ex Decretis Concilij, ſit conſiderabile, ita vt fuerit neceſſaria derogatio regulæ, De non tollendo iure quæſito, in Indulto Sanctæ me. Sixti Quinti. Et fuit per Dominos reſolutum pro affirmatiua. Et ratio potiſſima reſolutionis fuit
1 Quia Sācta Synodus tribuit Epiſcopo ius † nominandi, ſeu eligendi Lectorem, vel pœnitentiarium, cui fiat collatio ab eo, ad quem ſpectat ius conferendi, vt fuit reſolutum *in Cauſa Maioricen. Officij Pœnitentiariæ coram R. P. D. meo Seraphino, & me*, & ius examinandi, & approbandi, vt *in cap. 1. ſeſſ. 5. & in cap. 8. ſeſſ. 24.* Et ideo cum ſint ſeruanda Decreta Concilij quo ad nominationem ſeu electionem, examen, & qualitates Lectoris, & Pœnitentiarij, vt Sacra Congregatio reſoluit; & in Indulto Sixti Quinti, iſtud ius quod prius competebat Epiſcopo, iuxta Decreta Concilij, ei adimatur, & tribuatur Decano, & Capi-
2 tulo; erat neceſſaria derogatio regulæ cum † illa præſeruet quodcunque ius, etiam minimum; vt fuit reſolutum *in hac Cauſa*, & ſæpius tentum in alijs. Et tan-
3 to magis, cùm † iſtud ius ſit iuriſdictionale perpetuum, & multum conſiderabile. Et quamuis etiam eadem Congregatio reſoluerit, quòd quo ad perſonas, in quib. concurrunt qualitates requiſitæ à Sacro Concilio, obſeruentur Literæ Sixti Quarti; iuxta tenorem literarum Pij Quinti, vt inter graduatos præferantur nobiles non nobilibus, & inter nobiles magis nobiles: tamen nominatio, ſeu electio, examen, & approbatio remaneat Epiſcopo: Prout videmus
4 in Beneficijs † patrimonialibus; quæ licèt ſint conferenda certo generi perſonarum, nihilominus ſpectant ad collationem Epiſcopi, Put. *dec. 164. lib. 2. & dec. 163. lib. 3.*

Et hoc maximè dicendum eſt; quia inter iſtos graduatos in primis debet præcedere examen, & approbatio Epiſcopi ſuper eorum vita, moribus, & ſcientia. Et ideo non poteſt eſſe locus prælationi, ſi non
5 procedit approbatio Epiſcopi, qui † etiam habet facultatem in concurſu duorum æque nobilium, gratificandi alteri ex eis. Item poteſt eſſe, quòd non concurrat aliquis nobilis, vel quod in nobile graduato non concurrant requiſita Concilij; & conſequenter negari non poteſt, quin hoc ius Epiſcopi ſit multum conſiderabile, ad effectum quòd fuerit neceſſaria derogatio regulæ.

Non obſtat quòd ex pluribus examinatis ab Epiſcopo, & approbatis vti idoneis, Capitulum debet eligere nobiliorem. Quia hoc eſt de directo contrarium decretis Sacri Concilij; in quibus non ſolum facultas examinandi, & approbandi, ſed etiam nominandi, ſeu eligendi, tribuitur Epiſcopo, & præſeruatur facultas, conferendi illi, cui prius competebat; quamuis inter perſonas Concilij qualitatibus præditas, Epiſcopus teneatur eligere nobiliorem.

ROMANA SOCIETATIS OFFICII.

Veneris 14. Decembris 1601.

ARGVMENTVM.

Tempus diſdictæ ſocietatis an ſit computandum de momento ad momentum; vel poſt diem reproductionis.

SVMMARIVM.

1 *Dies termini in contractibus non computatur in termino.*

2 *Ad effectum computationis termini inſpicitur materia ſubiecta.*

3 *Terminus diſdictæ ſocietatis datur fauore debitoris, vt interim poſſit parare pecunias.*

4 *Dies reproductionis diſdictæ non computatur in termino quindecim dierum.*

5 *Verba,* Cum diſdicta quindecim dierum præcedentium, *excludunt diem reproductionis.*

DECISIO CCLXXXXVI.

DOmini pro maiori parte, tenuerunt factum fuiſſe locum lucro pecuniarum ad fauorem Dom. Alexandri. Quia licet materia ſit difficilis, An tempus diſdictæ ſit computandum de momento ad momentum, vel poſt diem reproductionis, propter contrarietatem opinionum, & varias diſtinctiones Doctorum: Tamen iuxta eam opinionem, quæ videtur eſſe magis communis, & Rota aliàs amplexa fuit *in alia Romana Societatis coram Reu. P. D. meo Lancellotto*,
1 dies † termini in contractibus non computatur in termino: & ideo incipiendo à media nocte, poſt diem reproductionis, ſocietas non erat finita; & conſequenter fuit factus locus lucro pecuniarum.

Et hoc eo magis dicendum eſt; quia ad iſtum ef-
2 fectum potiſſimum † inſpicitur materia ſubiecta, & ſit computatio de momento ad momentum; vel poſt diem termini, prout vtilius eſt ei, cuius fauore terminus fuit aſſignatus, Bald. *in leg. à caligato num. 2. de*
3 *nupt.* Et ideo, cùm † iſte terminus detur fauore debitorum vt interim poſſint parare pecunias, dies termini non debet computari in termino.

Mouit etiam maximè Dominos, quòd diſdicta inci-

incipit à die reproductionis, & iuxta formam contractus societatis debet præcedere per 15. dies ante;
4 & ideo † non potest computari dies reproductionis in termino 15. dierum; quia computando tempus de momento ad momentum, non daretur disdicta 15. dierum præcedentium.

Non obstat decisio *in Causa Imolen. coram bon. memor. Laurctano*: Quia placuerunt Dominis responsiones, quæ fuerunt datæ *in dicta Causa Romana Societatis*; & visa est non applicari; cùm hic non adsint verba, quæ denotent initium actus; & tanto magis, cùm iste terminus concernat fauorem debitorum. Et ideo illa decisio potius facit pro hac parte.

Non obstat quod contra Alexandrum, qui agit de lucro captando, facienda est in dubio interpretatio. Quia hoc est iudicare ex euentu, & non debet haberi respectus ad lucrum vnius aut alterius societatis, sed principaliter ad fauorem omnium debitorum, quorum contemplatione fuit præstitutus iste termi-
5 nus. Vltra quod illa verba, † *cum disdicta 15. dierum præcedentium*, secundum Dominos, excludunt diem reproductionis; & cōsequenter verba nō sunt dubia.

PARMEN. STATVS.

Veneris 11. Ianuarij 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de exceptionibus contra personas, & dicta testium.

SVMMARIVM.

1 *Testi non adhibetur fides, quando est persona vilis: nec non, si est subditus illi, pro quo deponit.*

2 *Cotrarietates in depositione, & inuerisimilitudines, iuncta cum exceptionibus contra personas, repellunt testes in totum.*

3 *Inuerisimile est, quòd quis recordetur de gestis in tempore infantiæ.*

4 *Dictio* in circa, *quoad tempus, non potest referri ad spatium viginti, & vltra annorum.*

DECISIO CCLXXXXVII.

FVit resolutum, Gabrieli de Merlis non esse adhibendam fidem.

Fundamentum resolutionis fuit: quia est persona vilis, & subditus Dominorum de Rangonibus, cùm haberet suas facultates in loco Plebis Altæ Vil-
1 læ territorij Tibelli. Et istæ duæ † qualitates sunt multum considerabiles ad istum effectum repellendi testes, vt fuit resolutum *in Causa Toletana Iuris nominandi 2. Maij 1588. coram bon. mem. Orano*. Et ideo, cum
2 vltra istas exceptiones cum persona, concurrant † etiam contrarietates in dictis, & inuerisimilitudines; ista simul iuncta repellunt in totum.

Contrarietates autem, secundum Dominos, sunt claræ, & inexcusabiles. Quia fuit examinatus de anno 1532. & deponit quòd est ætatis annorum 54. & consequenter, secundum istam computationem, erat natus de anno 1478. & subdit quod vsque ad 19. annum vixit expensis Patris in dicto loco Plebis Alteuillæ, & sic vsque ad annum 1497. & quod postea spatio trium annorum vixit expensis Io: Francisci Senioris in loco Libelli: & cum Ioannes Franciscus decesserit de eodem anno 1497. prout etiam ipse deponit, resultat contrarietas, & mendacium manifestum. Si enim Io: Franciscus erat mortuus de anno 1497. non potuit posteà spatio trium annorum viuere eius expensis.

Præterea deponit quòd sunt 38. anni, quòd ipse habitans in loco Tibelli, vidit Catharinam, & Martam simul stantes; & eius depositio percutit annum 1494. & tamen non accessit ad Castrum Tibelli, ad habitandum, nisi de anno 1497.

Concurrunt etiam inuerisimilitudines: quia erat ætatis annorum 54. & deponit quòd recordatur à
3 48. annis; & est multum † inuerisimile, quòd recordaretur de gestis tempore infantiæ.

Præterea deponit de auditu, quòd iam sunt anni 26. vel 27. quòd Catharina odio prosequebatur Margaritam ob suspicionem, quòd cognosceretur, carnaliter à Bernardino; & quòd inde ad octo menses nupsit Marco de Opiccis; & quod matrimonium fuit factum coactè, & præcedentibus etiam vulneribus. Et ista sunt multum inuerisimilia: quia, vt colligitur ex eius depositione, Margarita de tempore suspicionis erat ætatis nouem, vel decem annorum, & de tempore contracti Matrimonij vndecim annorum. Et tanto magis, quia Galeatius, qui ab eo allegatur in contestem, quantum ad istam qualitatem, quod Matrimonium fuit contractum cum vulneribus, deponit contrarium. Et quamuis ipse testis deponat semper
4 dubitatiue de tempore per dictionem *in circa*, tamē † ista dictio non potest referri, ad spatium tanti temporis, vt habetur in decis. 86. *inter miscellaneas, quæ circumferuntur*. Et ideo remanent contrarietates, & inuerisimilitudines. Ex quibus insimul, cum exceptionibus in persona fuit conclusum, isti testi non esse adhibendam fidem.

NVLLIVS, SEV VRGELLEN. IVRISDICTIONIS.

Mercurij 16. Ianuarij 1602.

ARGVMENTVM.

De probatione quasi possessionis, apponendi Edicta, & transmittendi examinandos ad Ordinarium.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio probatur per plures actus successiuos, diuersis temporibus gestos.*

2 *Mandatum de manutenendo est concedendum ei, qui reperitur in quasi possessione.*

DECISIO CCLXXXXVIII.

DOmini dixerunt, quòd quantum ad simplicem appositionem Edictorum, & transmissionem examinandorum ad Episcopum, constat de quasi
1 possessione Præpositi. Quia de † anno 1577. fuerunt apposita Edicta; & Vicarius Capituli, Sede Episcopali vacante examinauit illum, qui vigore Edictorum se opposuit. Et de anno 1593. datur alia appositio Edicti cum illius executione. Et de anno 1597 datur collatio Præpositi post appositionem Edictorum. Et de anno 1590. Præpositus remisit examinandum ad examinatores Synodales; & postea ei vti ap-
2 probato fecit collationem. Et ideo, cum † constet de quasi possessione ei est dandum mandatum de Manutenendo.

LVG-

LVGDVNEN. COMPVTORVM.

Mercurij 23. Ianuarij 1602.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Certioratio, quando nil operatur, non est necessaria.*

DECISIO CCLXXXXIX.

Fvit resolutum, quòd etiam si denuntiatio permutationis fuisset necessaria (quod Dubium ad huc pendet in decisum,) nihilominus ob non factam huiusmodi denunciationem, non constat de aliquo interesse Galeatij, ad quod teneantur Domini de Oricellarijs.

Fundamentum resolutionis fuit. Quia scripturæ non debebant consignari Galeatio, nisi post secutam adiudicationem, atque ideo Oricellarij neque poterant, neque tenebantur illas consignare, & Galeatius sine scripturis non intendebat, neque etiam poterat, si voluisset, de suo credito disponere: & consequen-
1 ter † certioratio ei non poterat suffragari. Et hoc eo magis dicendum est, quia nihil amplius Galeatius consequi potuisset secuta certioratione, quàm habiturus sit ea non facta, cùm in vtraque partitum defecerit, & idem damnum secutum fuisset facta certioratione.

ROMANA SOCIETATIS OFFICII.

Lunæ 28. Ianuarij 1602.

ARGVMENTVM.

Fructus soluti, an debeant computari in sortem, quando Instrumentum societatis, non est ratificatum, & in eo deficit clausula, Actum, & locus, & testes.

SVMMARIVM.

1 *Ratificatio societatis Officij sufficienter probatur per solutionem factam à dante pecunias.*

2 *Cedulæ receptionis pecuniarum ad societatem solent subscribi ante actualem solutionem, & sub spe futuræ numerationis, sed non consignantur nisi post solutionem.*

3 *Ratificatio societatis, probatur etiam per solutionem fructuum, & num. 4.*

5 *Ex lapsu temporis, & taciturnitate, præsumitur in dante pecunias, scientia societatis, & consequenter ratificatio eiusdem.*

6 *Declaratur Decisio* in Romana societatis, *coram Blanchetto.*

7 *Omissio clausulæ, Actum, & loci, & testium, quando non vitiet Instrumentum, & num. 8.*

DECISIO CCC.

Prætendebat D. Io: Baptista Massa quòd fructus Societatis officij ab eo soluti Reuerendissimo D. Archiepiscopo Amalphitano, debebant computari in sortem principalem, quia societas ab Episcopo non fuerat ratificata, & quia in instrumento deficiût clausula, actum, locus & testes. Neutrum ex istis fundamentis placuit Dominis, Dubio per me in Rota proposito: & ideo concluserunt, mandatum contra eum esse relaxandum pro fructibus decursis non solutis. Quia quantum ad priorem obiectionem defe-
1 ctus ratificationis, de ea † satis constat per cedulam subscriptam manu propria ipsius Io: Baptistæ: quæ probat, actualem solutionem, fuisse factam ab ipso Archiepiscopo.

2 Et quamuis istæ cedulæ † soleant subscribi ante effectualem solutionem pecuniarum, & sub spe futuræ numerationis, propter accessiones fideiussorum, qui postea obligantur: tamen sufficit ad illum effectum, quòd non consignantur, nisi post solutionem.

3 Præterea, concurrit † solutio fructuum facta per plures annos ipsi Archiepiscopo: quæ probatur, ex confessione Io: Baptistæ, qui affirmat quòd computatis omnibus pecunijs aduersatio solutis, est satisfactus de scutis 500. & vltra.

Et licet solutio fructuũ fuerit facta ab anno 1593. procuratori Archiepiscopi; tamen multum verisimile est quod solutiones præcedentes fuerint factæ ipsi Archiepiscopo, eum non appareat quòd de eo tempore haberet procuratorem in Curia, & non exhibeantur quietantiæ, quæ sunt in manibus Io: Baptistæ ex quibus posset detegi veritas ratificationis. Vltra, quòd procurator, cui fuerunt factæ solutiones subsequentes, habebat speciale mandatum ad exi-
4 gendum fructus societatum officiorum, & per † perceptionem fructuum factam à legitima persona, cui necessario soluendum erat, inducitur ratificatio contractus, Dec. *conf.* 58. *num.* 2. & *conf.* 296. *numer.* 2. Et tanto magis concurrente lapsu tanti temporis, & taciturnitate Archiepiscopi in non petendo fructus. Ex
5 † istis enim arguitur eius scientia, & quòd solutiones fiebant procuratori de eius voluntate, & consequenter, quòd societas ab eo erat ratificata.

Non obstat decisio *in Causa Romana societatis coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto*, Quia in ea non tan-
6 gitur illa difficultas, & † termini illius decisionis sunt multùm diuersi. In eo enim casu non dubitabatur, an solutio facta à dante pecunias ad societatem, induceret ratificationem contractus: sed dubitabatur solùm, an per mandatum de soluendo, esset inducta talis ratificatio, per quam excluderetur facultas nominandi: Et iste casus habet particularem rationem diuersitatis: quia cum non detur tempus intermediũ, non posset habere locum facultas nominandi infra quindecim dies, & quòd interim societas staret super periculo vitæ dantis pecunias, si ratificatio per solutionem excluderet facultatem nominandi. Et ideo ratificatio ad istum effectum, debet esse diuersa ab ea, quæ fit per solutionem pecuniarum.

Non obstat, quòd cedula remansit in manibus Archiepiscopi, & ideo Io: Baptista non potuisset probare ratificationem, si fuisset factus locus lucro pecuniarum. Quia vltra instrumentum, & cedulam in eius manibus, adsunt quietantiæ fructuum, ex quibus potuisset probare ratificationem; præsertim cùm concurrant adminicula.

Quo vero ad secundam obiectionem, Domini dixerunt quòd cum ista societas sit posita in Manuali post aliam societatem initam, eadem die ab eodem Io: Baptista cum D. Barberino, in qua adsunt clau-
7 sula actum, locus, & testes; ista † censentur repetita in hac societate, Bart. *in leg. si quis ex argentarijs*, §. *si initium, num.* 8. & *ibi* Bald. *num.* 1. & Alexan. *num.* 4. *ff. de eden.* & fuit resolutum *in Causa Parmen. Status*, & *m*

in alia Romana societatis coram bon. mem. Orano, & demum *coram me in causa Romana Societatum* 24. *Ianuarij* 1600.

Et secundum Dominos cessat omnis difficultas: Quia constat de veritate istius societatis ex accessione Hieronymæ de Coscíarijs, cum decreto Iudicis, quæ habet clausulam actum, locum, & testes: & con-
8 currit solutio † pecuniarum, & obseruantia nouem annorum, cum solutione fructuum: Quæ omnia supplerent istos defectus, etiam si instrumentum nõ esset in forma probanti; vt fuit resolutum *in Causa Sorana beneficiorum* 22. *Maij* 1587. *coram bon. mem. Orano per cons.* Baldi 400. *num.* 3. *lib.* 4.

ROMANA VINEÆ.

Veneris 1. *Februarij* 1602.

ARGVMENTVM.

Diluuntur exceptiones contra validitatem, & iustitiam mandati.

SVMMARIVM.

1 *Actio spolij habet locum, quando mandatum, cuius vigore fuit facta subhastatio, & capta possessio, est nullum, & notoriè iniustum.*

2 *Mandatum est nullum, quando fuit actum obligatione Camerali, & non extensa.*

3 *Item, quando fuit relaxatum pro maiori summa.*

4 *Sed ista nullitates, tolluntur per Commissionem sanatoriam.*

5 *Quando in Commissione sanatoria adest clausula, Constito de bono iure, nullitates ob non extensionem obligationis Cameralis, & propter excessum, non attenduntur, si mandatum in reliquis est iustum.*

DECISIO CCCI.

Dubitaui, An sententia A. C. lata in spolio, esset confirmanda vel reuocanda.

Deducebatur autem spolium ex eo capite, quòd mandatum, cuius vigore fuit secuta subhastatio, & capta possessio Vineæ, fuit nullum, & notoriè iniu-
1 stum: Et ideo † intrat actio spolij; vt fuit resolutum *in Causa Tiburtina Castri Sambuci coram S. D. N.* & sæpius tentum in alijs. Et quantum ad nullitates, ex eo,
2 quod fuit † actum vigore obligationis Cameralis, ea
3 non extensa; & quod mandatum fuit † relaxatum pro maiori summa verè debita; Domini non habuerunt illas in consideratione, propter Commissionem
4 † sanatoriam istarum nullitatum arbitrio Rotæ: Et tanto magis, quia si adest excessus, summa est modica. Et licet in Commissione adsit clausula, *constito de*
5 *bono iure*, tamen † si mandatum in reliquis est iustum, istæ nullitates non sunt attendendæ: Et ideo resolutio Dubij pendet à iustitia, vel iniustitia mandati.

Circa quam Domini dixerunt, quòd creditum Dorotheæ pro fructibus Census est liquidum; & ideo, nisi Archiconfraternitas probet, quod fuerit satisfacta ante relaxationem mandati ex fructibus Vineæ, mandatum est iustum. Hoc autem non probatur satim concludenter: Quia calculus 11. doliorum vini ad rationem scutorum 13. non iustificatur aliunde, quàm ex assertione partis, cui non creditur: & ideo decretum excomputationis, quod est fundamentum solum in hoc calculo, non est attendendum. Et tanto magis: quia in contrarium concurrit mala consideratio Vineę, propter quam fuerunt collecta solum quinque dolia vini; quod, vt deponit primus testis, *era cattiuo, & sapeua d'vna marcia, che non si poteua beuere*: Et ideo potest esse, quòd, detractis expensis, nihil fuerit perceptum à Dorothea. Et ista bene comprobantur ex obseruantia subsecuta: quia post factum casfulum in contumaciam Dorotheæ, ipsa fuit citata ad cultiuandum, & laborandum vineam, & ad dandam cautionem, de faciendo illam cultiuare; & ipsa consensit quòd Archiconfraternitas sine præiudicio sui Census posset facere cultiuare; & postea pro suo credito obtinuit relaxari mandatum, & exequi super hac Vinea, sine aliqua oppositione Confraternitatis solutionis sui Crediti. Et ista omnia ostendunt quòd Vinea erat in malo statu; & saltim reddunt turbidam prætensionem Archiconfraternitatis, quòd Dorothea esset satisfacta de suo credito. Et ideo fuit conclusum, non constare de iniustitia mandati.

BONONIEN. SIMVLATIONIS CONTRACTVS.

Lunæ 4. *Februarij* 1602.

ARGVMENTVM.

De concessione remissoriæ, etiam aduersus rem iudicatam.

SVMMARIVM.

1 *Remissoria probata releuantia, non potest denegari.*

2 *Res iudicata suspensa per Commissionem restitutionis in integrum, non impedit concessionem remissoriæ.*

3 *Commissio generalis restitutionis in integrum, aduersus quamcunque rem iudicatam, comprehendit etiam negocium principali.*

4 *Maior, regulariter, non restituitur aduersus rem iudicatam ob solam negligentiam procuratoris: sed restitutio debet fundari in bono iure, & num.* 5.

DECISIO CCCII.

Fvit resolutum, Comiti dandam esse remissoriam cum retardatione, vel sine, arbitrio Rotæ. Ratio resolutionis fuit: Quia coram me fuit oppositum de simulatione, & fuit dictum quòd melius iustificatur
1 modicitas precij. Et ideo † remissoria, quæ hodie petitur ad effectum probandi, istam modicitatem, est releuans; & cùm versemur in materia profana, non potest negari.

2 Non obstat res iudicata; Quia † est suspensa per Commissionem restitutionis in integrum, in quo Iudicio sæpius fuit per Rotam concessa, vt hic per informantes, qui allegant decisiones. Et tanto magis, cùm Commissio restitutionis in integrum sit generalis aduersus quamcunque rem iudicatam; & conse-
3 quenter † comprehendit etiam negotium principale, de quo etiam fuit cœptum agi coram me.

4 Non obstat quod † non est locus restitutioni maioris aduersus rem iudicatam, ob negligentiam pro-
5 curatoris. Quia restitutio fundatur in † bono Iure, & non in sola negligentia procuratoris: in quo casu procedunt *decis.* 5. *Cassad. de appell.* & 7. *Ctesc. eod. tit.*

Non obstat quòd fuit præuentum in executione: Quia hoc controuertitur in facto, cùm non appareat Dies præsentationis Commissionis Dominorum de Ballis;

Ballis; & eis non infertur aliquod præiudicium: quia
cùm Comiti conceditur temiſſoria cum retatdatio-
ne, vel ſine, arbitrio Rotæ, intetim videbitur an ſit
locus executioni; &, ſi ei etit locus, non impeditur
executio.

BONONIEN CENSVS.

Veneris 8. Februarij 1602.

ARGVMENTVM.

Obligatus ad legitimam, & perpetuam, & generalem defenſionem bonorum, tenetur in caſu, cuiuſcunque moleſtiæ.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio defenſionis bonorum habet locum ſtatim, mota controuerſia ſuper bonis, & num. 4.*

2 *Intimatio moleſtiarum probatur ſufficienter, ex reproductione actuum, cum citatione ad dicendum contra.*

3 *Item per præfixionem termini ad docendum de remotione impedimenti.*

DECISIO CCCIII.

DOmini reſoluerunt, intrare obligationem Equi
tij Dainesij, qui ſe obligauit ad legitimam, &
generalem, & perpetuam defenſionem annui Cen-
ſus, & bonorum cenſuatorum; & ideo cùm fuerit il-
latum impedimentum poſt executionem ad eius fa-
uorem ſuper iſtis bonis à Gentili, & Galeatio, vti
poſſeſſoribus, ſubintrat eius obligatio defenſionis
1 bonorum, cui † fuit locus ſtatim mota conttouerſia
ſuper bonis *leg. plus, §. mota, ff. de euict.*

Nec de intimatione moleſtiarum ſecundum Do-
minos poteſt dubitari: Quia de iſtis moleſtijs con-
2 ſtabat in actis Cataloni; † & iſta acta fuerunt repro-
ducta, citato procuratore Equitis ad dicendũ cõtra:
3 Et ceſſat omnis difficultas; quia poſtea † eidem pro-
curatori fuit præfixus terminus vnius Menſis ad ef-
fectum docendi de remotione iſtius impedimenti, &
liberatione à moleſtijs.

Nec refert ad iſtum effectum, an moleſtiæ ſint il-
latæ Herculiano, vel colonis. Quia obligatio Equitis
continet defenſionem bonorum, & non eſt reſtricta
4 ad perſonam. Et ideo ſufficit † quòd moleſtiæ ſint
illatæ reſpectu bonorum.

S. SEVERINI BONORVM.

Veneris 8. Februarij 1602.

ARGVMENTVM.

De alienatione fundi dotalis. Retroceſſio quando cenſeatur doloſa, & læſiua.

SVMMARIVM.

1 *In alienatione fundi dotalis requiritur conſenſus mariti.*

2 *Alienatio eſt nulla, quando præceſſit iuramentum de non alienando.*

3 *Retroceſſio præſumitur doloſa, & læſiua, quando pro prædio fructifero aſſignatur aliud ſtabile nullius æſtimationis.*

4 *Alienatio fundi dotalis eſt nulla, ſi fit, non ad reddendam meliorem conditionem filiæ, ſed in vtilitatem patris.*

5 *Solemnitates in contractu filiæ ad fauorem patris, regulariter, non ſunt neceſſariæ: licèt contrarium ſentiant aliqui, num. 7.*

6 *Intellige, regulam non procedere, quando contractus non fuit initus bona fide ex parte patris, & cum læſione filiæ.*

DECISIO CCCIV.

DOmini dixerunt alienationẽ fundi dotalis fuiſ-
ſe nullam. Quia vltra prohibitionem legis,
concurrit etiam expreſſa prohibitio in contractu aſ-
ſignationis fundi dotalis, quòd non poſſit vendi, alie
nari, vel oppignorari, vllo vnquam tempore quouis
modo, vel ſub quouis colore; ſed ſemper retineatur,
manuteneatur, & ſtet, vt dos, & dotalis fundus. Et
1 hoc maximè dicendum eſt: quia † ad iſtum effectum
requiritur conſenſus mariti, *leg. ſi prædium, Cod. de Iure dot. leg. ita conſtante, & leg. vlt. ff. eod. tit.* cui obſtat
2 præcedens iuramentum de non alienando; & † ideo
alienatio eſt nulla, Spec. *in tit. de empt. & vend. §. 3. loco verſic. 13.* Rim. Sen. *conſ. 409. num. 12. & 13. lib. 3.*
Campeg. *de dote parte 4. quæſt. 14.* & fuit late deductum *in Cauſa Romana Palatij 8. Martij 1577. coram bonæ mem. Lauretano.*

Mouit etiam Dominos, quòd iſta retroceſſio vi-
3 detur continere dolum, & læſionem. Quia † pro præ-
dio fructifero fuit aſſignata Domus, quæ non proba-
tur fuiſſe alicuius æſtimationis: &, ſi domus, & alia
bona aſſignata, potuiſſent vendi eodem pretio, non
fuiſſet opus deuenire ad illum contractum permuta-
tionis: quia cum venditio fuerit facta ad effectum
ſoluendi debitá, eodem modo poterant ſolui ven-
dendo domum, & mobilia ſine circuitu permuta-
tionis.

Præterea, iſta retroceſſio fuit facta ſolum ob affe-
ctionem filiæ erga patrem; qui etiam antea vendide-
rat fundum dotalem, & receperat pretium ab emp-
4 tore: & ideo † non fuit facta ad effectum reddendi
meliorem conditionem filiæ; ſed in vtilitatem patris.

Placuit etiam Dominis aliud fundamẽtum, quòd
alienatio ſit nulla, propter non adhibitas ſolemnita-
tes conſtitutionis Ægidianæ. Quia licèt regulariter
5 † ſolemnitates non ſint neceſſariæ in contractu ad fa-
6 uorem procuratoris: tamen hoc non procedit † quan-
do contractus non fuit initus bona fide ex parte pa-
tris, & cum læſione filiæ; vt per Gabr. *de ſtat. concluſ. 2. num. 7.*

Aliqui etiam dicebant, quòd propter prægnan-
7 tiam verborum † Conſtitutionis, ſolemnitates ſunt
neceſſariæ, etiam in contractu inito cum procurato-
re, Dec. *in leg. pactum quòd dotali, in fine, Cod. de collat.*
Gabr. *dict. concluſ. 2. num. 8.*

MEDIOLANEN. MATRIMONII.

Lunæ 11. Februarij 1602.

ARGVMENTVM.

Matrimonium ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Sponſalia, ante Concilium Tridentinum, ſecuta copula, & prole, tranſibant in matrimonium. Maximè, concurrentibus cohabitatione longi temporis, communi reputatione, tolerantia Parochi, & alijs coniecturis, & num. 2.*

3 *Quando agitur de ſucceſſione, ſufficit leuis probatio matrimonij.*

DECISIO CCCV.

Domini in hac positione firmarunt, solum constare de Matrimonio. Quia Sponsalia fuerunt
1 contracta de anno 1539. & non est dubium, quòd † sponsalia, secuta copula, & prole, ante Concilium transibant in matrimonium, *cap. is qui fidem, cap. veniens il 2. de Sponsal. cap. 1. §. 1. de despons. impub.*

Er hoc maximè dicendum est, concurrentibus licet
2 cohabitatione † decennali cōmuni reputatione, tolerantia Curati, exactione pecuniarum, cui non erat locus, nisi secuto matrimonio, & alijs coniecturis, quæ bene deducuntur per informantes. Et tanto magis cum non agatur de fœdere matrimonij, sed tan-
3 tum ad effectum successionis in † quo casu sufficit leuior probatio, iuxta Consil. Gemin. 27. sæpius canonizatum.

Reseruarunt autem Domini, vt particulariter videatur, an matrimonium sit validum. Et quia validitas pendet ex dispensatione, dixerunt quòd Causa restringatur ad istud caput dispensationis.

ROMANA VINEÆ.

Veneris 1. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Excluditur in casu Decisionis renouatio societatis.

SVMMARIVM.

1 *Renouatio societatis non deducitur ex calculo continente, solum tractatum de renouãdo, non autem renouationem, vel illius ratificationem, & num. 2.*

DECISIO CCCVI.

Fvit resolutum, non constare de renouatione Societatis. Ratio potissima resolutionis fuit: Quia in instrumento renouationis Societatis, non interuenerunt Domini de Petronijs; & ratificatio non dedu-
1 citur aliunde quam ex calculo Marij, qui † continet tractatum de renouando, & non renouationem, vel illius ratificationem. Et hoc Domini deducebant ex pluribus coniecturis. Et primò: quia in fine computi sunt apposita ista verba: *Che Sua Signoria faccia il conto de' frutti à modo suo, tanto di questi, quanto delli passati, & non ci corra danaro.* Quæ verba videntur significare, quòd facto computo renouetur Societas, sine noua numeratione pecuniarum. Et ab his verbis recipiunt declarationem, duæ partitæ appositæ in computo, in quarum altera Gaspar constituitur debitor pro fructibus primi Semestris nouæ societatis in scutis 30. Et in alia constituitur creditor in scutis 500. Quia ex verbis subsequentib. apparet quòd
2 iste † calculus continebat solum preambulum, & presupponit quòd deberet iniri noua Societas; & cum isto præsupposito in eo datur Gaspari debitum, & creditum ad effectum, vt posset videre, in quo remanebat debitor, iuxta solitum similium negociorum, & postea iniretur societas, & ideo in eo non potest colligi sufficiens ratificatio.

Secundo multum mouit Dominos, quòd iste calculus fuit factus die 9. Septembris 1591. & tamen in principio memorialis ipsius Marij, negociorum gerendorum sub die 2. Septembris, continetur ista nota, *Renouare, & accomodare le compagnie d'officio del Signor Gasparo della Molara.* Quod ostendit, calculum præcedentem, fuisse factum ad effectum renouandi societatem, & ante illam diem non præcessisse renouationē. Quia si aderat renouatio, non erat amplius necessaria. Et quamuis ista annotatio sit propria, ipsius Marij; tamen cum ratificatio non deducatur aliunde quàm ex eius calculo, qui non est clarus; illa seruit pro declaratione eius mentis, quòd non intellexerat in illo calculo, quòd ista secunda societas esset perfecta. Et tanto magis, attenta qualitate eius personæ, & obitu, postea sequuto.

Tertio, in ista dubietate mouit etiam Dominos inuerisimilitudo: Quia in prima societate aderant tres fideiussores, & ideo videbatur eis inuerisimile, quòd Marius voluerit inite nouam societatem sine fideiussoribus, & alijs cautelis consuetis. Et ideo concluserunt non constare de renouatione societatis.

NICOTEREN. DONATIONIS.

Lunæ 4. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de donatione remuneratoria.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur Decisio in Placentina Donationis coram Gipsio.*

2 *Donatio remuneratoria respicit seruitia de præterito.*

3 *Clausula, Vt in futurum cum maiori animo seruitia debeat prosequi, apposita in donatione facta ob benemerita, non importat causam finalem, sed solum impulsiuam, & excitatoriam donatarij.*

DECISIO CCCVII.

POst resolutionem factam in hac Causa, quòd sententia A. C. erat iusta, & confirmanda, fuit allegata in contrarium decisio alias facta in Rota, *in Causa Placentina Donationis coram bon. memor. Gipsio*; & ideo volui iterum proponere idem Dubium. Et Domini concluserunt non esse recedendum à decisis. Quia termini istarum decisionum, sunt multum diuersi.
1 Nam † in terminis *dict. Causæ Placentinæ*, fuerat solū assignata prouisio Medico, qui non habebat aliud salarium ab Illustrissimo Cardinali Sforria, inherendo desiderio patris quod erat, vt in ipsa assignatione à Cardinali exprimitur, *Che lui non si partisse mai dalla seruitù nostra, per la sufficienza sua; per la quale confidiamo più in lui che in altro Medico.* Et ideo in illo casu constabat clare, tam ex verbis, quàm ex mente, quòd causa assignationis prouisionis, erat seruitium præstandum in futurum; cum prouisio, quæ fuit constituta Medico, detur pro seruitio, & assignatio fuerit facta ob industriam suæ personæ, & ad effectum, vt iuxta desiderium patris continuaret in seruitio, in futurum. Quæ omnia cessant in hoc casu: Quia Herculi non fuit assignata prouisio; sed vltra salarium fuit ei facta donatio libera, & irreuocabilis inter viuos, & causa principalis, & finalis fuit, vt in proœmio exprimitur, remuneratio seruitiorum de præterito;
2 in † quibus propriè consistit donatio remuneratoria.

Et quamuis postea subdatur, *& ad hoc vt deinceps & in futurum cum maiori animo, & amore eius seruitia debeat prosequi*: Tamen, vt late fuit deductum in alia
3 decisione, ista clausula † non fuit apposita ad effe-

ctum

ctum restringendi,& limitandi donationem,quæ fuit facta ob benemerita; & ideo non potest importare causam finalem; sed importat solum causam impulsiuam, & excitatoriam donatarij, durante seruitio, ad effectum, vt dum permanebat in seruitio,cum maiori animo,& amore ei inseruiret. Quantum ad caput ratificationis reuocationis, Domini pariter dixerunt illam non obstare Herculi, prout fuit resolutum in alia positione:

AVXIMANA BONORVM.

Lunæ 4. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Donatio causa matrimonij, cum prohibitione alienandi,an impediat translationem dominij.

SVMMARIVM.

1 *Donatio iurata, & ob causam matrimonij, non eget insinuatione.*
2 *Donatio facta absenti, cum stipulatione Notarij in fauorem absentium,non eget alia acceptatione.*
3 *Alienatio bonorum donatorum non sustinetur in præiudicium vocatorum expressè in bonis donatis.*
4 *Institutio æqualis patris donantis inter filios,non comprehendit bona donata.*
5 *Simulatio non infertur necessario ex diuisione.*
6 *Transactio restricta inter certas personas, non suffragatur alijs.*
7 *Actus contra donationem causa matrimonij non præiudicant filijs in ea donatione vocatis.*
8 *Clausula,* Quicquid placuerit faciendi,*posita in donatione, euacuatur ex subsequenti prohibitione alienandi, & habet solum locum inter ipsos vocatos.*
9 *Facultas alienandi in donatione limitatur per clausulam restrictiuam,* Saluis infra dicendis.
10 *Prohibitio alienationis facta vt bona permaneant in familia, & cum stipulatione Notarij, impedit translationem dominij.*
11 *Census impositus super re partim grauata,partim libera, censetur in dubio impositus super parte libera.*
12 *Auth.* res,quæ, *habet locum in bonis grauatis, solum in subsidium,quando non extant bona libera.*
13 *Inuentarium bonorum grauatorum confectum à tutore, vti bonorum liberorum, non præiudicat fideicommissario.*
14 *Hæres cum beneficio legis, & inuentarij, non tenetur in sui præiudicium ratum habere factum defuncti.*

DECISIO CCCVIII.

DOmini resoluerunt mandata executiua relaxata per A.C.non esse exequenda super bonis in donatione comprehensis.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia de validitate donationis dubitari non potest:cùm fuerit facta cum iuramento, & ob causam matrimonij: in quo
1 † casu non requiritur insinuatio, vt fuit resolutum
in Causis Beneuentana Donationis coram bon.mem.Gipsio, & Spoletana Terrarum coram me: & quamuis donatio
2 fuerit facta filio absenti,tamen † adest stipulatio No
tarij in fauorem absentium; & concurrit etiam acceptatio donatarij, per quam tollitur omnis difficultas. Et ideo cum per istam donationem cum clausulis prægnantibus fuerit acquisitum ius filijs Clementis donatarij, resoluto iure ipsius Clementis per eius
3 obitum,ista † impositio censuum non substinetur in
præiudicium filiorum, qui post eius obitum sunt expresse vocati in donatione; vt fuit resolutum *in dicta Causa Spoletana Terrarum*: & consequenter ista mandata non sunt exequenda super bonis donatis.

Non obstat quòd donatio fuit simulata. Quia si-
4 mulatio non probatur. Nam † institutio æqualis pa-
tris donantis inter filios, non compræhendit bona donata, Aretin. *cons.74. num.* 11. & fuit resolutum *in Causa Portuen. Bonorum 27. Decembris* 1579. *coram*
5 *R.P.D. Seraphino*. Diuisio † vero non infert necessa-
rio simulationem; & transactio est restricta inter ipsos fratres,& ideo non suffragatur alijs. Vltra quòd,
6 secũdum Dominos,isti actus † subsecuti non possunt
7 inferre præiudicium istis filijs,cum donatio fuerit fa
cta contemplatione matrimonij, & ad eorum fauorem; vt fuit resolutum *in Causa Romana Pecuniaria, 12. Nouembris præteriti coram R.P.D. meo Coccino*, & tanto magis,cum isti actus non sint clari, & concludentes.

Non obstat, quod obligatio Clementis substinetur, propter facultatem ei concessam alienandi, &
8 quicquid placuerit faciendi. Quia virtus istius † clau
sulæ euacuatur ex subsequenti prohibitione alienandi, propter quam prohibitionem ista facultas alienandi restringitur, & habet solum locum inter ipsos vocatos, Bald. *cons.465.num.5.lib.5.* Curt. Iun. *consil. 130.num.6.* Dec. *cons. 171.sub num. 3.* & fuit late deductum *in Causa Imolen. Bonorum de anno* 1592. *coram Reu.P.D. meo Pamphilio*. Et cessat omnis difficultas:
9 quia etiam ipsa † facultas alienandi in continenti li-
mitatur per clausulam restrictiuam, *saluis infra dicendis*: quæ reseruatio esset sine effectu operandi, si facultas alienandi esset libera,non obstante subsequenti prohibitione.

Non obstat quòd ista prohibitio alienandi, vti facta in contractu, non impedit translationem dominij. Quia cum prohibitio alienationis sit facta, ad
10 effectum, vt bona permaneãt in istis familijs, & cum
stipulatione Notarij, ex ea impeditur translatio dominij; vt fuit late deductum coram me *in dicta Causa Spoletana Terrarum*. Præterea, census fuit impositus
11 super tenuta,quæ non erat in totum donata: & in †
dubio censetur impositus super parte libera; vt fuit resolutum *in Causa Perus. de Americis 8. Aprilis* 1587. *coram bon. mem. Orano*. Et ideo neque potest substineri ista impositio census, ex causa necessaria dotis filiarum: quia aderant tam pars libera istius tenutæ, supra quam intelligitur impositus census; quàm alia bona non subiecta fideicomisso, super quibus poterat imponi: & consequenter cessat dispositio, Auth.
12 *Res quæ*, quæ habet † solum locum in subsidium,
quando non extant bona libera.

Non obstat quod ista bona fuerunt descripta in inuentario, vti hæreditaria Clementis. Quia inuen-
13 tarium † fuit confectum à tutrice: & ideo non præiu-
dicat Aurelio.

Non obstat,quòd Aurelius, vti hæres Clementis, non potuit impugnare istam impositionem. Quia est
14 † hæres cum beneficio legis, & inuentarij; & conse-
quenter vti vocatus ex propria persona non tenetur habere ratum factum patris in sui præiudicium.

ROMANA RESTITVTIONIS DOTIS,

Veneris 15. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Bona in dotem assignata, cum promissione viri, in casu restitutionis, de restituendo exacta, in pecunia; & non exacta, in specie consignata; an, si pereant, damno viri pereant.

SVMMARIVM.

1 *Quando marito assignatur bona in dotem, cum pacto, quòd in casu restitutionis teneatur restituere bona non exacta, in similimet specie; tunc non transfertur dominium in maritum.*

2 *Bona in dotem assignata, si eorum dominium non sit translatum in maritum, pereunt damno hæredum vxoris: Dummodo non adsit dolus, vel culpa mariti, & num. 3.*

4 *Ex sola facultate tributa marito exigendi, & vendendi bona in dotem assignata, non oritur culpa considerabilis, ita vt pereant damno ipsius.*

5 *Quando vxori est reseruata facultas disponendi ex bonis dotalibus de aliqua summa, ad eius electionem; tunc electio est facienda ante venditionem bonorum.*

6 *Dolus & culpa viri excluditur in casu, quo bona dotalia, ante matrimonium stabant sub periculo vitæ vxoris, quæ erat iuuenis; si eius obitus successit intra paucos menses post matrimonium.*

7 *Contrauentione cessante, cessant etiam damna, & interesse.*

DECISIO CCCIX.

DOmini dixerunt, quod Petro non fuit promissa dos in quantitate, sed solùm fuit facta assignatio bonorum; & inter alia fuerunt assignata Loca Montium, & Societates officiorum, de quibus agitur, non ad effectum transferendi dominium, sed ad effectum declarandi quantitatem dotis, vt in casu restitutionis posset sciri, quæ quantitas esset restituenda. Et hoc secundum Dominos clare comprobatur: quia fuit conuentum, quòd Petrus, succedente casu restitutionis, teneretur restituere ratam exactam in similimet specie, prout bona credita, & Loca Montium
1 sibi consignata fuerant: in quo casu † non transfertur dominium in maritum, *leg. si inter*, vbi Salic. & alij, *Cod. de iure dot.* Couar. *pract. quæst. cap.* 28. *sub nu.*
2 3. Et ideo cùm non fuerit translatum dominium † in Petrum, perierunt damno hæredum Martiæ, *leg. plerunque, ff. de iur. dot.* glos. *in leg. æstimatis*, & *ibi* Paul. de Castr. *sub num.* 3. & alij, *ff. solut. matr.*
3 Non obstat quòd hoc procedit, nisi † adsit dolus vel culpa mariti, *leg. si mora, & leg. in his, ff. solut. matr.*
4 Quia Petrus non cogebatur vendere: & ex † sola facultate ei tributa exigendi, & vendendi ista Officia, & Loca Montium, non oritur culpa considerabilis, Aret. *consil.* 111. *num.* 6. Et tanto magis, cùm fuerit præuisum à contrahentibus, quòd posset succedere iste casus, quòd Petrus non exegisset ante obitum vxoris: & nihilominus solum ipse obligatur restituere in pecunia ratam exactam, & ratam non exactam in specie consignata.

Mouit etiam Doninos, quod Martiæ fuit reseruata facultas disponendi de scutis 400. ad eius electio-
5 nem: quæ † electio ante venditionem erat facienda,
6 & non fuit facta. Item, quòd † ista Loca Montium, & societates officiorum, ante matrimonium, stabant sub periculo vitæ Martiæ, quæ erat iuuenis, & eius obitus successit intra decem menses: Et ex istis saltim excluditur dolus, & culpa mariti, ita vt non teneatur de isto damno.

Non obstat obligatio Petri ad damna, & interesse. Quia cum non promiserit vendere Loca Montium, & extinguere societates, cessat contrauentio;
7 & † cessante contrauentione, cessant etiam damna, & interesse.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE SPINIS.

Lunæ 18. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

De retentione ad effectum impediendæ immissionis.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio defectus dominij, si non probetur clarè, & concludenter, non retardat immissionem.*

2 *Exceptio turbida, & requirens altiorem indaginem, non habetur in consideratione in Iudicio summario; sed reseruatur in alio Iudicio.*

3 *Pro Legitima datur retentio, & impeditur immissio.*

4 *Item pro dote, donatione propter nuptias, & funeris impensa.*

DECISIO CCCX.

DIfficultas fuit restricta in hac positione, ad defectum dominij Francisci testatoris, & creditum hæredis, an ex illis impediatur immissio.

Quantum ad primum caput, Domini dixerunt, quòd non probatur iste defectus dominij, saltim cla-
1 re, & concludenter; & ideo † ista exceptio non potest retardare immissionem. Quia circa domum in via Ballestrariorum, non affertur aliqua probatio; & non probatur identitas alterius domus ad Pontem Sixti, quæ fuit concessa Adrianæ ad tertium genus à duobus Monachis; nec constat de facultate illorum Monachorum, nec de effectuatione: Et incontrarium concurrunt plures coniecturæ. Quia Franciscus auxit Canones, & in testamento instituit hæredem Adrianam, & asseruit domum esse suam; & Adriana adiuit hæreditatem Francisci, & soluit Canones ab eo auctos. Quod verisimiliter non fuisset factum, si domus non fuisset Francisci. Item, in instrumento dotis Adrianæ de anno 1507. Franciscus assecurauit dotem super hac domo, vti propria: & cum ista ex-
2 ceptio sit † turbida, & requirat altiorem indaginem, non est admittenda in hoc iudicio summario, sed reseruatur in alio iudicio; vt per Doct. *in leg. vlt. Cod. de edict. Diui Adr. toll.* Ruin. *cons.* 27. *num.* 7. *lib.* 5. Soc. Iun. *cons.* 75. *num.* 18. & 19. *lib.* 1. & fuit sæpius resolutum.

Quo vero ad creditum, Domini dixerunt, quòd
3 pro legitima † datur retentio, & impeditur immissio, vt fuit resolutum *in Causa Perusina Bonorum* 5. *Iunij* 1581. *coram bon. mem. Orolen.* & ideo nisi doceatur de satisfactione, istud caput est releuans ad effectum impediendi immissionem.

Circa alia credita Adrianæ, dotis, donationis pro pter nuptias, & impensæ funeris, difficultas pendet

ex

ex facto, an sententia secundi Collateralis iustificetur ex actis. Quia si ista credentia iustificatur, creditori, qui non est tertius, sed hæres, datur retentio, Bald. *in leg. vlt. §. in computatione num. 4. Cod. de iur. delib.* & fuit late deductum in *Causa Romana de Incoronatis coram Cotta*; & postea *in Causa Romana de Gorijs coram bon. mem. Bubalo*: & consequenter ista credita impedirent immissionem.

Quo vero ad dotem Clementiæ, est firmandum, an Flaminius habeat aliquod ius ab ipsa.

Vnus etiam ex Dominis dicebat, quòd in hoc casu est necessaria restitutio; Quia licet versemur in secundo fideicommissario, tamen nunquam fuit facta restitutio, neque realis, neque verbalis.

PARMEN. STATVS.

Lunæ 18. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Dictio *in circa*, an saluet contrarietates, in dictis testium.

SVMMARIVM.

1 *Contrarietates in dictis, item exceptiones in personam, repellunt testes in totum.*

2 *Depositio testis cum dictione, In circa, ad quod tempus referri possit est arbitrarium Iudicis: & aliquando importat tempus trium vel quatuor annorum, & num. 3.*

4 *Intellige, vt arbitrium reguletur à coniecturis, præsumptionibus, verisimilitudinibus, & materia subiecta.*

5 *Interrogatoria super Confessione, & Communione, si omittantur, non solet testi adhiberi fides, nisi repetatur super ijs interrogatorijs omissis.*

6 *Vilitas personæ probatur ex seruitio mercenario, nec non ex cauponaria.*

7 *Testis quando deponit de ijs, quæ pendent ab eius æstimatione, standum est eius opinioni.*

8 *Arbitrium datum Iudici super fide testium, non habet locum, quando concurrunt exceptiones in personam: Item, quando fuerunt omissa Interrogatoria.*

DECISIO CCCXI.

Domini concluserunt non esse recedendum à decisis, quòd Gabrieli de Merlis non sit adhibenda fides, propter ea, quæ de nouo deducuntur: quia

1 subsistunt fundamenta decisionis, tam respectu † contrarietatum in dictis, quàm exceptionum in personam, propter quas testis repellitur in totum, vt fuit tentum in hac Causa, & sæpius resolutum in alijs.

Contrarietates enim tam in alia, quàm in ista positione deductæ, sunt plures, claræ, & inexcusabiles; nec secundum Dominos possunt saluari per illam di-

2 ctionem, *in circa*. Quia quamuis † remittatur arbitrio Iudicis, ad quod tempus referri possit depositio testis deponentis cum hac dictione; & aliquãdo fue-

3 rint additi vigore huius dictionis tres vel quatuor an-

4 ni, vt bene deducunt informantes pro D. de Rangonibus: tamen ad istum effectum potissimum sunt attendendæ coniecturæ, verisimilitudines, præsumptiones, & materia subiecta; vt per Angelum *in consil.* 127.

Et cùm depositio istius testis reddatur multum suspecta, quia est persona vilis, & subditus Dominorum de Rangonibus; & contrarietates sunt plures, & consistunt in facto proprio ipsius, qui antea per plures menses cogitauerat super isto examine; & ideo est multum inuerisimile, quòd sæpius errauerit in tempore tam considerabili; videbatur Dominis eius dictum non posse extendi ad tantum tempus, pro saluanda istius depositione. Et tanto magis, cum in toto examine semper vsus fuerit hac cautela, ad effectum, vt eius depositio possit saluari à contrarietate.

Et in ista dubietate mouit etiam maximè Dominos, quòd fuerunt omissa diuersa interrogatoria, & in specie super Confessione, & Communione: in quo

5 † casu non solet adhiberi fides testi, nisi repetatur super interrogatorijs omissis; præsertim concurrente protestatione Accoramb. *dec. 49. lib. 1.*

Similiter remanent exceptiones in personam: Quia Gabriel erat solitus viuere in seruitio vti mer-

6 cenarius, & aliquando etiam exercuit cauponam; & ideo non potest dubitari de vilitate eius personæ.

Alia autem qualitas, quod esset vassallus, non potest reuocari in dubium: Quia etiam quod eius facultas consisteret in illa parte Castri Zibelli; quam Ludouicus habebat in locationem à Camera Apostolica; tamen cum locatio esset facta cum mero, & mixto imperio, sufficit ad istum effectum, quòd tempore examinis Ludouicus haberet exercitiũ meri, & mixti imperij: quia in hoc casu militat eadem ratio suspicionis, & timoris. Et hoc maximè dicendum est, quia iste testis de tempore examinis, se habebat pro vas-

7 sallo; & † cum deponat de re, quæ pendet ab eius æstimatione, standum est eius opinioni, *leg. is qui putat, & ibi Ias. & alij, de acqu. hæred.*

Non obstat Commissio, quod adhibeatur fides

8 testibus examinatis cum interrogatorijs. Quia eorum fides fuit remissa arbitrio, cui in hoc casu non est locus: quia concurrunt exceptiones in personam; & quia fuerunt omissa interrogatoria, vt supra dictum fuit. Quare concluserunt Domini, standum esse in decisis, quòd iste testis sit repellendus in totum.

CORDVBEN CAPELLANIÆ.

Veneris 22. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Defectus transportationis actorum, non integræ, quando non obstet.

SVMMARIVM.

1 *Depositio testium si desit in transportatione actorum, non obstat quominus procedi possit ad vlteriora in Causa, quando Pars offert se velle habere articulos pro probatis.*

2 *Fauorabilius est Partis, quòd articuli dentur pro probatis, quam quod testes repetantur.*

DECISIO CCCXII.

Fuit resolutum, defectum transportationis non obstare, quominus procedi possit ad vlteriora in Causa.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia deficit solum depositio quorumdam testium, quæ non reperi-

 tur,

1 tur, & † Petrus offert velle habere articulos pro probatis. Et in isto casu cessat ratio Concilij, & Iuris
2 communis, & præiudicium alterius partis, cui † fauorabilius est, quod articuli dentur pro probatis, quam vt testes repetantur; in quo casu potest esse, quod testes non probent concludenter; & saltim tollitur materia disputandi.

Et in hanc sententiam Domini facilius venerunt, quia in propositione huius Causæ coram Reu. P. D. Corduba, fuit datum summarium depositionis istorũ testium in substantialibus: & amissio est secuta in officio Notarij sine culpa Petri; & postea Antonius non curauit illos de nouo facere repetere. Et ideo videndum erit, an ista probatio releuet.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS DE TVDELA.

Veneris 26. Aprilis 1602.

ARGVMENTVM.

Sententia antiquissima, ex quibus dicatur esse in forma probanti.

SVMMARIVM.

1 *Sententia antiquissima, exemplata ab eodem Notario, qui fuit de ea rogatus, non eget recognitione manus Notarij: sed sufficit quod habeat faciem sententiæ originalis, cum clausula. Actum testibus, & alijs substantialibus.*

2 *Data probat antiquitatem scripturæ, concurrentibus præsumptionibus, & coniecturis.*

3 *Adminicula pro sententia antiquissima probatione, & num. 4.*

5 *Archiuium Capituli regulariter non probat contra Episcopum.*

6 *Signum Notarij non est de substantia scripturæ.*

DECISIO CCCXIII.

FVit per Dominos resolutum, sententiam latam de anno 1311. esse in forma probanti.

Ratio potissima resolutionis fuit: Quia cum aga-
1 tur de sententia † antiquissima lata vltra 290. annos, & exemplata ab eodem Notario, qui fuit de ea rogatus, non requiritur recognitio manus Notarij; & sufficit quod scriptura habeat faciem sententiæ originalis cum clausula, actum, testibus, & alijs substantialibus; vt fuit resolutum in *Causa Romana Castri Orciani 4. Februarij, & 9. Maij 1575. coram Cotta, in Causa Nullius Beneficij della Monda 1. Decembris 1578. coram bon. memor. Rubeis, & in Causa Regien. Prioratus 16. Nouembris 1594. coram me.* Et hoc maxime dicendum est: quia vltra inspectionem huius scripturæ, quæ præfert huiusmodi antiquitatem, concurrunt etiam præsumptiones, & coniecturæ, ex quibus comprobatur veritas, & excluditur omnis suspicio falsitatis in
2 quo † casu Data probat antiquitatem, & non requiritur recognitio in instrumẽtis antiquis, etiam quod non sint antiquissima, *Pur. decis. 9. de fid. instrum.*

Videbatur autem Dominis concurrere in hoc ca-
3 su vrgens adminiculum; quia † ista sententia de anno 1430. fuit producta coram Episcopo Valentino, & de anno 1530. in Consilio Regio, & de anno 1573. in Rota sine aliqua oppositione partis; prout verisimiliter fuisset, oppositum, si fuisset dubitatum quod ista sententia non esset vera, & in forma probanti.

Secundo, pro adminiculo considerabatur, quod
4 de † anno 1330. probatur fuisse Decanum Petrum de Petro Laurentio, ad cuius instantiam Notarius attestatur exemplasse sententiam de anno 1326.

Tertio, deducebatur etiam adminiculum ex loco:
5 quia licet † Archiuium Capituli non probet contra Episcopum, vt fuit resolutum; tamen saltim præstat adminiculum huic scripturæ.

Non obstat defectus signi Notarij. Quia signum
6 † non est de substantia, *Clisanen. decis. 73.* & fuit sæpius resolutum.

Non obstat, quod Notarius asserit se esse Notarium publicum Concilij Tudelani: Quia ex hoc non resultat concludens probatio negatiuæ, quod non fuerit Notarius publicus, & habilis ad recipiendum acta in Causis Ecclesiasticis.

CVSENTINA CAPELLANIÆ.

Veneris 26. Aprilis 1602.

ARGVMENTVM.

Appositio Edictorum, iuxta præscriptum *cap. vlt. de elect. in 6.* in quo casu non sit necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Possessio in beneficialibus, regulariter non est manutenibilis, quando institutio non fuit facta cum appositione Edictorum: Sed illa negatiua est probanda clarè, & concludenter, & num. 2.*

3 *Possidenti, ad effectum manutentionis, sufficit solum docere de sua possessione.*

4 *Appositio Edictorum, iuxta formam cap. vlt. de elect. in 6. non est necessaria, quando nullum effectum operari potest.*

DECISIO CCCXIV.

POst resolutionem factam in hac Causa, quod Marco Antonio erat dandum mandatum de manutenendo in possessione huius Capellaniæ, fuit oppositum, quod eius possessio non erat manutenibilis: quia
1 obtinuit † institutionem sine appositione edictorum & ideo est locus, *cap. vlt. de elect. in 6.* quod habet decretum irritans, & reddit possessionem infectam, & consequenter non manutenibilem. Et ideo proposuj iterum idem Dubium alias resolutum: & Doministe-
2 terunt in decisis. Quia † non probatur clarè, & concludenter illa negatiua, quod non fuerint apposita edicta, prout ad illum effectum esset necessarium: quia
3 cum agatur † solum de manutentione, Marco Antonio sufficit solum docere de sua possessione, nisi doceatur per concludentes probationes quod eius possessio sit infecta, quia non fuerit seruata forma dicti, cap. vult.

Mouebantur etiam Domini: quia constat de iure patronatus huius Capellaniæ, ad quam est præsentandus vnus de familia de Redzellis, vel de familia Altomaries & cum aliqui ex eis fuerint citati, & alij de dictis familijs non compareant, neque appareat eos extare; cessant in hoc casu rationes, illius text.
4 cum appositio † edicti non posset operari vllum effectum; & ideo cessat etiam eius dispositio *Ajm. consil. 177. num. 3. 4. & 7.* & videtur sentire Lambert. *de iure patron. lib. 1. part. 2. artic. 8. quæst. 6. sub num. 7. vers. nisi essemus.*

Non obstat quod Cæsar non fuit citatus: Quia ipse

ipse non erat de istis familijs, neque erat legitimus contradictor; cum non citauerit Marcum Antonium coram Archiepiscopo, & ideo citatio non erat necessaria.

LVGDVNEN. COMPVTORVM.

Lunæ 29. Aprilis 1602.

A R G V M E N T V M.

De remissoriæ denegatione, ob irreleuantiam articulorum.

S V M M A R I V M.

1 *Ex stylo generali articulato non potest inferri ad casum particularem, in quo adsint particulares rationes diuersitatis.*

2 *Remissoria non conceditur pro articulo, pro quo fuerunt aliàs examinati testes.*

D E C I S I O CCCXV.

FVit resolutum, remissoriam nō esse concedendam Galeario. Dantur enim in summa pro eius parte duo articuli, quorum primus continet, quòd scripturis registratis, etiam de mandato Regis, non datur fides sine originalibus: & iste articulus non fuit à Dominis habitus in cōsideratione: quia in hoc casu fuit factus processus super amissione originalis, & probata amissione, fuit facta diligentia in Camera computorum; & constito quòd creditum non erat solutum, fuit concessum duplicatum cum magna Causæ cognitione, adhibita etiam obligatione D. Horatij de soluendo eandem summam, quatenus reperiretur exacta. Et ideo, etiam si articulus, qui præsefert magnam suspicionem, esset verus, non releuaret:
1 quia † ex stylo generali, qui articulatur, non potest inferri quòd idem fuisset obseruatum in hoc casu, in quo adsunt particulares rationes diuersitatis, propter tam exactam Causæ cognitionem adhibitam, & obligationem D. Horatij.

In secundo verò articulo continetur, quòd creditum iuxta tenorem partitarum, erat positum in caput Caroli, & Domini de Oricellarijs, vti ad eos spectans, & non vti spectans ad dispositionem Galeatij: & super hoc articulo fuerunt aliàs, ad eius instantiam examinati testes, & postea disputato Dubio solum cum illis testibus, & circumscriptis testibus Dominorum de Oricellarijs, fuit resolutum, quòd creditum remanebat in persona Galeatij, & quòd Carolus censebatur descriptus vti procurator Galeatij, & quòd subrogauerat Oricellarios loco sui, constituendo eos administratores, & non Dominos. Et ideò,
2 cum † super isto articulo fuerint examinati testes, & disputata causa, Domini noluerunt amplius concedere remissoriam. Et eo facilius Domini venerunt in hanc sententiam, propter suspicionem, quam habent, quòd ista remissoria petatur solum ad effectum differendi expeditionem Causæ; cum in Curia *non desint mercatores peritissimi*, qui poterant consuli super intelligentia istarum partitarum.

CATANEN. ANTIQVÆ ILLEGITIMITATIS.

Veneris 10. Maij 1602.

A R G V M E N T V M.

Rebellio quando excludatur: Inimicitia ex quibus probetur: &, In quo casu adimat fidem testi.

S V M M A R I V M.

1 *Rebellis non dicitur qui sequitur partes hostis Domini sui, non tamquam hostis, sed quia putat, eum esse dominum.*

2 *Inimicitia ad effectum repellendi testem, probatur ex pluribus, & num 6. & 7.*

3 *Querela super delicto graui, inducit præsumptionem inimicitiæ.*

4 *Querela data ad effectum reddendi testem inhabilem, non habetur in consideratione; nisi appareat data ex causa, quæ probetur fuisse vera, & num. 5.*

8 *Inimicitia, ad effectum repellendi testem, sufficit quòd probetur præsumptiue. Et sufficit causa odij, & inimicitiæ, & num. 9.*

10 *Testi asserenti se non esse inimicum eius, contra quem deponit, non datur fides, quando facta repugnant eius assertioni.*

11 *Inimico reconciliato de recenti non est adhibenda fides.*

12 *Inimicitia quando adimet fidem testi, est arbitrium Iudicis.*

13 *Testi deponenti contra fratrem sui hostis, non datur fides.*

14 *Absolutio à querela non tollit iniuriam, neque causam odij.*

D E C I S I O CCCXVI.

PRoposui Dubium in hac Causa, An quatuor testes examinati pro parte Pirruchij, & Constantiæ de Iuuenio, videlicet Io: Principatus, Gaspar Racciola, Iacobus de Iuuenio, & Iacobus de Ferraro, fuerint rebelles, & inimici Io. Thomæ: & ista exceptio illis obstet, ita vt eis non sit adhibenda fides. In cuius dubij propositione, Domini se restrinxerunt ad duos illos priores testes. Et quantum ad exceptionem rebellionis, censuerunt illam non esse releuantem: Quia personæ Gasparis non opponitur: & respectu Ioannis, ista materia rebellionis non applica-
1 tur: Quia licèt † adhæserit Pirruchio; tamen non fuit secutus partes Pirruchij, tamquam hostis domini sui: sed hoc fecit existimans, eum esse dominum, præstando illi fauorem in successione in bonis Bartholomæi: in quibus terminis non habet locum materia rebellionis.

Quo verò ad exceptionem inimicitiæ, Domini distinxerunt dubium in duas difficultates principales.

Prima fuit, An constet de inimicitia inter Ioānem, & Gundisaluum.

Secunda fuit, An ista inimicitia cum Gundisaluo fratre Io: Thomæ, sit sufficiens ad effectum vt illi non sit adhibenda fides contra Io: Thomam.

Et quantum ad primam difficultatem, Domini concluserunt constare de inimicitia inter Ioannem Principatum, & Gundisaluum. Mouebantur, quia
2 Ioannes præstitit † fauorem Pirruchio in adeptione possessionis Castri Ardonis; à qua possessione fuit expulsus Gundisaluus, & ibi remansit Officialis, & Capitaneus pro Pirruchio, donec fuit reintegratus Gundisaluus, prout ipse deponit. Et licèt dicat quòd pos-

possessio capiebatur nomine Regis; tamen, vt exitus demonstrauit, apparet quòd iste fuit color quæsitus; Quia si possessio vere fuisset, capta nomine Regis, non fuisset admissus Pirruchius, neq; ei tradita possessio huius Castri; neque Ioannes, eius nomine perseuerasset in officio Capitaneatus.

Secundo mouebantur; quia postea Gundisaluus, hoc factum sibi ad iniuriam reuocauit, cùm de anno 1518. dederit querelam criminalem contra Ioannem super contrauentione iuris fidelitatis, & homagij; quæ in hac disputatione fuit præsupposita in forma 3 probanti. Et ista querela † cùm sit super delicto graui induxit præsumptionem inimicitiæ, glos. *in leg. licet in versic. capitalis, ff. de arbitr.* Bartol. *in leg. 3. num. 2. ff. de testibus.*

Nec placuit Dominis, quòd ista querela non sit 4 habenda in consideratione cùm † fuerit data ad effectum reddendi inhabilem illum testem, vt postea non posset deponere in Causa. Quia fuit data ex causa præcedenti traditionis possessionis Pirrucchio; 5 quæ † causa probatur fuisse vera; & propterea excluditur præsumptio quòd fuerit data ad istum finem ei adimendi fidem.

Tertio mouebantur ex postea subsequutis. Quia 6 Gundisaluus, occasione † computorum fecit arrestare, & vendere quædam animalia Ioannis; & ipse volens declinare iudicium in Castro Ardonis, vbi erat Gundisaluus obtinuit prouisionem Regiam contra Gundisaluum, ne se ingereret in causis tam ciuilibus quam criminalibus contra Ioannem, cum narratiua, quòd ipsum odio prosequitur: & cum ista prouisio non potuisset intimari Gundisaluo, Ioannes obtinuit postea aliam de nouo.

7 Quarto, & vltimo mouebantur Domini ex † depositionibus testium, qui concludenter deponunt de inimicitia Ioannis cum Gundisaluo. Et licet isti testes patiantur exceptiones; tamen saltim seruiunt pro adminiculo; præsertim, cùm concordent in facto traditionis possessionis Pirruchio. Et ex tota ista serie facti videbatur dominis constare sufficienter de inimicitia inter Ioannem, & Gundisaluum; ad effe-8 ctum, vt Ioanni non sit adhibenda fides: quia ad † istum effectum sufficit, quod inimicitia, etiam præsumptiuè, probetur, Innoc. *in cap. cum N. num. 5. de re iud.* & *ibi* Abb. *num. 22.* Bald. *in leg. præscriptione, 9 num. 36. Cod. si contra ius.* Et sufficit † causa odij, & inimicitiæ. Crescent. *decis. 3. de testib.* Præsertim in causa grauissima, in qua agitur de statu, & legitimatione personarum, & de feudis maximi valoris.

Non obstat, quòd Ioannes in suo examine dicit, 10 quod non est inimicus Gundisalui. Quia non est † standum in hoc suæ assertioni, sed factis, quæ repugnant: & tanto magis cum sit multum verisimile, hoc ab eo fuisse dictum ad effectum, vt non repelleretur à testimonio.

Non obstat, quòd postea sequuta fuit reconciliatio seu remissio, Quia hoc concernit materiam rebellionis, de qua non agitur: & illa non fuit generalis, sed particularis pro rebellibus Noare. Et cessat omnis difficultas quantum ad Ioannem, qui non est nominatus in instrumento, & nunquam voluit acceptare remissionem, & subire iudicium Gundisalui. Vltra quod, secundum Dominos, stante inimicitia 11 præcedenti, non est † adhibenda fides inimico testi conciliato de recenti, *cap. accusatores 3. quæst. 5. glos. in cap. per tuas in verbo, inimicitias, in fin. de simon,* Purpurat, *cons. 606. num. 48.*

Quo vero ad secundam difficultatem, Domini fuerunt concordes, quòd ista inimicitia Ioannis cum Gundisaluo sit sufficiens ad effectum vt ei non sit adhibenda fides contra Io: Thomam; Quia materia est indiuidua, & præiudicium inseparabile, cum Causa esset communis inter Io. Thomam, & Gundisaluum, tam respectu illegitimitatis, quàm successionis: & tanto magis, cùm occasione illius causæ communis, ob adhæsionem factam Pirruchio in occupatione Castri Ardonis, habuerit originem inimicitia 12 cum Gundisaluo. Et propterea cùm † ista materia sit arbitraria, & plurimum pendeat à præsumptionibus, & coniecturis, Bald. *cons. 41 numer. 3, & 4. lib. 5.* Et in isto casu, vltra præsumptionem, quæ à Doctoribus habetur in magna consideratione, quòd Ioan-13 nes deponebat † contra fratrem Gundisalui, cuius erat inimicus, vt per Alexan. *in cons. 99. num. 4. lib. 1.* concurrat etiam qualitas materiæ, quæ tendit in præiudicium ipsius Gundisalui, & inimicitia habuerit originem ex causa communi, vt dictum fuit: Iste testis, secundum Dominos, redditur adeo suspectus, vt ei non sit adhibenda aliqua fides in præiudicium Ioannis Thomæ.

Quantum vero ad Gasparem Racciolam, secundum testem, Domini pariter censuerunt ei non esse adhibendam fidem: Quia contra eum fuit data querela de falso: & quamvis postea fuerit absolutus, ta-14 men † absolutio non tollit iniuriam neque causam odij. Et tanto magis, cùm de tempore examinis fuerit oppositum de inimicitia: & ad istum effectum sufficit causa inimicitiæ, vt supra dictum fuit.

PERVSINA DOTIS.

Veneris 10. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

Dos relicta filiæ à parte, quando grauamen recipere possit.

SVMMARIVM.

1 *Dos relicta filiæ à patre, grauari potest onere restitutionis, in eo, quòd excedit quantitatem Legitimæ.*
2 *Secus verò, infra quantitatem Legitimæ.*
Contrarium in casu num. 5.
3 *Statutum non confirmatum, non ligat.*
4 *Dos non succedit loco Legitimæ, quando Statutum disponit, quòd mulier debeat esse tacita, & contenta dote.*
6 *Filia acceptans ex legato paterno dotem maiorem Legitima, cum onere fideicommissi, ratificasse censetur fideicommissum patris.*
7 *Intellige, quòd requiratur ratificatio clara, & concludens: nempe, quòd filia interueniat in contractu confessionis dotis, in quo fiat mentio legati paterni, & num. 8.*

DECISIO CCCXVII.

DOmini dixerunt, quòd secũdum dispositionem Iuris communis, dos relicta filiæ à patre, potest 1 grauari † onere restitutionis in eo quod excedit quantitatem Legitimæ *leg. vltim. §. filiæ,* & *ibi* Bartol. 2 Paul. de Castr. & alij, *ff. de leg. 2.* Secus vero † infra quantitatem Legitimæ, *leg. quoniam in prioribus, Cod.* de

de inoffic. test. Et propterea onus restitutionis substinetur solum in excessu.

Statutum vero Rocchæ Contradæ, non fuit habi-
3 tum in consideratione. Quia non docetur † de illius confirmatione prout requiritur: sed si ostenderetur confirmatio, Domini illud haberent pro releuanti. Quia cùm Statutum non solum excludat dotatam, sed etiam indotatam, quam vult dotari; & disponat, quòd mulier debeat esse tacita, & contenta dote;
4 dos † in hoc casu secundum distinctionem, Castren. *in leg. Titio centum, §. Titio genero, ff. de condit. & demonstrat.* sæpius canonizatam, non succedit loco Legiti-
5 mæ: & ideo † onus teneret etiam infra quantitatem Legitimæ.
6 Nec placuit Dominis, quòd Iulia acceptando dotem maiorem Legitima, cum onere fideicommissi, ratificauit, & approbauit fideicommissum patris, Socc. Iun. *cons.* 122. *num.* 24. *&* 25. *lib.* 1. & consequenter est
7 locus restitutioni doti in totum: Quia ad istum † effectum requiritur approbatio clara, & concludens;
8 quæ hic non adest: cùm Iulia non † interuenerit in contractu confessionis dotis, in quo fit mentio legati ei facti in testamento paterno.

ROMANA DE CINCIIS.

Veneris 17. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

Exceptio expensarum in iocalibus, an impediat restitutionem dotis pro quantitate impensa.

SVMMARIVM.

1 *Impensæ in iocalibus non retardant restitutionem dotis, quando quis promisit dotem integram restituere: Etiamsi factæ essent ex pecunijs dotalibus, & num.* 3.

2 *De quantitate ad speciem non fit compensatio; præsertim in materia dotis.*

DECISIO CCCXVIII.

Fvit per Dominos resolutum, quod exceptio impensarum in iocalibus, quam Reuerendissimus D. Episcopus opponit ad effectum, vt non sit locus restitutioni dotis pro quantitate impensa, ei non suffragatur.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia dotis restitutio petitur à D. Iulio, & D. Anna, qui habent intentionem fundatam contra D. Episcopum, pro restitutione integræ dotis, vigore suæ obligationis, vt
1 fuit resolutum. Et ideo, siue † ista iocalia sint propria vxoris, siue pertineant ad eius virum; non potest Episcopus de illis opponere contra D. Annam, & eius patrem ad effectum impediendi restitutionem dotis: sed ei actio competit côtra D. Hieronymum, cuius negotium gessit. Et tanto magis, cùm Episcopus in istis impensis secutus fuerit fidem Hieronymi, ad cuius debitum illas posuit in computis.

Non obstat, quòd ista iocalia sint in manibus D.
2 Annæ. Quia dos fuit soluta in pecunia: & † de quantitate ad speciem non fit compensatio, præsertim in materia dotis. Bart. *in leg. si constante, num.* 88. *ff. solut. matrim.* Et propterea D. Anna, & pater, non excluduntur à petitione integræ dotis. Et tanto magis, quia ista iocalia spectant ad D. Hieronymum, & sunt in manibus D. Annæ, vti spectantia ad ipsum: & ideo Episcopus non potest opponere de compensatione; sed debet agere contra Hieronymum, pro restitutione pretij, quod ad eius creditum ponendum est in computis.

Non obstat, quòd ista iocalia fuerunt empta, ex pecunijs dotalibus. Quia hoc non probatur, neque
3 probatum releuaret. Cum enim † Episcopus esset obligatus ad restitutionem integræ dotis, ad fauorem patris, & filiæ, nô potuit in eorum præiudicium reddere deteriorem restitutionem dotis, faciendo ex dote istas impensas, quæ spectant ad virum.

CORDVBEN. CAPELLANIÆ.

Veneris 17. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de Regula, *De Triennali.*

SVMMARIVM.

1 *Regula,* De Triennali, *suffragatur solum possessori.*

2 *Possessio posterior triennalis procedens ex titulo infecto, non habetur in consideratione.*

DECISIO CCCXIX.

Fvit per Dominos resolutum sententiam esse confirmandam. Quia cùm Regula *de triennali,* suffragetur Petro, vt fuit resolutum; & hodie Antonius nô sit in possessione; eius posterior possessio triennalis,
1 quæ præsup ponitur probata non releuat. Quia † Regula *de triennali* suffragatur solum possessori, Cassad. *decis.* 10. *super reg.* Achill. *decis.* 1. *super reg. de triennal.* & fuit sæpius resolutum. Et tanto magis, cùm non constet quòd Petrus se habuerit pro spoliato; & ideo propter ciuilem possessionem, quam retinuit, fuit ei datum mandatum de manutenendo.

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quòd non sit locus Regulæ: Quia stante triennali possessione præcedenti, titulus Antonij propter decretum
2 irritans positum in regula, est infectus: in † quo casu posterior possessio triennalis procedens ex titulo infecto, non habetur in consideratione; vt fuit resolutum *in Causa Seguntina Beneficiorum* 1. *Iunij* 1592. *coram bon. mem. Orano.*

ROMANA SOCIETATVM.

Lunæ 20. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

De restitutione fructuum societatum initarum vltra valorem Officij.

SVMMARIVM.

1 *Societas non sustinetur vltra valorem Officij; sed remanet purum mutuum.*

2 *In mutuo non cadit perceptio fructuum.*

3 *Consuetudo nihil operatur in vsuris.*

4 *In Censu nulliter imposito non debentur fructus.*

DECISIO CCCXX.

1 Fvit per Dominos resolutum, Lelium teneri ad restitutionem fructuum. Quia cùm istæ † societates officij vltra valorem non substineantur; vt fuit resolutum, remanet purum, & merum mutuum, in
2 † quo non cadit perceptio fructuum; vt fuit sæpius reso-

resolutum. Et consuetudo ad istum effectum excusandi à restitutione fructuum, non suffragatur: quia
3 † consuetudo nihil operatur in vsuris *cap. quia in omnibus*, & *ibi glo. in versic. multi, de vsur. cap. inter dilectos, de excess. prælat.* & in his terminis fuit resolutum *in Causa Romana Scietatis 2. Iulij 1570. coram bon.*
4 *mem. Cardinali Lancellotto*. Et † io censu nulliter imposito fuit etiam resolutum coram Gypsio *in Causa Vrbeuetana Census de anno 1594.*

BONONIEN. CENSVS.

Lunæ 20. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

Vide Argumentum Decisionis 303.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio simplex ad defensionem generalem bonorum, comprehendit molestias illatas ex quauis causa, & à quibuscunque personis.*

2 *In dubio præsumitur executio, facta in bonis expressis in mandato.*

3 *Nouus terminus ad liberandum à molestijs ei concedi non debet, cui antea fuerunt præfixi plures alij termini, & qui etiam sustinuit litem.*

DECISIO CCCXXI.

PRoposui iterum idem Dubium aliàs propositum, & resolutum; & Domini concluserunt non esse
1 recedendum à decisis. Quia promissio Virgilij est † simplex ad generalem defensionem, bonorum censuatorum: Et ideo comprehendit molestias illatas à Galeatio. Et hoc maximè dicendum est attenta verisimili mente contrahentium, qui intellexerunt de liberatione à molestijs illatis ex quauis causa, & à quibuscunque personis.

Non obstat, quòd licèt ab A. C. fuerit obtentum sequestrum super bonis censuatis, nihilominus non constat, quòd super illis fuerit executum; & consequenter non apparet quòd molestiæ illatæ à Galeatio super bonis sequestratis, sint super bonis censuatis. Quia in relatione executoris non ponuntur diuersi confines ab expressis, in instrumento venditionis census, & in decreto sequestri: sed solum in eis exprimitur Commune, in quo possessiones sunt sitæ, sine appositione confinium; cum dicat fecisse executionem in Communi Capitis fluminis, *in loco detto alla Fornace*, iuxta suos notorios confines; & in Communi Sancti Martini in Argila. Et ideo cùm executio possit esse facta in bonis censuatis, quæ sunt ista in istis Communibus, in dubio intrat præsumptio
2 pro executore, quòd † fecerit executionem in bonis expressis in sequestro A. C. & quòd non excesserit formam mandati. Et ista præsumptio, secundum Dominos, coadiuuatur: quia si sequestrum non fuisset executum in istis bonis, non fuisset obtenta inhibitio ad instantiam Galeatij; sed fuisset oppositum, quòd ista bona erant diuersa à bonis, quæ debebant sequestrari. Et propterea sequestrum A. C. nihil commune habebat cum istis bonis. Verùm hodie cessat omnis difficultas: cùm postea superuenerit, relatio executoris, qui declarat, quòd executio fuit facta in istis bonis.

Nec placuit Dominis, quòd Æquiti sit præfigendus nouus terminus ad effectum, liberandi à mole-
3 stijs. Quia ei † fuerunt præfixi plures termini, & sustinuit litem per tres annos, & vltra. Et ideo cùm facto habuerit tantum tempus, non est deueniendum ad nouam præfixionem.

PARMEN. STATVS.

Veneris 24. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

De exceptionibus adimentibus, in totum fidem testibus.

SVMMARIVM.

1 *Subornatio testis est multum verisimilis, quando depositio est conformis instructioni ipsi datæ.*

2 *Item redditur verisimilis ex causa in eum, contra quem examinatur.*

3 *Inuerisimile est, quòd famulus vilis conditionis existat, præsens actibus dominorum, qui soleant occultè geri; quodq; ei propalent facinus graui pœna mulctandum.*

4 *Qualitates vilitatis, & paupertatis, necnon peccatum blasphemiæ, adimunt in totum fidem testi.*

5 *Oppositio Partis contra testes non officit quin Iudex possit animum suum informare, ex eorum depositionibus.*

6 *Iudicis officium est, veritatem vndique indagare.*

DECISIO CCCXXII.

PRosequendo disputationem cæptam, fuit dubitatum, An Iacobus Marotius sit idoneus testis; & quæ fides sit illi adhibenda. Et Dubio hac die per me proposito, Domini censuerunt ei non esse adhibendam aliquam fidem.

Mouebantur: Quia Vincentius Mantuanus, & Iacobus de Ferrarijs, deponunt de auditu à Cæsare del la Vela, quòd iste testis fuerat instructus ab eo, vt deponeret de copula Bernardini cum Margarita de visu per foramen ostij, quod erat factum ad effectum,
1 vt pateret aditus gattis: & propterea † cùm eius depositio sit conformis instructioni Cæsaris, subornatio redditur multum verisimilis: & tanto magis, cùm iste Cæsar alios testes subornauerit.

Mouebantur etiam: quia ante examen iste testis permanebat in seruitio Dominorum de Pallauicinis, & ab eis fuit carceratus in castro Varani, & postea, dimissus ab eorum seruitio accessit ad Castrum Rocchæblanchæ, & à Comite Ludouico fuit transmissus ad Curiam, vt se subijceret examini contra Dominos
2 de Pallauicinis: Et illud † initium carcerationis, & accessus ad Castrum Rocchæblanchæ, reddit materiam subornationis magis verisimilem, & inijcit maiorem suspicionem, quòd facilior potuerit esse subornatio propter odium contra Dominos de Pallauicinis, ob præcedentem carcerationem.

Tertio mouebantur: quia iste testis deponit, quòd in camera, se præsente, saltim tribus vicibus Bernardinus promisit Catherinæ eam ducere in vxorem, quàm primum esset mortuus Io: Petrus eius maritus, & subdit, quòd cùm ipse dixisset Catherinæ, quòd ipsa non poterat sperare quòd haberet effectum matrimonium cum Bernardino, quia Io: Petrus eius maritus erat iunior Bernardino; Catherina respondit, quod eius maritus non poterat diu viuere, quia fecerat sibi aliquid propinare. Quæ omnia præseferunt ma-

3 magnam inuerisimilitudinem: quia † cùm ipse inseruiret in officijs admodum vilibus, non est verisimile, quod fuerit præsens in camera tot vicibus promissio ni Bernardini; neque quòd interrogauerit Catherinam, neque quod Catherina ad simplicem eius interrogationem ei propalauerit tantum facinus.

4 Quarto, & vltimo monebantur: quia † iste testis est pauper & vilis; & Vincentius dicit quòd est blasfemator; & Iacobus, quòd est paruæ æstimationis: & propterea, cùm concurrant cum qualitate suæ personæ tot coniecturæ, & præsumptiones, & materia sit arbitraria, & nitatur potissimum præsumptionibus, & coniecturis; Domini concluserunt ei non esse adhibendam aliquam fidem.

Non obstat quòd Cæsar della Vela fuit reprobatus ad instantiam Dominorum de Pallauicinis, & propterea non possunt se fundare in eius depositione. Quia vnum ex fundamentis reprobationis consistit in subornatione aliorum testium; & ideo nihil impedit, quod non possint opponere de subornatione huius testis. Vltra quod, vt sæpius dictum fuit in

5 hac Causa, oppositio † partis contra testes, non facit quin iudex possit animum suum informare, ex eo-

6 rum depositionibus, † cùm ad eius officium spectet veritatem vndique indagare, Put. *dec. 219. lib. 1.*

ROMANA REMISSIONIS AFFICTVS.

Mercurij 5. Iunij 1602.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Ad effectum remissionis affictus non sufficit probatio damni in certo tempore; sed est probandum damnum per totum tempus affictus.*

2 *In affictibus fit compensatio anni fertilis cum sterili.*

DECISIO CCCXXIII.

Domini resoluerunt, non esse locum remissioni. Quia testes non concludunt de damno, per to-

1 tum tempus locationis, & ad istum effectum non †

2 sufficit probatio damni in certo tempore: quia fit † compensatio anni fertilis cum sterili; vt in simili Causa inundationis fuit resolutum coram Gipsio, *in Causa Romana remissionis affictus* 8. *Februarij* 1593. & sæpius fuit tentum in alijs.

SVRRENTINA BENEFICII.

Mercurij 5. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de mandatum de manutenendo.

SVMMARIVM.

1 *Possessio instrumentalis non præiudicat anteriori, ad effectum mandati de manutenendo.*

2 *Fides extracta, parte non citata, non facit fidem.*

3 *Decretum irritans, in regula reseruatoria, non operatur suum effectum, donec reseruatio non sit iustificata.*

DECISIO CCCXXIV.

Domini concluserunt mandatum, de manutenendo dandum esse Io: Leonardo prouiso ab Ordi

1 nario; quia constat † de eius anteriori possessione; & propterea possessio instrumentalis, postea capta à Dominico, ad istum effectum non releuat.

Non obstat quòd vacatio successit in mense Augusti reseruato; & ideo possessio Io: Leonardi non est habenda in consideratione, propter decretum irritans positum in regula: Quia non probatur obitus

2 in mense: cùm † fides, in qua sit fundamentum, non fuerit extracta formiter parte citata: neque iustifica-

3 tur vacatio. Et ideo donec reseruatio, † non sit iustificata, decretum irritans, non operatur suum effectum, & non impedit manutentionem; vt sæpe fuit resolutum.

MONTIS REGALIS IVRISDICTIONIS.

Lunæ 10. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Quando quis faciat suas, sententias latas; non ad effectum, vt ei obstet res iudicata; sed solum, vt possit prosequi Iudicium.

SVMMARIVM.

1 *Ius appellandi, & dicendi de nullitate, non competit nisi illi, cui sententiæ obstant, & num. 7.*

2 *Appellans, & dicens de nullitate, & iniustitia sententiarum, facit sua, gesta illuc vsque; & sententiæ eum afficiunt.*

3 *Tertius veniens principaliter, ad deducendum ius suum contra sententias, intelligitur venire, tanquam in prima instantia, & non facit sententias, suas.*

Contrarium num. 4.

5 *Tertius si commutat Causam nouam, tanquam in prima, est incohandum nouum Iudicium: si verò appellet, & det de nullitate, facit sententias suas, & num. 6.*

8 *Clausula, Quam, & quas, operatur vt possit procedi tanquam in prima.*

Intellige vt num. 9.

10 *Ex appellatione, & eius Commissione, oritur approbatio sententiarum.*

11 *Cautelæ contentæ in protestationibus, non mutant naturam Causæ.*

DECISIO CCCXXV.

Fuit per Dominos resolutum, Capitulum, Clerum, & Vniuersitatem Caranienşem fecisse sententias suas, non ad effectum vt eis obstet res iudicata: quia in hoc casu admissio ad causam esset inutilis; sed ad effectum numeri, vt solum possint prosequi iudicium tanquam in tertia instantia.

Fundamentum resolutionis fuit; Quia pro eorum parte fuit appellatum ab illis sententijs, & Causa appellationis, & nullitatis fuit commissa in Rota: quod

1 ius appellandi, & dicendi † de nullitate non compe-

2 tit nisi illi, cui sententiæ obstant: & propterea † appellando, & opponendo de nullitate, & iniustitia sententiarum, & committendo super eis Causam, in necessarium antecedens voluerunt facere gesta, illuc vsque sua, & quod sententiæ eos afficerent, Achil. *decis. 13. de appell.* Put. *dec. 71. lib. 3.* & fuit resolutum coram S. D. N. *in Causa Cathanien. Legitimitatis 13. Februarij, & 7. Nouembris* 1530.

3 Non obstat quòd quando tertius venit † principaliter ad deducendum ius suum, intelligitur venire tanquam in prima; vt per Felin. *in cap. cum super, sub num.*

num. 11. de re iudic. & conſeqnenter non facit ſenten-
tias ſuas: Quia illud dictum non tenetur, & alias fuit
4 † reprobatum à Rota, vt per put. *dict. deciſ. 71. lib. 3.*
5 Tertius enim poteſt duplici via inſiſtere: Vel † com-
mittendo cauſam nouam, tanquam in prima: & in
6 hoc caſu eſt inchoandum nouum judicium: Vel † ap-
pellando, & dicendo de nullitate, & in hoc caſu facit
7 ſententias ſuas: quia aliter † ius appellandi, & dicen-
di de nullitate, ei non competit, vt fuit late deductum
in Cauſa Corduben. Statutorum 24. Ianuarij 1590. coram R. P. D. Seraphino. Et ideo imputent ſibi Capitulum,
& litis conſortes, ſi hanc ſecundam viam elegerunt.
8 Non obſtat clauſula, *quam, & quas*, cuius † vigo-
9 re poteſt procedi tanquam in prima. Quia iſta † clau
ſula operatur ſolum iſtum effectum, vt non conſtito
de appellatione, vel ea deſerta, poſſit pronunciari,
prout in prima, Et in his terminis procedunt deci-
ſiones, quæ allegantur per informantes. Sed ex hoc
non ſequitur, quòd non fuerit appellatum, & com-
10 miſſa Cauſa appellationis, & nullitatis: ex quibus †
actibus oritur approbatio ſententiarum, & quòd vo-
luerunt facere ſententias ſuas.
Non obſtant cautelæ contentæ in ſecũda proteſta-
11 tione. Quia † illæ non mutant naturam Cauſæ, quòd
non fuerit appellatum, & commiſſa cauſa appella-
tionis, & nullitatis.

ROMANA PECVNIARIA.

Veneris 14. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Mandatum ex quibus præſumatur factum in perſonam alicuius.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum, in quo relicta ſunt in albo nomina procuratorum, ſi tranſmittatur ad aliquem, is cenſetur conſtitutus procurator.*

2 *Inſtrumentum originale crediti ſi tranſmittatur vnà cum mandato ad exigendum, non cenſetur tranſmiſſum ad alium finem, quam illud exigendi: & ex eo comprobatur mandatum, & iuſtificatur ſolutio.*

3 *In Regno Galliæ ſolent tranſmitti mandata, cum nomine procuratorum in albis.*

DECISIO CCCXXVI.

DOmini omiſerunt in hac poſitione caput nullitatis: Et quantum ad caput iuſtitiæ, reſoluerunt ſententiam D. Alæ eſſe iuſtam.

Mouebantur: Quia inter Guglielmum Sande, & Antonium Bergerium fuerat contracta ſocietas occaſione expeditionum, quæ tranſmittebantur ad Romanam Curiam à Thoma del Bene, & alijs correſponſalibus; vt probatur ex apoca conuentionum, & ex laudo R. P. D. Seraphini, & res eſt notoria in hoc tribunali, propter lites, quæ occaſione huius ſocietatis in eo verſæ fuerunt; & propterea cum in computis ſolidatis cum Thoma de anno 1578. ei ex computata fuerit ſumma ſcutorum 200. quam mutuauerat Honofrio Vigili cum fideiuſſione Antonij, competebat ipſi Antonio actio contra Honofrium pro repetitione huius ſummæ, ex duplici capite. Primo, quia à ſocietate fuerat extinctum eius proprium debitum. Secundo, quia Antonius habebat manda-
tum à Thoma: Quoniam licèt in mandato non fue-
rint expreſſa nomina, & cognomina procuratorum,
1 ſed ſint relicta in albis; nihilominus, cùm † mãdatum
fuerit tranſmiſſum ad Guglielmum, ex hoc oritur ef-
ficax coniectura, quòd Thomas intellexerit eum cõ-
ſtituere procuratorem, & tanto magis, quia fuit etiã
ei tranſmiſſum inſtrumẽtum originale crediti, quòd
fuit reſtitutum Honofrio; & veriſimiliter non fuit
tranſmiſſum ad alium effectum, quam exigẽdi ab eo;
2 & ideo ex eo comprobatur mandatum, & iuſtifica-
tur ſolutio poſtea facta ab Honofrio, vt per Doct. *in
leg. vlt. Cod. de pact. conu.* Et iſtud mandatum redditur
multum veriſimile ex excomputatione facta in com-
putis cum Thoma de dicto anno 1578. & ex qualita-
te perſonæ Antonij, cui, & Guglielmo dirigebantur
expeditiones à Thoma, & erat eius correſponſalis;
3 & ex † ſolito Regni Galliæ tranſmittendi ſimilia mã-
data cum nomine, & cognomine procuratorum in
albis. Et ſtante ſolutione huius debiti rectè, & ritè
facta ipſi Antonio ab Honofrio, non ſunt attenden-
dæ moleſtiæ poſtea illatæ à Claudio cõtra Honofriũ,
& mandatum contra eum relaxatum; Quia Claudio non competebat aliqua actio contra ipſum, neque vigore ceſſionis Thomæ, qui iam fuerat de ſuo credito ſatisfactus; neq; ex perſona Guglielmi, cuius erat hæres, quia Guglielmus, non habebat aliquam actionem contra Honofrium, ſed ſolum contra Antonium pro ſua rata; pro qua etiam de illo tempore Claudius non poterat agere, vti hæres Guglielmi, quia ſuper eo extat laudum R. P. D. Seraphini à partibus acceptatum, in quo Claudius, & Antonius liberãtur hinc inde ab omnibus prętenſionibus. Et ideo Honofrius, ſtante iniuſtitia moleſtiarum, quæ ei inferebantur à Claudio, ſi volebat repetere, & conſequi releuationem indemnitatis ab Antonio, non debebat ſoluere Claudio, & fateri debitum, allegando quod fuerat deceptus ab Antonio, & quòd Claudius ageret contra eum, quia ei ſoluerat bona fide: ſed debebat opponere de ſolutione, iam facta Thomæ, & quòd Claudio non competebat actio contra eum; & facere ſuas neceſſarias defenſiones. Et defenſio erat etiam facilis ex alio capite; quia non conſtabat de credito Thomæ in actis, & originale erat in manibus ipſius Honofrij, ſine quo, parte opponente, A. C. non proceſſiſſet ad relaxationẽ mandati. Et ex his ſecundum dominos reſultat iniuſtitia ſententiæ A. C. Quia cum Honofrius benè ſoluerit Antonio, & male Claudio, ſine legitima defenſione hæredes Antonij, non poterant condemnari ad reſtitutionem, & ad damna, & intereſſe; & conſequenter ſententia D. Alæ, illius reuocatoria, eſt iuſta.

ROMANA PIGNORVM.

Veneris 4. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de facultate mutuandi ſub vſuris, conceſſa Hebræis; deque eiuſdem reſtrictionibus.

SVMMARIVM.

1 *Hebræi mutuantes debeant annotare in libro qualitatem magis eſſentialem pignoris; illique, ſi oppignorans inſtet, apponere ſigillum, vel ſimbolum: Et, ſi pignus ſit materiæ precioſæ, debent annotare pondus, & menſuram.*

furam. Et numero 6.

2 *Casus pignoris, non seruata forma Capitulorum super facultate mutuandi ad vsuras, est decidendus iuxta terminos Iuris communis.*

3 *De Iure communi Hebræus tenetur restituere veris dominis res suas, sine eorum consensu oppignoratas, absque restitutione precij, & vsurarum, & num. 9.*

4 *Per annotationem ponderis, & numeri lapillorum pretiosorum, cessat periculum fraudis.*

5 *Numerus, & pondus in pignore pretioso, debent describi copulatiuè, etiam in casu, quo fuisset appositum sigillum.*

7 *Liber priuatus, de Iure communi, non probat pro scribente contra tertium.*

8 *Facultas concessa Hebræis mutuandi &c. eis non suffragatur, non seruata forma eiusdem. Nec est pura, & simplex, sed habet certas qualitates, & limitationes, & numero 10.*

11 *Cap. 8. & cap. 13. facultatis Hebræorum mutuandi, &c. fuerunt apposita ad vitandam fraudem; & dant formam, & modum.*

12 *Pœna stat exclusiuè ad nullitatem.*

Intellige, vt num. 14.

13 *Hebræi nunquam habuerunt facultatem mutuandi liberam, & absolutam, sed restrictam, & limitatam.*

15 *Ad effectum inducendæ nullitatis, inspicitur potissimè præsumpta mens disponentis.*

16 *Adimplementum per æquipollens non habet locum, quando forma præscripta tendit ad exclusionem fraudis.*

17 *Cessante ratione legis in casu particulari, non proinde cessat legis dispositio, quæ est inducta pro euitanda fraude.*

18 *Oppositio de inobseruantia capitulorum, contra Hebræos mutuantes, succedit loco querelæ.*

DECISIO CCCXXVII.

Facultas mutuandi sub vsuris permissa Hebræis, habet diuersas limitationes, & restrictiones, ad effectum, vt non possit committi fraus. Et inter alia

1 in cap. 13. continetur: *Che † siano obligati scriuere nel libro la qualità del pegno più essentiale, come fino, ò grosso; nouo, ò vecchio, & il colore; & volendo il Christiano metterli il sigillo, ouero il contrasegno, l'Hebreo non possa recusare; & nel libro, & nella poliza, o bollettino da dàrsi come di sopra, ne habbia à fare mentione, sotto pena di scudi quattro per ciascuna volta. Et essendo il pegno d'oro, d'argento, o gioie, ò altra materia pretiosa, oltre le qualità, & circonstantie sopradette, vi si deua seruare il peso, & il numero loro, sotto pena di scudi 20. per ciascuna volta contrauenisse.*

Post obitum Andreæ Dinelli aurificis fuerunt inuentæ penes Missanos Hebræos plures gioielli, & margaritæ diuersorum dominorum, quæ ab eis fuerant datæ Andreæ ad effectum illas vendendi. Repetebant domini à Missanis illos gioiellos, & margaritas. Respondebant Missani, quòd ipsi eas habuerant ab Andrea in pignus, pro certis pecuniarum summis ei mutuatis, & quòd non tenebantur restituere sine solutione pecuniæ mutuatæ, & vsurarum. Domini vero replicabant, quòd Missani non obseruauerant formam Capitulorum; & circumscripta facultate eis concessa, non constabat de pignore: &

2 † iste casus erat decidendus iuxta terminos iuris com-

3 munis, secundum † quòd Hebræi tenentur restituere veris dominis res suas, sine eorum consensu penes eos existentes, absque restitutione pretij, & vsurarum, glos. *in leg. seruus,* & *ibi* Salic. & alij, *ff. de condit. indebit.* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 29. num. 2.* Et causa inter eos pendente, coram Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Aldobrandino S. R. E. Camerario, proposui de eius mandato Dubium in Rota, An Missani teneentur ad restitutionem sine solutione pecuniæ mutuatæ, & vsurarum? Et Dubio proposito sub die 13. Maij, & Causa mature discussa, non fuit capta resolutio, propter exemplaritatem materię: sed fuit restricta difficultas, vt videretur particulariter, An in descriptione sex partitarum fuerit obseruata à Missanis forma dicti capituli 13. Et quatenus adsit inobseruantia, An ista inobseruantia sit talis, vt Missani teneantur ad restitutionem sine solutione pecuniæ, quæ ab eis prætenditur fuisse mutuata Andreæ, & vsurarum.

Et Dubio super istis difficultatibus, hac die iterum proposito, circa primam difficultatem fuit conclusum non fuisse obseruatam in descriptione in libro formam dicti Capituli 13. in istis sex partitis. Quia discurrendo breuiter super singulis; In prima partita deficit pondus gioielli, & perlæ magnæ in eo existentis, & numerus smeraldorum, & rubinorum. Et licèt illi rubini, & smeraldi sint affixi, & non possint facile amoueri; tamen ex hoc non tollitur occasio fraudis, cui capitula voluerunt prouidere; quia potest dari vnus gioiellus, in quo non sint tot rubini, &

4 smeraldi, loco alterius: quæ fraus † cessat, si adest pondus, & numerantur rubini, & smeraldi. Et eundem defectum ponderis, & numeri continet etiam secunda partita.

Tertia quoque est defectiua in pondere perlarum; & numerus, & appositio sigilli ad illum effectum, non sufficiunt: Quia in principio dicti capituli, inter alias circumstantias, & qualitates, expresse continetur quòd debeat apponi sigillum, si Christianus voluerit: & postea disponitur, quòd vltra qualitates, & circumstantias supradictas, debeat describi in libro pondus, & numerus gemmarum, & aliarum rerum preciosarum. Quia licet in hoc casu, non adsit tanta suspicio fraudis; tamen fraus non excluditur in totum sine pondere: & ideo Capitulum, quòd voluit tollere in totum occasionem fraudis, non fuit contentum sola appositione sigilli, & numeri; sed voluit,

5 quod debeat † describi copulatiuè numerus, & pondus, etiam in casu, in quo fuisset appositum sigillum.

In quarta verò partita, deficit pondus perlarum, & numerus rubinorum, & adamantium in rosa subrogata, & numerus adamantium in virga auri.

Quinta partita, pariter est defectiua in pondere perlarum, & in numero perlinarum inter eas positarum. Sexta denique, & vltima partita est defectiua in pondere gioielli, & perlarum, & in numero rubinorum, & adamantium.

Nec mouit Dominos, quòd iuxta formam Capituli 8. sufficit describere vnam qualitatem substantialem. Quia clara est dispositio dicti capituli 13.

6 quod † in gemmis, & alijs rebus pretiosis vltra qualitatem magis substantialem, debeat describi pondus, & numerus: quia facilius in hoc casu potest committi fraus: & propterea ista capitula sunt inter se compatibilia, & vnum non stat exclusiue ad aliud.

Circa secundam difficultatem fuit resolutum stri-

ĉte, quò ad iſtas ſex pattitas Miſſanos teneri ad re-
ſtitutionem abſque aliqua ſolutione.

7 Fundamentum reſolutionis fuit. Quia † de Iure
communi libet priuatus Miſſanorum, non probat ad
proprium eorum fauorem, & in præiudicium domi-
norū, quòd ipſi dederint pecuniam mutuo Andreę,
& ab eo receperint in pignus iſtas gemmas, & per-
las, *leg. rationes, & leg. instrumenta, Cod. de probat.* & ca-
8 pitula ad iſtum effectum † eis non ſuffragantur: quia
non obſeruauerunt formam requiſitam, in deſcrip-
tione in libro, vt per Alexandr. *conſil. 3. num. 3. lib. 2.*
Et propterea, cùm non probetur quòd iſtę gemmæ,
& perlæ fuerint receptæ in pignus ab Andrea, pro
pecunia mutuata, ceſſat fundamentum Miſſanorum,
quod ſolum conſiſtit in pignore, & mutuo.

Mouebantur etiam ex alio fundamento. Quia
veri Domini habent fundatam intentionem in Iure
9 cõmuni, ſecundū † quod poſſunt repetere res ab alijs
pignoratas Hebræis, ſine eorum conſenſu, abſque
aliqua reſtitutione. Et ideo cum Miſſani, ſolum ſe
fundent in facultate conceſſa Hebræis mutuandi ſub
10 vſuris, quæ † non eſt pura, & ſimplex, ſed habet cer-
tas qualitates, & limitationes; debent probare quòd
fuerint obſeruatæ illæ qualitates: & cùm quò ad
iſtas ſex partitas inobſeruantia ſit clara, facultas m u-
tuandi eis non ſuffragatur; & conſequenter iuxta di-
ſpoſitionem Iuris communis, tenentur ad reſtitutio-
nem ſine ſolutione pecuniæ mutuatæ, & vſurarum.

11 Et hoc maximè dicendum eſt: quia iſta † capitula
fuerunt appoſita, ad effectum euitandi fraudem, &
ad effectum dandi formam, & modum: & ideo ad
vnguem ſunt obſeruanda.

Non obſtant, quæ in contrarium deducuntur per
informantes. Et primo non obſtat, quòd in dicto
12 capitulo 13. continetur pœna, quæ † ſtat excluſiuè
ad nullitatem. Quia quòd Miſſani teneantur ad re-
ſtitutionem ſine ſolutione pretij, & vſurarum, non
deducitur ex nullitate, ſed ex eo, quòd non obſerua-
ta forma capitulorum, non conſtat de pignore, neq;
de pecunia mutuata, & facultas eis non ſuffragatur;
& conſequenter, domini poſſunt vendicare res ſuas
pœnes eos exiſtentes.

Prӕterea, vt apparet ex proœmio iſtorum capitu-
lorum, & ex conſilijs Doctorum, qui in hac materia
13 ſcripſerunt, † Hebræi nunquam habuerunt facul-
tatem mutuandi liberam, & abſolutam, ſed reſtri-
ctam, & limitatam cùm pluribus capitulis, & condi-
tionibus: & ideo cùm ante iſtam facultatem mate-
ria eſſet de iure prohibita, & nullitas tendat ſolum
14 in præiudicium Hebræorum, in hoc † caſu concur-
runt ſimul nullitas, & pœna, iuxta diſtinctionem
Bartol. *in leg. prætor, ff. de non. op. nunc.* & bene deducit
Paul. de Caſtr. *in conſ. 62. num. 2. lib. 2.* & plures con-
gerit Brun. *in tract. de forma in tit. quando cenſeatur ali-
quid datum pro forma, in 3. concluſ.* Et hoc eo magis di-
cendum eſt, attenta veriſimili mente concedentis:
pœna enim impoſita Hebræis, eſt modica; & dam-
num, quod poteſt ſuccedere Chriſtianis, poteſt eſſe
magnum: & ideo non eſt veriſimile, quòd fuerit in-
tellectum velle aperire hanc viam, vt ſit in facultate
Hebræorum fraudandi Chriſtianos ſoluendo modi-
cam pœnam, ex qua Chriſtiani, quorum eſt damnū,
15 nullum commodum conſequuntur. Et ad iſtum †
effectum nullitatis potiſſimum inſpicitur præſumpta
mens diſponentis, Accoramb. *dec. 2.* Anton. Auguſt.
in tit. de conſtit. §. 2.

Non obſtat quòd ſufficit adimplementum, per æ-
quipollens, cum forma ſit data ad certum effectum.
16 Quia iſta † capitula concernunt ſolum excluſionem
fraudis; quæ non ita faciliter poteſt euitari, ſi non
obſeruatur integrè forma capitulorum; ſicuti euita-
tur, quando forma obſeruatur ad vnguem: & ideo
non poteſt dari adimplementum per æquipollens.

Non obſtat, quòd licet in hoc caſu non fuerit ob-
ſeruata forma, tamen non fuit commiſſa fraus ab
17 Hebræis in deſcriptione in libro. Quia licet † ceſſet
ratio legis in caſu particulari, tamen non ceſſat legis
diſpoſitio, quæ eſt inducta ratione euitandæ fraudis.
leg. ſi veritas, Cod. de fideicom. Bald. *in leg. non dubium,
n. 7. Co. de leg.* Alexand. *conſ. 32. num. 6. lib. 7.* Couar. *in
cap. cum eſſes, num. 9. de teſt.* Ajm. *conſ. 192. num. 21.*

Non obſtat poſtremo, quòd in dicto capitulo di-
citur, quòd contra Hebræos non poſſit procedi, niſi
ad querelam domini. Quia hoc procedit, quando
agitur criminaliter, vel petitur pœna: & non exclu-
18 dit, quòd domini † via ciuili non poſſint opponere
de inobſeruantia capitulorum: quæ oppoſitio ſucce-
cedit loco querelę.

MACERATEN. DOMVS, EXTRA ROTAM.

Lunæ 17. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Saluianum in quo caſu non competat.

SVMMARIVM.

1 *Saluianum vt locum habeat, debet conſtare de quantitate
certa crediti, & non ſufficit creditum in genere.*
2 *Creditum pendens à ratione adminiſtrationis tutelæ, eſt
incertum.*

DECISIO CCCXXVIII.

FVit reſolutum, non eſſe locum Saluiano. Princi-
pale fundamentum reſolutionis fuit: Quia non
conſtat de certo credito in ſpecie: & ad iſtum effe-
1 ctum vt ſit locus Saluiano, non † ſufficit quod con-
ſtet de credito in genere, ſed debet iuſtificari aliqua
quantitas certa, vt poſſit per oblationem euitari hoc
iudicium; & vt ſciatur pro qua ſumma, & pro quo
tempore poſſit retineri poſſeſſio: alias neceſſarium
eſſet quòd debitor volens recuperare ſuam poſſeſſio
nem, iuſtificaret quòd creditor fuit ſatisfactus, pro-
bando quantitatem ſui crediti. Et propterea Specu-
lator, Goffredus, & alij, qui docent practicam, &
ponunt formulam libelli in hoc interdicto, exprimūt
quantitatem certam; & poſt eos tradit etiam Aret.
in §. item Seruiana, in fin. & *ibi* Io. de Platea, *inſt. de act.*
Et quod ſit neceſſaria probatio in ſpecie certi credi-
ti, tradit Roland. à Valle *conſ. 14. num. 3. lib. 1.* Et hoc
eo magis dicendum eſt, ſecundum Dominos, quia
teſtes aliquid dicunt de venditione facta à tutore ad
ad effectum dandi dotem Sanctæ: & hoc etiam eſt
multum veriſimile; & ideo ante factam iſtam dedu-
ctionem eius creditum non poteſt dici liquidum.

2 Aliqui etiam dicebant, quòd † creditum hære-
dum Can illæ perdet à ratione adminiſtrationis tu-
telæ. Quia licet Can illa, in aliqua parte appareat
creditrix, tamen poteſt eſſe quòd poſt redditam ra-

tio-

tionem administrationis remaneat debitrix, vel nihil debeat habere, Ancar. *cons. 235. vers. præterea.* Et ideo Camilla debebat prius iustificare suum creditum, petendo rationem administrationis à tutore; & eo renitente, faciendo sibi deferri iuramentum, in litem: & antea, secundum istos Dominos, non erat locus executioni: Et eis placebat opinio Baldi *in cons. 61. lib. 2. & 214. lib. 4.* Negusant. *de pign. 1. mem. 5. par. num. 37.* Aim. *cons. 275. num. 13. vers. 3. principaliter.*

Ponenti etiam faciebat difficultatem, forma sententiæ: cùm concedatur retentio donec tutor plenariè reddiderit rationem, & reliqua restituerit: & sic sententia non videtur fuisse lata ratione certi crediti probati: quia extincto illo credito, cessabat Saluianum, & non erat expectanda redditio rationum: sed potius videtur fuisse, habitus respectus ad creditum incertum quod pendebat à redditione rationis. Et ideo fuit concessa retentio donec esset reddita ratio.

MEDIOLANEN. MATRIMONII,

Lunæ 17. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

De validitate dispensationis super matrimonio contracto in gradu prohibito.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt matrimonium in gradu prohibito contractum inter scientes impedimentum sit validum, est necessaria dispensatio.*

2 *Cardinalis Maior Pœnitentiarius habebat olim facultatem dispensandi super matrimonio contracto, in gradu prohibito.*

3 *Cardinalis Maioris Pœnitentiarij iurisdictio non est restricta ad certum territorium, neque expirat propter eius ab sentiam.*

4 *Maior Pœnitentiarius solet rescribere,* De mandato Papæ, *tam, si est præsens in Curia, quam si est absens ab ea.*

5 *Quando petitur dispensatio, ad contrahendum matrimonium in gradu prohibito, ante legitimam ætatem est necessaria dispensatio super gradu, & super ætate.*

6 *Defectus non expressionis minoris ætatis in dispensatione super matrimonio, non reddit gratiam subreptitiam, quando matrimonium fuit collatum in tempus, quo cessat impedimentum ætatis.*

7 *Copula præsumitur per cohabitationem sponsorum; Sed cohabitatio est probanda concludenter, & num. 8.*

9 *Ex cohabitatione excluditur præsumptio copulæ, in casu minoris ætatis sponsæ.*

10 *Incestus non præsumitur, præsertim in præiudicium matrimonij.*

11 *Clausula, Si ista est, in dispensatione, importat necessario cognitionem Causæ: Sed executor potest se extraiudicialiter informare, etiam ante dispensationem, & numero 12.*

13 *Causæ cognitio præsumitur adhibita in ipso actu interpositionis Decreti.*

14 *Obseruantia plurium annorum facit præsumere, dispensationem fuisse validè executam.*

15 *Declaratur, & discutitur decisio Paleotti 51.*

DECISIO CCCXXIX.

POst resolutionem factam in hac Causa, quòd con stabat de matrimonio inter Franciscum, & Margaritam, dubitaui, An istud matrimonium esset validum. Et cùm huius dubij resolutio pendeat a validitate dispensationis, vel inualiditate, quia versa-
1 mur † in matrimonio contracto in gradu prohibito inter consanguineos scientes impedimentum; in quo casu ad effectum validitatis matrimonij est necessaria dispensatio *cap. quod super de consang. & affinit. cap. 1. de sponsal. & matrim. lib. 6.* Domini dubio hac die per me in Rota proposito, distinxerunt materiam in tres difficultates principales.

Prima difficultas facit, An mandatum de dispensando fuerit nullum, & inualidum ex defectu potestatis concedentis. Et in hac difficultate fuerunt concordes pro validitate mandati: Quia fuit obtentum
2 de anno 1539. à Cardinali † Maiori Pœnitentiario, qui de eo tempore habebat hanc facultatem dispensandi, & passim solebat dispensare. Et licet tunc esset absens ab Vrbe, & in Curia soleat relinqui alius Cardinalis, qui eo absente, eius vices gerat: nihilomi-
3 nus, cùm † eius iurisdictio non sit restricta ad certum territorium, non expirat propter eius absentiam; & propterea potest exercere, eandem iurisdictionem vbicunque.

Nec placuit Dominis, quòd Maior Pœnitentiarius soleat concedere gratias, & rescribere, de mandato Papæ; & ideo eius iurisdictio non debet extendi ad hunc casum quando est absens à præsentia Pa-
4 pæ. Quia † Maior Pœnitētiarius vtitur hac formula rescribendi in vim facultatum, quæ non sunt restrictæ, & limitatæ, dum permanet in Curia, in præsentia Papæ; & propterea pariter eodem modo potest rescribere quando est absens à Curia.

Secunda difficultas fuit, An istud mandatum de dispensando fuerit inualidum ex capite subreptionis. Et Domini censuerunt, subreptiones, quæ deducuntur, non esse releuantes, & consequenter mandatum esse validum.

Opponuntur enim in effectu duæ subreptiones. Altera est, quòd istud mandatum de dispensando fuit concessum Margaritæ, quæ non erat ætatis habilis, ad contrahendum matrimonium, non facta mentione huius ætatis minoris; Et ista obiectio non fuit visa Dominis releuans: Quia non fuit petita dispensatio ad effectum contrahendi matrimonium, ante legiti-
5 mam ætatem; in † quo casu est necessaria dispensatio, non solum super gradu, sed etiam super ætate: & in his terminis procedit *cons. Dec. 602. num. 19.* Sed mandatum de dispensando fuit obtentum solùm ad effectum remouendi impedimentum consanguinitatis; vt superueniente postea legitima ætate posset contrahi matrimonium, non obstante isto defectu con-
6 sanguinitatis; prout factum fuit. Et propterea † iste defectus non expressionis minoris ætatis, non est habēdus in consideratione in hoc casu, in quo matrimonium fuit collatum in tempus habile; de quo tempore cessat istud impedimentum.

Alia obiectio est, quòd mandatum de dispensando continet solum facultatem dispensandi super matrimonio contrahendo, & non super contracto: & ideo cum ante concessam dispensationem sponsalia

7 trāsissent in matrimonium: quia † per cohabitationē
præsumitur copula; non potuit vigore illius manda-
ti, in quo non est facta mentio, neque de copula, ne-
que de matrimonio contracto, concedi dispensatio.

Ista obiectio multo minus visa fuit Dominis di-
gna consideratione. Quia cohabitatio, ex qua de-
8 ducitur præsumptio copulæ, non † probatur conclu-
denter ante dispensationem. Secundo: quia data
9 etiam † cohabitatione, excluditur presumptio co-
pulæ, propter minorem ætatem Margaritæ, vt per
10 Paul. de Castr. *in cons. 277. num. 5. lib. 1.* Et multo † mi-
nus est præsumendus incestus, præsertim in præiu-
dicium matrimonij.

Tertia, & vltima differētia fuit, An saltim dispēsa-
tio postea obtenta ab executore, fuerit nulla? Et Do
mini censuerunt, dispensationem esse validam. Quia
11 licet stante clausula, *Si ita est*, sit † necessaria causæ
cognitio, Achill. *decis. 2. de filijs præsbyt.* tamen potuit
12 executor se extraiudicialiter informare, etiam ante
dispensationem; vt fuit resolutum *in Causa Catanien. Illegitimitatis coram Sanctissimo D. N.* Et propterea ni-
hil repugnat, quòd ista causæ cognitio, etiam, quod
non sit enunciata, & quòd dispensatio fuerit conces-
sa statim quod fuit presentatum mandatum executo-
ri, non potuerit interuenire. Et tanto magis, quia nar-
rata erant talia, quæ incontinenti poterant iustifica-
ri, accipiendo eodem contextu informationem ab
ipsis, à cognatis, & alijs præsentibus, circa gradum
consanguinitatis, distantiam loci, & quòd Margarita
non fuerat rapta. Propter quam rationem quotidie
13 solemus substinere † decreta Iudicum, in similibus
terminis, præsumendo causæ cognitionem, in ipso
actu interpositionis decreti.

Et cēssat omnis difficultas, in hoc casu, ex obser-
14 uantia 40. annorum, & vltra; propter † quàm præ-
sumitur dispensatio validè executa, vt fuit resolutum
in Causa Lucana Decanatus coram Sanctissimo, & postea
sæpius tentum in alijs causis. Et licet in contrarium
15 allegetur *decisio*, Paleott. 251. nihilominus † in illo
casu aderat solum mandatum de dispensando, absq;
aliquo facto executoris: & ideo agitur de presumen
do non solum validitatem dispensationis, sed ipsum
factum dispensationis. Vltra, quod etiam in termi-
nis, in quibus loquitur illa decisio, visa est Dominis
multum dubitabilis, propter *decisionem*: Putt. 257. *lib.* 3. & alias decisiones factas in similibus terminis: &
tanto magis, cùm Innocentius, & alij Doctores, qui
in illa decisione citantur, non tangant istam difficul-
tatem.

LVCANA IVRISPATRONATVS.

Veneris 21. Iunij 1602.

A R G V M E N T V M.

Iuspatronatus an possit transferri titulo donationis in aliam familiam.

S V M M A R I V M.

1 *Iuspatronatus, cessantibus descendentibus, non extinguitur, sed transit ad hæredes extraneos, quando verba institutionis non stant taxatiuè, sed demonstratiuè.*

2 *Expeditio literarum confirmationis translationis Iurispatronatus non est necessaria, ad effectum institutionis præsentati: sed satis est quòd doceatur de confirmatione per solas supplicationes.*

3. *Retrocessio bonorum assignatorum pro augmento Iurispatronatus, sustinetur per obligationem assignantis, de dando aliud assignamentum æque idoneum, & interim, de soluendo quantitatem promissam.*

4. *Clausula,* Ad habendum, & quicquid sibi placuerit, faciendum, *æquipollet clausulæ,* Et quibus dederis; *& reddit materiam transitoriam ad hæredes extraneos. & num. 5. Et in tali casu, clausula, sine præiudicio alicuius, nihil suffragatur, & num. 6.*

7 *Exceptio contra translationem Iurispatronatus, competit solum ei, in cuius fauorem est inducta.*

8 *Facultas donandi Iuspatronatus recipit interpretationem à natura ipsius Iurispatronatus.*

9 *Procurator constitutus ad donandum Iuspatronatus alicui personæ, potest donare illi, & eius hæredibus, quando in mandato procuræ non adest aliqua dictio taxatiua, & exclusiua hæredum.*

10 *Ex sola correspectiuitate, non infertur simonia, quando pecunia solum promissa, non est proportionabilis, & correspondens donationi Iurispatronatus.*

D E C I S I O CCCXXX.

PRoposui Dubium in hac Causa, An constaret de
iurepatronatus Capellaniarum, de quibus agi-
tur, ad fauorem Dominorum de Nicolinis. Et quo-
niam illud Iuspatronatus, ab initio, fuerat Georgio
Pieri, Viuiani, & eius filijs, & descendentibus ma-
sculini sexus; & à Bartholomæo descendente à Geor
gio fuerat translatum titulo donationis in Hierony-
mum de Nicolinis; & postea à Hieronymo in Ludo-
uicum de eadem familia de Nicolinis: Domini distin
xerunt Dubium in duas difficultates principales.

Prima fuit, An istud Iuspatronatus potuerit trans-
ferri titulo donationis in familiam de Nicolinis.

Secunda difficultas fuit, An istæ translationes fa-
ctæ à Bartholomæo in Hieronymum, & postea à Hie
ronymo in Ludouicum, fuerint validæ.

Quantum ad primam difficultatem, Domini fue-
runt concordes, quòd istud Iuspatronatus potuit
1 transferri in familiam de Nicolinis: Quia verba †
non stant taxatiuè, ita quod excludantur qui non
sunt descendentes Georgij: sed stant demonstratiuè,
vt non admittantur transuersales, & hæredes extra-
nei, donec adsint descendentes. Et propterea
cessantibus descendentibus, Iuspatronatus non extin
guitur, sed transit ad hæredes extraneos Ancharan.
consil. 81. Cald. *cons. 4. de iur. patronat.* Cassad. *decis. 4. eod. tit.* & fuit resolutum *in Causa Cremonen. Iurispatronatus coram Reuer. P. D. Seraphino*, & postea *in alia Cremonen. Iurispatronatus coram me*. Et quamuis primo
loco iurispatronatus sit reseruatum descendentibus
Georgij, & non probetur clare, & cōcludenter, quòd
Bartholomæus, qui donauit, fuerit vltimus descen-
dens ex linea Georgij: tamen, cùm non versemur in
casum vacationis ob lineam finitam, non est necessa-
ria probatio defectus lineæ; & sufficit quod non pro-
betur alios extitisse de linea: præsertim, cùm nemo
vnquam contradixerit; & concurrat assertio ipsius
Bartholomæi, & obseruantia tanti temporis.

Quo vero ad secundam difficultatem, Domini
censuerunt vtranque translationem Iurispatronatus,
tam Bartholomæi in Hieronymum, quam Hierony-
mi in Ludouicum, esse validam, propter confirma-

tio-

tionem vtriusque Sedis Apostolicæ. Et quamuis super eis non fuerint expeditæ Literæ; tamen, cùm hodie non agatur ad effectum adiudicationis, sed so-
2 lum † ad effectum institutionis præsentati, non est necessaria expeditio Literarum, & sufficit quòd doceatur de confirmatione per solas supplicationes. Putt. *decis. 347. lib. 1.* Mohed. *decis. 34.* & fuit resolutum *in Causa Gerunden. Anniuersariorum 3. Iunij 1587. coram R. P. D. Seraphino.*

Non obstat, quòd in prima confirmatione exprimitur, quòd Hieronymus volebat augere annuatim fructus Capellaniarum in duobus starijs grani. Quia constat de effectuatione istius augmenti, per instrumentum. Et licet eadem bona assignata, fuerint postea retrocessa, & concessa titulo permutationis Hie-
3 ronymo; tamen † sufficit ad istum effectum obligatio ipsius de dando aliud assignamentum æquè idoneum, & interim de soluendo quantitatem promissam. Et tanto magis, cùm ante secutum secundum assignamentum, eadem bona prius assignata remanerent affecta eidem oneri, & obligationi ad fauorem Capellaniarum; sub quo onere, & obligatione fuit etiam confirmata secunda donatio. Præterea, concurrit etiam obseruãtia per tantum tempus, quæ ostendit assignationem habuisse effectum.

Non obstat, quòd prima donatio fuit facta Hieronymo pro se, filijs, & descendentibus; & ideo secunda donatio Hieronymi in Ludouicum in præiudicium eius descendentium, non est valida. Quia in donatione facta Hieronymo adest clausula, *Ad haben*
4 *dum, & quicquid sibi placuerit faciendum*; quæ † æqui-
5 pollet clausulæ, *Et quibus dederit*; & reddit † materiam transitoriam ad hæredes extraneos. Et prop-
6 terea † clausula, *Sine præiudicio alicuius* posita in confirmatione, ad istum effectum non suffragatur: cum, vt dictum fuit, Hieronymus posset transferre iuspatronatus. Et cessat omnis difficultas: quia non est in causa aliquis ex descendentibus Hieronymi, neq;
7 vnquam contradixit: Et ista † exceptio non potest allegari ab alio, quàm ab eo, in cuius fauorem est inducta, Put. *decis. 7. de iudit.* & in his terminis sentit Clar. *in §. emphyteosis, quæst. 16. in fin.*

Non obstat, quòd mandatum procuræ datum à Hieronymo, cuius vigore fuit secuta donatio ad fauorem Ludouici, est restrictum solùm ad personam, ipsius Ludouici, & nõ compræhendit illius hæredes
8 & successores, Quia ista † facultas donandi Iuspatronatus Ludouico, recipit interpretationem à natura ipsius iurispatronatus; vt per Calderin. *cons. 19. de iure patron.* Et ideo, cùm materia sit transitoria ad
9 hæredes extraneos, & † non sit apposita in mandato aliqua dictio taxatiua, & exclusiua hæredum, procuratot non excessit fines mandati, donando Ludouico, & hæredibus: & tanto magis, cùm istud mandatum habeat clausulas multum amplas.

Non obstat postremo, quòd ista donatio est simonaica; cùm in continenti post factam donationem, coram eodem Notario, & testibus, Ludouicus donatarius affirmet se esse debitorem Hieronymi donantis in scutis 65. quæ promisit soluere infra sex annos Io: Baptistæ filio ipsius Hieronymi. Quia ista promissio habet causam expressam: & quantitas scutorum 65. præsertim in termino sex annorum, non est proportionabilis, & correspondens donationi
10 Iurispatronatus trium Capellaniarum; & propterea † ex sola correspectiuitate in hoc casu, secundum Dominos, non resultat plena, & concludens probatio simoniæ. Mohed. *decis. 3. de simon.* Put. *dec. 381. & 440. lib. 1. & 171. lib. 2.* Et tanto magis, cùm ex libro memorialium detur sumus, quòd ista promissio fuit facta occasione saldi rerum, & pecuniarum solutarum pro Ludouico à Hieronymo.

PLACENTINA CASTRI.

Mercurij 26. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de validitate Census.

SVMMARIVM.

1 *Pacta, vitiantur, & non vitiant contractum census, quando in eo exprimitur, quòd debeat seruari Bulla Pij V. reducendo facta in contrarium, ad formam dictæ Bullæ.*
2 *Quantitas fructuum rei censuatæ, ad effectum inualidandi censum, deducenda est aliunde, quàm ex locatione, postea subsecuta.*
3 *Pactum, quòd Census sit liber ab omni onere, non est contra naturam contractus Census.*
4 *Pactum, quòd redemptio census debeat intimari per sex menses ante, non repugnat formæ præscriptæ in Bulla Pij V.*
5 *Pactum, quòd emptor, Census, qui conduxit bona censuata, non possit ab eis expelli, etiam finita locatione, nisi facta redemptione Census, est contra naturam eiusdem Census.*
Intellige vt num. 6.

DECISIO CCCXXXI.

Fuit per Dominos resolutum, Censum, de quo agitur, fuisse valide impositum: cum fuerit constitutus super re certa, interueniente pecunia numerata, cum pacto redimendi; & habeat omnia alia substantialia: & tanto magis, cùm in instrumento contineatur pactum expressum, quòd debeant seruari conditiones, & qualitates contentæ in Bulla felic. record. Pij V. *super forma creandi census*, reducendo facta in contrarium ad formam, & dispositionem dictæ Bul-
1 læ, cum clausula annullatiua. In quibus terminis † pacta vitiantur, & non vitiant, & contractus remanet licitus, & sine vsura; vt fuit resolutum *in Causa Foroliuien. Census 13. Nouembri 1589.* & sæpius tentum in alijs.

Non obstant in contrarium deducta. Et primò, non obstat, quòd census fuit impositus super re, cuius fructus, non æquipollent annuæ præstationi.
2 Quia quantitas fructuum † deducitur aliunde quàm ex locatione postea subsecuta, quæ ad istum effectũ, non probat, Sarn. *in reg. de val. quæst. 11. num. 6.* Ioa. Paul. *decis. 51.*

Non obstat secundo pactum, quòd census sit liber
3 ab omni onere. Quia † hoc non repugnat naturæ contractus census, vt in terminis huius pacti fuit late deductum *in Causa Romana Census 4. Febr. 1583. coram bon. mem. Lauretano.*

Non obstat tertio pactum, quòd intimatio debeat
4 fieri per sex menses ante redemptionem. Quia neq; † hoc repugnat formæ Bullę, cuius dispositio pinguius adimpletur, cum detur maior commoditas emptori,

Non obstat vltimo pactum, quòd emptor census,
qui bona, super quibus fuit impositus, conduxit, non
possit ab eis expelli, etiam finita locatione, nisi facta
per venditores census redemptione, & extinctione.
Ex quo pacto videntur per viam indirectam compel
5 li ad illum redimendum: quod † est contra naturam
census. Quia secundum aliquos ex Dominis, istud
6 pactum non est illicitum, cùm † possit fieri locatio
perpetua, & redemptio pendeat à libera voluntate
venditorum; & ista sit quædam cantela ad fauorem
emptoris cẽsus pro faciliori consecutione fructuum.
Vel saltim si istud pactum est parum licitum, cùm re-
spiciat locationem, & non sit contra substantiam cõ-
tractus census, vitiatur, & non vitiat; vt fuit resolu-
tum *in dict. Causa Romana Census*, & *in alia Romana Census 5. Maij 1600. coram R.P.D. Lancellotto.*

An autem contractus dationis in solutum sit licitus, vel illicitus; pendet ex eo, an probetur modicitas pretij. Quia cessante modicitate pretij, cessat etiam vsura, & contractus remanet licitus. Et hoc Domini reseruarunt particulariter discutiendum.

ANCONITANA DOTIS.

Veneris 28. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Obligatio matris pro dote filiæ, an sit valida.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio matris pro dote filiæ, cum iuramento, sustinetur.*
2 *Onus dotandi filiam spectat ad patrem.*
3 *Obligatio mulieris est inualida, & iuramentum nihil operatur, quando remanet indotata.*
Contrarium, quando ei remanet maior pars suæ dotis, & num. 4.
5 *Solemnitates statutariæ non sunt necessariæ in obligatione pro dote.*
6 *Declaratur decisio Peniæ in Romana Societatis.*
7 *Statutum Vrbis* lib. 1. cap. 151. *præsumit in muliere, & minore, iuramentum dolo extortum.*

DECISIO CCCXXXII.

FVit per Dominos resolutum, obligationem Ga-
briellæ, respectu primi cẽsus scutorũ 500. esse va-
lidam. Moti fuerunt præcipuè: quia se obligauit pro
1 dote filiæ, cum iuramento; in † quo casu sustinetur
obligatio mulieris; licet in effectu, ipsa fideiubeat
2 pro viro, ad † quem spectat onus dotandi filiam; vt
fuit late d ductum *in Causa Interamnen. Mercium 4. Iunij 1597. coram R.P.D. Penia.*

Non obstat, quod obligatio mulieris est inualida,
3 † & iuramentum nihil operatur, quando remanet in
dotata; vt fuit resolutum *in Causa Romana fideiussionis
15. Iunij. 1591. coram Illustrissimo Cardinali Arigonio*:
4 Quia † ei remanet maior pars suæ dotis, & propte-
rea eius obligatio est valida; vt inter recentiores late
deducit Thesaur. *dec. 223.*

Non obstat decisio *in Causa Romana Societatis, co-*
5 *ram R. P. D. Penia.* Quia † in obligatione pro dote
non sunt necessariç solemnitates Statuti; vt nouissime
fuit resolutum *in Causa Romana Dotis, coram R. P. D.
Ortembergo.* Et ideo illa decisio non applicatur. Et
6 tanto † magis, quia in illo casu mulier se constitue-
rat principalem pro impensa necessaria, quæ specta-
bat ad virum: quæ falsitas causç hic cessat: Prçterea,
illa decisio procedit, iuxta terminos Statuti Vrbis,
7 quod † prçsumit iuramentum d lo extortum; & pro-
pterea iuramentum, non potest operari aliquem ef-
fectum.

Non obstat, quòd postea Gabriella se obligauit ad fauorem eiusdem Pauli, in alio censu, scutorum 700. Quia de eius validitate nunc non agitur, &, si ista posterior obligatio esset inualida, ex ea non posset inferri ad inualiditatem huius obligationis præcedentis, quæ habet omnia sua requisita.

CARPEN. FRVCTVVM.

Lunæ 1. Iulij 1602.

ARGVMENTVM.

Quantitas, & valor fructuum, ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Depositio testis de facto proprio, ex certa scientia, facit plus quàm semiplenam probationem.*
2 *Denunciationes per Edictum probant sufficienter quantitatem fructuum.*
3 *Materia quantitatis fructuum, est difficilis probationis.*
4 *Valor fructuum probatur ex calmerio: item ex propria venditione.*

DECISIO CCCXXXIII.

FVit per Dominos resolutum probari, quantita-
tem fructuum, & eorum valorem: Quia quo ad
quantitatem fructuum, datur depositio quarti testis,
qui deponit de facto proprio ex certa sciẽtia; & pro-
1 pterea † plus quam semiplenam probationem, iuxta
cons. Aim. 178. *num.* 7. Et cum eius depositione con-
2 cordat denunciatio facta † à Iuliano in vim edicti
Ducalis per spatium 3. annorum. Et ideo cum ver-
3 semur in materia † difficilis probationis, in qua non
requiritur probatio plena, ista probatio visa est Do-
minis satis sufficiens.

Quo vero ad valorem, de eo deponunt plures te-
4 stes: quorum aliqui reddunt rationem † ex calame-
rio, ex quo probatur valor, vt fuit resolutum *in Cau-
sa Imolen. Fructuum coram R. P. D. meo Pamphilio*; alij
ex propria venditione: & alij ex auditu, quòd com-
muniter ita vendebantur.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 1. Iulij 1602.

ARGVMENTVM.

De fructibus soluendis ratione damni emergentis.

SVMMARIVM.

1 *Fructus soluti ratione damni emergentis, debentur ab eo, qui fuit morosus in soluendo, post interpellationem iudicialem factam à molestiam passo.*
2 *Præscriptio interrumpitur per petitionem iudicialem.*
3 *Præscriptio statutaria semel interrupta, non currit amplius.*
4 *In præscriptione subducendum est tempus minoris ætatis.*

DE-

DECISIO CCCXXXIV.

FVit per Dominos resolutum, sententiam A. C. esse cõfirmandam, tam respectu solutionis scutorum 2098. quàm respectu solutionis fructuum illius summæ.

Quantum enim ad restitutionem Scutorum 2098. res secundum Dominos nullam habet difficultatem. Quia ex apoca à Dom. Octauio subscripta, apparet quòd Iulius ex pecunijs dotalibus, exposuerat pro communi vtilitate Scuta 6296. ex quibus Octauius pro sua rata constituit se debitorem, in summa scutorum 2098. & propterea cum apoca in hac parte sit clara, simplex, & sine aliqua relatione, D. Octauius tenetur ad restitutionem istius summæ.

Non obstat, quòd subscriptio Iulij non est pura, sed continet limitationem, & exceptionem in ventre. Quia Octauius, qui fuit vltimus in subscribendo, & se subscripsit simpliciter, approbauit illam limitationem contentam in subscriptione Iulij, & voluit se obligare, licèt obligatio Iulij non esset conformis suæ obligationi.

Quo vero ad fructus, fundamentum Dominorum fuit: Quia mortuo Iulio, D. Flauia interpellauit iudicialiter D. Antonium; qui viceuersa interpellauit D. Octauium, producta apoca in actis: & propterea, cùm D. Antonius fuerit coactus soluere D. Flauiæ fructus ad rationem septem cum dimidio, vigore Sta-
1 tutis Vrbis, isti fructus † debentur Antonio ab Octauio ratione damni emergentis, quod passus fuit propter moram Ipsius Octauij in soluendo post interpellationem judicialem: & consequenter sententia in hoc capite est iusta.

Non obstat quòd ista taxatio contenta in apoca, est illicita, & vsuraria. Quia non agitur vigore apocę, sed petuntur isti fructus loco damnorum, quæ Antonius passus fuit propter moram Octauij, vt dictum fuit.

2 Non obstat præscriptio. Quia fuit † interrupta
3 per petitionem judicialem: & semel † interrupta non currit amplius pręscriptio statutaria; vt fuit resolutum *in Causa Romana de Porcarijs coram bon. mem.*
4 *Oriolen.* Et tanto magis, quia † subducendum est tempus minoris ætatis Antonij; vt fuit resolutum in *Causa Romana de Magdalenis coram Illustrissimo, Cardinali Blanchetto.*

OSCEN. INDVLTI.

Luna 11. Iulij 1602.

Vide Argumentum Decisionis. 295.

SVMMARIVM.

1 *Quando duo indulta idem continent, sufficit vnica derogatio regulæ*, De iure quæsito non tollendo.

2 *Limita, vt num. 2.*

3 *Præiudicium iurisdictionale, est valde considerabile.*

4 *Relatio secundi Indulti ad primum, non habet locum quoad iura, quæ expreßè tolluntur; sed quoad alia non expreßa.*

DECISIO CCCXXXV.

FVit iterum dubitatum, An Indultum felic. record. Sixti V. obstaret Episcopo, quo ad ius nominandi, & eligendi; examinandi, & approbandi Pœnitentiarium, & Lectorem; ita vt fuerit vel non fuerit necessaria derogatio regulæ *de iure quæsito, non tollendo*: Et huic disputationi causam dedit: quia pro parte Capituli, tam in Signatura Gratiæ, quam coram me opponebatur, quòd vigore Constitutionis Sixti IV. ius eligendi competebat Capitulo, vti ordinario collatori: & ideo cum in indulto sanctæ mem. Pij Quinti propter relationem in eo habitam ad dictam constitutionem Sixti Quarti virtualiter, hoc idem ius tribuatur Capitulo, & in eo contineatur derogatio huius regulæ, præiudicium, quod fuit illatum Episcopo in adimendo ei hoc ius sibi competens, ex dispositione Sacri Concilij, ortum habuit ex Indulto Pij V. & propterea, non erat amplius necessaria derogatio
1 regulæ in Indulto Sixti V. Quia cùm † vtrunq; Indultum, idem contineat, sufficit vnica derogatio.

Hoc tamen fundamento non obstante, Domini censuerunt, Indultum Sixti V. obstare Episcopo, & propterea in eo fuisse necessariam derogationem regulæ.

Moti fuerunt potissimum, Quia in Bulla Pij V. habetur relatio non solum ad Constitutionem Sixti IV. sed etiam ad Decreta Concilij, in quibus hoc ius expresse tribuitur Episcopo: & per illam relationem Pius V. non intellexit velle tollere Episcopo ius examinandi, & eligendi, quòd ei post istam Constitutionem fuit tributum à Concilio; sed voluit solum præseruare dispositionem Constitutionis Sixti Quarti vt obseruaretur, quo ad alias qualitates in eo contentas, scilicet gradus, & nobilitatis; & quo ad ius examinandi, & eligendi obseruarentur Decreta Concilij, prout in terminis istius Indulti Pij V. Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum resoluit; & propterea, cùm obstaculum non proueniat Episcopo, ex Indulto Pij V. secundum, quòd illa facultas eligendi, & nominandi competebat Episcopo; sed ex Indulto Sixti V. in quo ei tollitur hoc ius, & tribuitur Decano, & Capitulo,
2 non † suffragatur derogatio contenta in dicto Indulto Pij V. sed erat necessaria in specie, noua deroga-
3 tio in isto secundo Indulto, propter istud † præiudicium, quod est iurisdictionale, & multum considerabile, vt sæpius fuit resolutum.

Non obstat, quod etiam in Indulto Sixti V. continetur relatio ad constitutionem Sixti Quarti, & Decreta Concilij. Quia cùm in isto Indulto electio, & nominatio expresse tribuatur Capitulo, relatio ha-
4 bet locum, quo ad alia non expressa; & non † respectu electionis, & nominationis, quæ in eodem Indulto tribuuntur Capitulo Oldrad. *cons.* 330. Sain. *in reg. de iur. quæsit. non tollen. quest. 1. circa fin.* Caputaq. *dec.* 280. *lib.* 1. Ideo cum per istud Indultum Sixti V. hoc ius tollatur Episcopo, erat necessaria in specie derogatio regulæ.

ROMANA HÆREDITATIS DE GAVELLIS.

Luna 1. Iulij 1602.

ARGVMENTVM.

Successio ab intestato, an deferatur in stirpe, vel in capita.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *In successione ab intestato, diuisio fit in capita, & non in stirpes, iuxta opinionem Azonis, contra Accursium.*

DECISIO CCCXXXVI.

HIeronymus Gauellus, decessit in vrbe ab intestato: orta est dubitatio inter Ardouinum, Bartholomæum, & Ioannam fratres germanos, & nepotes eiusdem Hieronymi ex sorore, & Tomasiam de Oliuerijs neptem eiusdem Hieronymi ex alia sorore, An in hoc casu inter eos esset locus successioni in stirpes, vel in capita. Super quo articulo extat insignis controuersia inter Accursium, & Azonem, quæ adeo Doctorum nostrorum ingenia torsit, vt hodie difficile sit iudicare, quæ opinio sit magis recepta. Verùm cum *in Causa Bononien. Hæreditatis de Graffis, coram Illustrissimo D. Cardinali Blanchetto sub die x. Aprilis* 1592. de mandato S.D.N. hoc eodem articulo accuratè, & diligenter in Rota discusso, & expensis momentis rationum, quibus vtraque opinio nititur; omnes concorditer sequuti fuerimus opinionem A-
1 zonis, quòd † diuisio fiat in capita, & non in stirpes; Domini in hac propositione concluserunt, non esse recedendum ab eadem opinione: Quia nititur firmioribus rationibus, & est vsu recepta in omnibus supremis tribunalibus; & pro ea extant plures loci clari veterum Iurisconsultorum, Vlpiani *in leg. 2. §. hæreditas, ff. de suis, & legitim. hæred.* & in fragmentis *tit. 26.* Caij *in instit. lib. 2. titu. 8. in fin.* Theophil. *in §. hoc etiam, instit. de legit. agnat. succ.* vt mirum sit parum ab antiquis interpretibus, fuisse animaduersos. Et propterea Baldus, qui sequutus fuerat opinionem Accursij, ab ea postea recessit *in authent. cessante num. 2. 3. & 4. Cod. de legitim. hæred.* & ingenue fatetur opinionem Azonis esse magis conformem litteræ, & naturæ.

FERRARIEN. BONORVM, SEV PALATII,

Lunæ 1. Iulij 1602.

ARGVMENTVM.

De probatione scripturarum antiquarum.

SVMMARIVM.

1 *Facultas extrahendi scripturas, probatur iuxta stylum Rotæ, ex sola assertione Notarij extrahentis.*
2 *In instrumentis antiquissimis vltra centum annos, non requiritur recognitio manus Notarij; sed sufficit quòd scriptura habeat faciem publici Instrumenti, & præse ferat antiquitatem.*
3 *Instrumentum exemplatum ab alio de mandato Notarij habentis facultatem, & ab eo subscriptum, & approbatum, est in forma probanti.*
4 *Notarij industria non eligitur, vt scribat, sed vt præstet fidem gestis.*
5 *Instrumenta plura antiqua, concernentia idem factum, & rogata à diuersis Notarijs, dicuntur esse in forma probanti.*
6 *Collationatio scripturarum, non est actus iurisdictionis, sed nudi ministerij, & sufficit quòd fiat à Notarijs de mādato Iudicis.*

DECISIO CCCXXXVII.

FVit per Dominos resolutum, præter librum Diaceti, & instrumentum de anno 1451. alia instrumenta esse in forma probanti.

Mouebantur: quia habent solemnitates requisitas, & omnia substantialia; & probatur Notariatus
1 illorum qui exemplarunt: nec potest dubitari, † de facultate extrahendi; quia est specialiter enunciata in extractione: & in hoc statur assertioni Notariorum, iuxta stilum Rotæ; vt per Caputaqu. *decis.* 245. *par.* 2. & fuit resolutum *in Causa Casalen. de Carrettis, coram bon. mem. Gipsio*, & alias sæpius. Et propterea difficultas pendet à probatione Notariatus, & recognitione manus illorum, quorum instrumenta sunt exemplata: Et circa primum instrumentum de anno 1443. rogatum à Libaonio de Cutlo, cessat ista diffi-
2 cultas: quia cum instrumentum sit † antiquissimum vltra centum annos; secundum obseruantiam Rotæ, non requiritur recognitio manus Notarij, nec probatio Notariatus; sed sufficit quòd scriptura habeat faciem publici instrumenti, & præ se ferat antiquitatem, vt fuit resolutum *in Causa Nullius Beneficij della Monda 1. Decembris 1578. coram bon. mem. Rubeo*. Et tanto magis, cum extractio sit facta de mandato Andreæ, cui fuerat commissa exemplatio instrumentorum Libaonij, & erat eiusdem familiæ de Libaonijs; & propterea verisimiliter ei debebat esse nota manus defuncti: & tam ipse, quàm Notarius, qui extraxit, attestantur, quòd exemplum fuit sumptum ex originalibus ipsius Libaonij. Quæ attestatio arguit pluralitatem instrumentorum, ipsius Libaonij: & ideo si instrumenta egeret adminiculis in re tam antiqua, ista adminicula essent satis sufficientia, pro probatione Notariatus, & recognitione manus: & tanto magis, cùm fuerit productum aliud transumptum huius instrumenti, subscriptum ab ipso Libaonio, qui de instrumento fuit rogatus. Et propterea non applicatur alia difficultas, super qua late insistunt informantes pro Serenissimo Duce, An habens facultatem exemplandi possit hanc facultatem tribuere alteri sine licentia Iudicis. Cum, vt dictum fuit, adsit aliud transumptum in actis ipsius Libaonij. Vltra quod illa est alia quæstio: aliud est enim quærere, an Notarius, qui habet facultatem extrahendi possit simpliciter, & absolutè committere alteri eandem facultatem; in quibus terminis procedit *decis.* Boer. 36.
3 quæ allegatur per informantes: & aliud est, an † instrumentum exemplatum, ab alio de mandato Notarij habentis facultatem, propter eius impedimentum, & ab eo subscriptum, & approbatum, sit in forma probanti; in quibus terminis nos versamur: & ad illum effectum sufficit subscriptio Notarij ha-
4 bentis facultatem extrahendi: quia † industria Notarij non eligitur vt scribat, sed vt præstet fidem gestis; quam satis præstat se subscribendo, Card. *in cap. per tu, ver. in glos. de fid. instrum.* Abb. *in cap. inter dilectos num. 7. ad fin.* & *ibi* Felin. *num.* 27. *eod. tit.* Dec. *cons.* 447. *num.* 10.

Alia quatuor instrumenta rogata à Bartholomeo Gogo, & à Ludouico Albarete de anno 1301. & 1502. pariter secundum Dominos sunt in forma probanti; Quia vltra lapsum tanti temporis exhibentur plura instrumenta eorundem Notariorum; & materia est mul-

multum verisimilis, propter concomitantiam aliorum instrumentorum, vt bene deducunt informantes.

Remanet maior difficultas circa alia instrumenta Hieronymi Magnanini, & Ludouici Abbarete de anno 1508. Iacobi de Tressis de anno 1526. & Bapptistæ Sarachi de anno 1529. in quibus non concurrit lapsus tanti temporis. Et nihilominus Domini
5 censuerunt, ea † esse in forma probanti; quia omnia concernunt idem factum. Primum enim instrumentum continet donationem bonorum in Villa Monasteroli ad fauorem Euangelistæ Roadini, & eius successorum. Secundum continet inuestituram Abbatis in persona eiusdem Euangelistæ eorundem bonorum. Tertium verò diuisionem, inter eius filios illorum bonorum: & quartum, permutationem inter eosdem, & factorem Ducis. Et ideo vnum coadiuuat aliud, & recipiunt adminiculum ab alijs instrumentis præcedentibus. Et comprobatur secundum Dominos, veritas istorum instrumentorum, & excluditur omnis suspicio; quia omnia ista instrumenta, sunt rogata à diuersis Notarijs, & probatur aliunde, quòd ista bona fuerunt possessa à Roadinis.

Non obstat quòd ista instrumenta, non sunt in forma probanti, cum non fuerint collationata in præsentia Iudicis, nec à Notarijs deputatis. Quia colla-
6 tio † non est actus iurisdictionis, sed nudi ministerij; & ideo sufficit quòd fiat à Notarijs de mandato Iudicis: præsertim concurrente consensu partium: & in hoc casu pinguius fuit adimpleta forma, quæ debet seruari in collatione, cùm præcesserit duplex diligentia. Nam Notarij deputati à partibus commiserunt suis substitutis vt facerent collationem, & postea facta ista collatione, ipsi attestantur quòd inuenerunt eam concordare in omnibus, & per omnia, cum originalibus: quæ attestatio necessario præsupponit ab eis, fuisse factam aliam collationem de nouo.

VITERBIEN. PORCORVM,

Lunæ 1. Iulij 1602.

Ponitur hæc Decisio pro continuanda serie huius Causæ. Vide Decis. 234.

DECISIO CCCXXXVIII.

Domini dixerunt, quòd nihil releuans de nouo deducitur, ex quo colligatur præsumptio boni iuris quo ad fructus perceptos, damna, & interesse, & precium quanti plurimi: & propterea concluserunt non esse recedendum à decisione alias facta, quòd Scipioni non debeantur alimenta, & sumptus litis.

ROMANA CENSVS.

Mercurij 30. Octobris 1602.

ARGVMENTVM.

Perempta parte boni censuati, an Census remaneat in totum super parte non perempta, & capaci ad sustinendum totum onus: an vero censeatur extinctus pro rata partis peremptæ.

SVMMARIVM.

1 *Census non perimitur, perempta re in parte, si remanet alia pars capax correspondens fructibus, & num.6.*
2 *Per Census impositionem non venditur res censuata, neque transfertur illius dominium in emptorem census; sed venditur solum ius exigendi, certam quantitatem fructuum ex illa re.*
3 *Ius exigendi certam quantitatem fructuum, constituitur simpliciter super ipsa re, & non super aliqua certa parte illius rei.*
4 *Impositio Census est quædam species seruitutis super re.*
5 *In emphyteusi, si res non est in totum perempta, & remanet tanta pars, quæ sufficiat pro pensione in recognitionem directi dominij; debet integrè solui.*
7 *Tenor Bullæ Pij V.* super creatione Census, *explicatur, & num.8. & 9.*

DECISIO CCCXXXIX.

Fuerat impositus census super quadam domo in Insula Sancti Bartholomæi proxima Tyberi, quæ propter eius inundationem fuit diruta in parte: alia tamen pars, quæ remansit, erat capax ad substinendum totum onus census. Fuit dubitatum in Rota de mandato S.D.N. me proponente, Si census remanebat in totum super parte capaci, vel perierat pro rata partis peremptæ: Cuius Dubij resolutio, duplicem habet inspectionem. Altera est, An iuxta terminos Iuris communis, circumscripta constitutione, sanctæ memo. Pij V. super forma creandi census habeat locum peremptio pro rata partis, quæ perijt, si fructus partis remanentis, sunt sufficientes pro solutione census. Altera verò est, præsupposito, quòd census in hoc casu non periret secundum terminos Iuris communis, An dicta constitutio sit in hoc noui iuris inductiua, vel recipiat interpretationem passiuam a Iure communi.

Etquantum ad primam difficultatem, fuit per Do-
1 minos resolutum, quòd † circumscripta dicta constitutione, census non perimitur per peremptionem rei in parte, si remanet alia pars capax.
2 Mouebantur. Quia per † impositionem census super re non venditur res, neq; transfertur illius dominium in emptorem census, sed venditur solum ius exigendi certam quantitatem fructuum ex illa re, & constituitur ius quoddam distinctum, & separatum à Dominio ipsius rei, vt benè deducit Aim. *in consil.* 217. *num.* 4. Et ideo, cùm non vendatur res, sed ius exigendi, non est attendenda solum peremptio rei in parte; sed necessarium est ad istum effectum, vt periculum pertineat ad emptorem, quòd domus sit ita perempta quòd pars remanens, non sit sufficiens ad reddendam quantitatem fructuum, debitam pro illo iure vendito.
3 Mouebantur etiam; quia hoc † ius exigendi certam quantitatem fructuum, constituitur simpliciter super ipsa re, & non super aliqua certa parte ipsius rei: & propterea, donec superest tanta pars rei, super qua est constitutum hoc ius, quæ sit sufficiens ad solutionem census, non potest dici res perempta ad ef-
4 fectum peremptionis census: Quia † impositio census est quædam species, seruitutis super re; & ideo iuxta naturam seruitutum, remanet super qualibet parte capaci, Bart. *in leg. stipulationes non diuiduntur, in* tertia

tertia opposit.ff.de verb.oblig. Et sufficit quòd idem census posset de nouo imponi super illa parte remanente, vt bene deducunt informantes. Tertio, & vltimo placebat Dominis simile emphyteosis, in qua, quan-
5 do † non soluitur quid modicum pro recognitione directi dominij, sed pensio correspondet fructibus, si res nõ est in totum perempta, & remanet tanta pars, quæ sit sufficiens pro pensione, debet integre solui, Bart. *in leg.1 .num. 4. Cod. de iur.emphyt.* & ista opinio est communiter recepta; vt per Bero. *in cons.130.num.*
6 *11.lib.1.* Et ideo cùm † census correspondeat fructibus, ex eadem ratione, idem videtur dicendum in hoc casu; vt sentit Greg. Lopez, *in leg.28.glos.12. partit.5. tit.18.*

Quantum ad secundam diffinitionem Domini cõcluserunt, etiam attenta dicta constitutione, censum non perire, quando pars non perempta, est sufficiens pro solutione fructuum.

Mouebantur: Quia in ea non continetur expressè,
7 quod per peremptionem partis sequatur peremptio census pro rata, quando remanet alia pars capax: sed solum in ea constituitur regula generalis, *quod re in totum, vel pro parte, perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte, effecta, census pereat pro rata* : Quæ verba non sunt ita clara, quòd non possint intelligi de peremptione, per quam res reddatur insufficiens ad soluendum fructus census; & sic quando alia pars remanens non est capax. Et ideo omnes regulæ concurrunt pro hac parte, quòd debent recipere interpretationem passiuam, ex Iure communi, ex subiecta materia, & ex natura contractus; vt solum fuerit intellectum inducere peremptionem census pro rata, quãdo alia pars remanens non est capax, & saltim, quòd iste casus vti omissus remaneat sub dispositione iuris communis.

8 Mouebantur secundo, ex illis verbis † immediate subsequentibus in eadem clausula, & sub eadem structura verborum, *Aut in totum, vel pro parte, infructuosa reddita*. Cùm enim in hoc casu constitutio disponat, quòd census pereat pro rata, quando res est reddita infructuosa, ex alio capite quàm peremptionis; nulla ratio suadet, quòd re in aliqua parte non perempta, si vna pars est reddita infructuosa, & fructus reliquæ partis sunt insufficientes, pro solutione census, mens constitutionis fuerit, quòd census debeat perire pro rata. Et ideo cùm illi casus sint æquiparati, & vna pars alternatiuè declaret aliam, ab ista parte debet recipere declarationem alia pars, in qua constitutio loquitur de peremptione, quòd intellexerit de peremptione in parte per quam sequebatur talis diminutio fructuum, quòd non sint sufficientes, pro solutione census.

9 Tertio, & vltimo mouebantur: Quia mens illius conditoris non fuit, velle addere nouas conditiones contra dispositionem Iuris communis; sed solam habuit præ oculis tollere pacta, & conditiones illi contrarias, & abusus, qui irrepserant; vt apparet ex proœmio. Et ideo concluserunt non esse recedendum ab hac opinione, quàm etiam sequuti fuimus 14. Ianuarij præteriti *in alia Causa Romana Census, coram R. P. D. meo Sacrato*: & tanto magis, quia suscitarentur multæ lites.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS DE TVDELA.

Mercurij 6. Nouembris 1602.

Pro Argumento. Vide Decisio 288. & 313.

SVMMARIVM.

1 *Solennitates præsumuntur adhibitæ, post spacium temporis antiquissimum, & sententia probat sine processu. Et multo magis, quando non agitur de executione sententiæ, sed de ea opponitur per viam exceptionis, & numero 2.*

3 *Clausula*, Quòd si non omnes, *apposita in delegatione Causæ, operatur vt, stante excusatione tertij, alij duo delegati possint procedere in Causa.*

4 *Sententia antiqua probat sine processu, nisi ab eam impugnante doceatur de defectibus, per exhibitionem processus.*

5 *Vt sententia antiqua probet, debet cum antiquitate concurrere obseruantia.*

Intellige vt num. 6.

7 *Actus contra obseruantiam sententiæ, gesti post motam litem, non habentur in consideratione.*

DECISIO CCCXL.

FVerat resolutum in hac Causa *sub die 5. Iulij 1593.* sententiam latam de anno 1311. esse nullam, quia non constat de delegatione, neque de processu primæ instantiæ, & Causa fuit terminata per duos Iudices, cùm tres essent delegati. Verùm, quia postea fuit resolutum, quòd ista sententia erat in forma probanti; in quo casu facilius præsumuntur solennitates; & contra illam decisionem multa deducebantur: volui iterum proponere idem Dubium strictè quo ad istas tres nullitates, & Domini concluserunt recedendum esse à decisis.

Mouebantur primo, propter antiquitatem tempo-
1 ris 291. annorum; per quod spacium temporis † inducitur præsumptio solennitatum; & sententia probat sine processu, Bald. *in leg. emancipati num. 3, Cod. de fid. instrum.* Cassad. *dec. 3. de procur.* Put. *decis. 338. lib. 2.* Mohed. *dec. 148.* Et hoc maxime dicendum est,
2 quando † solemnitates sunt enunciatæ, saltim in genere; & non agitur de executione sententiæ, sed de ea opponitur per viam exceptionis; vt fuit resolutum *in Causa Sabinen. Castrorum 17. Aprilis 1581. coram bo. mem. Lauretano.*

Secundo mouebantur: quia sententia est sine actis & propter antiquitatem temporis, probat sine processu, vt dictum fuit: & ideo cum possit esse quòd ad sit processus, & quòd in actis contineatur delegatio cum clausula, *Quod si non rationes*, iuxta text. *in capit.*
3 *prudentiam, in princip. & §.1. de offic. delegat.* in quo † casu, stante excusatione tertij, alij duo potuerunt procedere; data possibilitate, intrat præsumptio,
4 propter antiquitatem, & statur † sententiæ antiquæ, nisi ab impugnante sententiam, per exhibitionem processus doceatur de defectibus, Put. *d. decis. 338.* Et ista opinio eo magis secundum Dominos procedit in hoc casu: quia in sententia enunciatur in specie processus, & delegatio iudicum, & materia est verisimilis, quòd attenta qualitate causæ, & personarum, isti iudices non se ingessissent in cognitione, huius Causæ sine speciali Commissione.

Tertio, & vltimo mouebantur: quia ista sententia fuit

fuit producta de anno 1430. coram Archiepiscopo
Valentino; & non obstantibus istis oppositionibus
fuit habita pro bona, cùm Archiepiscopus affirmaret
vidisse sententias latas inter Episcopum Tirasonen.
& Decanum, & Capitulum; & quòd suum non erat
imutare sententias; & absoluit Decanum.

Non obstat, quòd sola antiquitas non est sufficiens
ad supplendos tot defectus. Quia hoc est præsup-
ponere quòd adsint isti defectus, de quibus non po-
test liquere nisi per exhibitionem actorum: & prop-
terea, nisi ab opponente defectus producantur acta,
non potest dici, quod antiquitas suppleat tot defe-
ctus; sed operatur solum istum effectum, vt senten-
tia probet sine actis.

5 Non obstat, quòd ad istum † effectum simul cùm
antiquitate debet concurrere obseruantia; vt fuit re-
solutum *in Causa Meliten. Præcedentiæ 5. Decembris*
1578. coram Reuerendissimo Patriarcha Alexandrino;
& quòd in hoc casu constet, non adesse obseruan-
tiam. Quia respondebant Domini, quòd actum fuit
de obseruantia istius sententiæ de tempore, quo non
fuerat resolutum eam esse in forma probanti: & præ-
cipuum fundamentum factum fuit pro exclusione
obseruantiæ, quòd stante quasi possessione præceden-
ti Decani, actus iurisdictionis, qui dabantur post sen
tentiam, reddebantur æquiuoci, & non poterant ma-
gis tribui sententiæ, quàm quasi possessioni. Quod
fundamentum hodie cessat; quia non agitur ampliùs
de obseruantia, ad effectum dandi fidem sententiæ:
6 & ideo † sufficit quòd obseruantia non sit difformis
sententiæ; siue referatur ad quasi possessionem, siue
7 ad sententiam: & alij † actus posteriores post 40. an-
nos, post quam res denuo fuit deducta in controuer-
siam, non sunt habendi in consideratione, vt fuit re-
solutum *in Causa Burgen. Iurisdiction. 13. Ianuarij 1595.*
coram Illustrissimo Cardinali Mantica.

CATANEN. ANTIQVÆ ILLEGITIMITATIS.

Veneris 15. Nouembris 1602.

ARGVMENTVM.

De exceptionibus odij, & inimicitiæ, contra testes.
Vide Decis. 316.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio odij, & inimicitiæ, repellit in totum testem: &*
sufficit quòd præsumptiuè probetur.
2 *Querela de falso inducit causam odij, & inimicitiæ.*
3 *Testi asserenti se absolutum de querela; non creditur, ad*
effectum excludendi causam odij, & inimicitiæ, & dan-
di fidem eius depositioni.
4 *Querela falsi operatur vt querelatus, ante quàm se inno-*
centem ostendat, repellatur, propter malam famam, à
testimonio ferendo, & num. 5.
6 *Causa odij in querelato iustior efficitur, quando querela est*
detecta falsa.
7 *Absolutio testis à falsa querela non facit eum idoneum ad*
testificandum contra querelantem, nisi quando querela
fuit data affectatè, ad effectum adimendi fidem testi.
8 *Per solum cursum temporis non tollitur in teste præsump-*
tio odij, & inimicitiæ; nisi concurrant signa reconcilia-
tionis.
9 *Cessantibus signis reconciliationis, præsumitur in teste con*
tinuare malus animus, etiam post litem finalem.

DECISIO CCCXLI.

DOmini concluserunt, non esse recedendum à de-
cisis, quòd Gaspari Racciolæ, non sit adhiben-
da aliqua fides, propter exceptionem inimicitiæ, &
1 odij, quæ † repellit in totum testem; & sufficit quòd
etiam præsumptiuè probetur, Ctesc. *decis. 3. de testib.*
Et ista exceptio est clara in facto: Quia contra Gas-
parem fuerat data querela de falso à Bartholomæo:
2 & ista † querela inducit causam odij, & inimicitiæ,
& repellit testem in totum, gloss. *in leg. 3. in versic. ca-*
pitales, ff. de arbit. Et hoc maximè dicendum est: quia
eius depositio circa sermonem, quem habuit secum
Bartholomæus præ se fert magnam inuerisimilitudi-
nem; vt in similibus terminis fuit consideratum *in*
Causa Parmen. Status, coram me. Et propterea cum
concurrat cùm ista exceptione adeo releuanti inue-
risimilitudo; & causa sit grauissima, & materia arbi-
traria; multo minus, secundum Dominos, est ei ad-
hibenda aliqua fides.

Non obstat quòd postea Gaspar fuit ab ista impu
tatione absolutus. Quia de absolutione, non con-
3 stat aliunde, quàm ex eius assertione, cui † non cre-
ditur ad effectum, dandi fidem eius depositioni, in
præiudicium Bartholomæi, contra quem deponit.

Præterea, querela falsi operatur illum effectum,
4 vt † ante quam testis se innocentem ostendat, prop-
ter malam famam repellatur à ferendo testimonio,
non solum contra querelantem, sed contra omnes:
5 detecta † verò postea falsitate querelæ, & secuta ab-
solutione, tollitur macula, & cessat causa generalis
adimens fidem indistinctè testi, & efficitur idoneus,
sicut erat prius. Et in his terminis domini dicebant
posse procedere opinionem Doctorum *in authen. si te-*
stis productus, Cod. de testibus. Sed non cessat causa
particularis, respectu querelantis: quia licet in hoc
casu cesset causa infamiæ, remanet tamen causa odij,
& inimicitiæ orta ex querela: quæ est etiam iustior,
6 quando † querela est detecta falsa: & propterea ef-
fectus remotionis infamiæ, non reddit testem habi-
lem contra querelantem, cum remaneat alia causa
odij, & inimicitiæ quæ sola repellit testem, vt late de-
ducunt informantes: Et quamuis aliqui *in dict. auth.*
si testis productus, videantur generaliter intelligere,
quòd absolutio suffragetur, ita vt testis sit idoneus
etiam respectu querelantis: tamen ista opinio, secun-
7 dum Dominos, non potest procedere, nisi † quando
querela fuit data affectatè ad effectum adimendi fi-
dem testi; & propterea non applicatur in hoc casu:
quia ista lis fuerat mota longe ante querelam. Et ces-
sat omnis suspicio ex modo querelæ: quia fuit data à
Bartholomæo, vti prouocato, & ad sui defensionem.
Cùm enim Gaspar in præsentia Vice Regis Siciliæ, &
quatuor Iudicum Magnæ Curiæ, aliqua deposuisset
contra Bartholomæum necessarium erat Bartholo-
mæo pro defensione sui honoris, ostendere quòd de
positio Gasparis erat falsa, cum querelando de falso,
prout fecit. Et ideo ista causa excludit omnem suspi-
cionem, quod querela fuerit data ad effectum eum
repellendi.

Non obstat cursus temporis tot annorum. Quia
8 ad illum effectum non † sufficit solus cursus tempo-
ris, nisi concurrant signa reconciliationis, Couarru.
9 *pract. quæst. cap. 18. num. 3.* Et cessantibus istis † signis
recon-

reconciliationis, præsumitur continuare malus animus, etiam post litem finalem; vt inter recentiores bene deducit Anch. *quæst.42.num.14.lib.2.* Et tanto magis, cùm tempore examinis fuerit oppositum de inimicitia.

LVGDVNEN. COMPVTORVM.

Veneris 15. Nouembris 1602.

Vide Decisio 315.

SVMMARIVM.

1 *Citatio domini non est necessaria in negocio gesto à suis administratoribus in ipsius vtilitatem.*

DECISIO CCCXLII.

DVbitaui an constet de bono iure Dominorum de Oricellarijs quod penderet ex eo, an reddiderint rationem Cusano de suo credito, quod habebat in magno partito; & fuit datum in administrationem Carolo Capono cum fideiussione ipsorum. Et Domini resoluerunt constare, de eorum bono iure. Quia quantum ad summam scutorum 2084. iam fuit firmatũ, constare de existentia crediti Galeatij; cùm in hoc casu duplicatum probet, propter decretum Regis principalis debitoris, & propter causæ cognitionem adhibitam in Camera computorum super amissione originalis, & existentia crediti ante concessionem duplicati: Et quamuis hoc creditum fuerit positum in persona Caroli, & postea Oricellariorum; tamen ista translatio fuit facta in Carolum vti procuratorem Galeatij; & in Oricellarios vti administratores, prout etiam fuit resolutum coram bon. mem. Episcopo Oriolen. Et propterea istud creditum adhuc remanet in persona Galeatij.

Non obstat quòd Galeatius non fuit citatus. Quia
1 † non erat necessaria eius citatio in negotio, quod à suis administratoribus in eius vtilitatem gerebatur.

Quo vero ad aliam summam, scutorum duorum millium, ista partita fuit translata in partitum Roani de ordine Cusani: & denuntiatio non erat necessaria; vt etiam fuit resolutum. Et ideo si ista translatio verificatur in facto, constat de bono iure Oricellariorum; nisi Galeatius ostendat quòd Oricellarij disposuerint de hoc credito.

ROMANA CENSVVM.

Mercurij 20. Nouemb. 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de concordia inita, pro toto corpore creditorum.

SVMMARIVM.

1 *Creditor descriptus in lista inserta in Instrumento concordiæ, pro toto corpore creditorum, tenetur stare assignationi, & distributioni bonorum debitoris, iuxta formam concordiæ.*

2 *Fideiussor liberatur per liberationem principalis debitoris.*

3 *Declaratur textus* in leg. si præcedente, §. Lucius, ff. mandati.

DECISIO CCCXLIII.

FVit per Dominos resolutum, Dominos de Mutis, & Alexijs, teneri stare assignationi, & distributioni bonorum, & acceptare portionem Casalis in satisfactionem eorum crediti.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia concordia fuit inita pro toto corpore, & massa creditorum, & pro omnibus debitis Maninorum: & ipsi non solum
1 sunt creditores Maninorum, sed etiam sunt † nominatim compræhensi in lista creditorum, simul cum Lauaiana eorum fideiussore. Et ideo cùm verba concordiæ sint multum ampla, & in ea sit descripta lista creditorum; non potest dubitari, secundum Dominos, quod etiam ipsi in concordia non sint compræhensi. Et quamuis opponatur de defectus protestationis; tamen cum ista concordia sit confirmata per Breue cùm clausula *sublata*, & derogatione regulæ, *de non tollendo iure quæsito*, & alijs clausulis; & istud Breue sit iustificatum, & canonizatum per sententiam; cessat omnis difficultas potestatis, & voluntatis; & cõsequenter ipsi tenentur stare assignationi, & distributioni bonorum, iuxta formam concordiæ.

Secundo mouebantur Domini: Quia Manini per assignationem scutorum octuaginta millium liberantur ab omnibus obligationibus, & ab omnibus debitis: & ista liberatio suffragatur, etiam fideiussori-
2 bus, qui † liberantur liberatis principalibus. *leg. tam mandatori, Cod. de non numerata pecun.* & hoc maxime dicendum est: quia si concordia non suffragaretur fideiussoribus, vel Manini non essent liberati pro ista summa scutorum octuaginta millium, quòd fideiussores contra eos haberent regressum, pro releuatione indemnitatis, & sic cogerentur iterum soluere: vel sequeretur inconueniens, quòd Papa ademisset facultatem fideiussoribus se reualendi contra Maninos, quorum cõtemplatione se obligauerant: & neutrum ex his inconuenientibus sequitur, si omnes creditores compræhenduntur in concordia, & accipiunt suam ratam bonorum.

Tertio Domini hoc comprobabant ex verisimilimente tam contrahentium, quàm Papæ; quæ deducitur primo ex eo, quia descriptio in lista Dominorum, de Mutis, & Alexijs, vti creditorum, & Lauaianæ eorum fideiussoris, & insertio huius listæ in concordia, fuissent superfluæ, si ipsi non debebant compræhendi in concordia, secundò: quia Manini non soluissent tantam summam, si non essent in totum liberati, tam à creditoribus, quàm à fideiussoribus, qui bus promiserant releuationem indemnitatis. Tertio considerabant Domini, quòd si concordia non compræhenderet illum casum, fideiussoribus competeret actio contra Maninos, & contra posteriores creditores, quibus fuerunt assignata bona eis obligata: & sic per indirectum ex hoc capite concordia inuolueretur multis litibus, & posset facile infringi.

Non obstat principale fundamentum, quòd concordia non fuit inita cum omnibus creditoribus descriptis in lista, sed solum cum illis, qui dederunt mandatum: Et ideo Muti, & Alexij, qui non dederunt mandatum, non sunt compræhensi, in concordia, neque in confirmatione Papæ. Quoniam respondebant Domini, quod concordia fuit inita pro toto corpore, & massa creditorum; & illa verba, *iuxta*

man-

mandatum, non stant restrictiuè, ad effectum excludendi eos, qui non dederant mandatum: sed stant demonstratiuè, quia habuerant mandatum à corpore. Et iste intellectus comprobatur, secundum Dominos, ex descriptione in lista, ex quantitate summæ promissæ per Maninos, & alijs coniecturis supra deductis. Et propterea cum Breue habeat relationem ad concordiam, ipsi non solum sunt compræhensi in concordia, sed etiam in confirmatione Papæ.

Non obstat text. *in leg. si præcedente*, §. *Lutius*, *ff.*
3 *mand.* Quia † non versamur in simplicibus terminis concordiæ, sed in concordia confirmata à Papa, qui disposuit, quòd afficiat etiam recusantes; & consequenter compræhendit omnes creditores, siue habeant, siue non habeant fideiussores.

Non obstat quòd Lauaiana se obligauit vti principalis, principaliter, & insolidum. Quia verè erat fideiussor, ex quo negocium spectabat ad Maninos, qui receperunt pecuniam; quamuis respectu creditoris dantis pecunias, teneatur eadem obligatione, qua tenentur principales.

ROMANA PECVNIARIA.

Mercurij 27. Nouembris 1602.

ARGVMENTVM.

Hæres an teneatur semper ad ratiocinia defuncti.

SVMMARIVM.

1 *Per subscriptionem apocæ inducitur confessio, & approbatio omnium in apoca contentorum: & non est amplius iustificanda, & num.* 2.
3 *Hæres non est cogendus, post acquiescentiam multorum annorum, reddere rationem computorum defuncti, & num.* 5.
4 *Procurator si scripsit domino, se eius nomine centum Titio donasse, potest dominus, licet literas receperit, perscrutari, an donauerit, necne.*
6 *Vt quis cogatur exhibere libros rationum, debet plenè & concludenter probari, quòd libri penes illum existant.*
7 *Hæres si iuret se libros non habere, sufficit, vt non cogatur ad exhibendum.*

DECISIO CCCXLIV.

Domini resoluerunt, D. Antoniū non teneri reddere rationē D. Octauio de scutis 2098. Fundamentum resolutionis fuit: Quia in apoca diuisionis adest Capitulum clarum. *Che il Signor Mario, & il Signor Ottauio, & ciascun di loro si chiami debitore del Signor Giulio di scudi 2098. & sono, perche il Signor Giulio hà messo di danari suoi particulari della dote in beneficio della casa communemente, scudi 6296. grossi 41.* Et propterea, cùm ista apoca sit subscripta ab Octauio, per
1 istam † subscriptionem inducitur confessio, & approbatio omnium contentorum in scriptura: & con-
2 sequenter Antonius releuatur à † iustificatione huius partitæ, *leg. emptor*, §. *Lucius*, *ff. de pact. leg. sicut*, §. *non videtur*, *ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solu.* Dec. *cons.* 115. *col. pen.* Gabr. *conclus.* 3. *de præsumpt.* Et hoc eo magis dicendum est: quia est multum verisimile, quòd ante istam concordiam præcesserit discussio negocij: &, si Iulius non ostendisset, quòd exposuerat istam summam in beneficium commune, Marius, & Octauius se non obligassent ad restitutionem huius summæ, & solutionem fructuum donec restituebatur.
3 tur. Et ideo † post acquiescentiam per tot annos, non est iterum cogendus Antonius, qui est hæres Iulij, & verisimiliter non informatus, reddere rationem, Socc. *cons.* 92. *num.* 1. *lib.* 4. Parif. *cons.* 89. *num.* 1. *lib.* 1.

Non obstat quod in cōtrarium deducitur ex *cons.* Curt. Iun. 177. Rip. *in cap. cum Mei Ferrarien. num.* 132. *de const.* & Gabr. *de præsumpt. conclus.* 2. *num.* 9. quòd si
4 † procurator scripsit Domino, se eius nomine centum Titio donasse, quod etiam si Dominus literas recepit, non propterea sibi præiudicauit, quin possit perscrutari, an donauerit vel ne. Quia ista est alia quæstio, quæ nihil commune habet cum isto casu, in quo adest obligatio propria tam Marij, quàm Octa-
5 uij: & præsertim, cum ambo essent Doctores, & † postea tacuerint per notabile spacium temporis; vt fuit late deductum *in Causa Romana Litterarum cambij* 10. *Decembris* 1584. *coram bon. memor. Oriolen.*

Quo vero ad secundam partem Dubij, Domini etiam fuerunt concordes, quòd Antonius non tenea-
6 tur ad exhibitionem: Quia ad illū † effectum deberet probari plene, & concludenter, quòd libri sint penes ipsum, *leg.* 3. & *ibi glos. in versic. summatim*, *ff. ad exhib.* & fuit resolutum *in Causa Hesina Bonorum coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto* 11. *Martij* 1583. Et tanto magis, cùm petatur exhibitio ab hærede Iulij: in quo
7 casu † sufficit quòd hæres iuret illos non habere; vt fuit resolutum *in Causa Clusina grani coram Oriolen.* & *in Causa Florentina Bonorum* 29. *Nouembris* 1593. *coram me.*

MONTIS REGALIS IVRISDICTIONIS.

Mercurij 27. Nouembris 1602.

Vide Argumentum Decisionis 325.

SVMMARIVM.

1 *Pro substantia, & validitate processus sufficit quòd citetur ille, contra quem principaliter petitio dirigitur. Et alter, cuius interest, auditur tanquam tertius, & num.* 6.
2 *In materia subiectionis, Episcopus regulariter non agit sine interuentu Capituli.*
Intellige, vt num. 3.
4 *Consensus Capituli in arduis, non est necessarius ad integrandam personam Episcopi; sed propter interesse, quòd habet circa statum Ecclesiæ.*
5 *In Iudicio super Primatia non est necessaria citatio alterius, quàm illius, contra quem principaliter agitur.*
7 *Sententia lata contra Episcopum, non citato Capitulo interesse habente, non est nulla ipso iure, sed habet implicitum statum validitatis, donec Capitulum suum præiudicium deducat, & num.* 8. *Neque afficit Capitulum non citatum in Causa, & num.* 9.

DECISIO CCCXLV.

Dvbium fuit distinctum in duas difficultatēs principales. Prima fuit, An sententiæ sint nullæ, vel annullandæ, respectu Episcopi. Secunda fuit, presupposito quòd sententiæ non sint nullæ, vel annullandæ, quo ad Episcopum, an afficiant Capitulum, & litis consortes non citatos.

Quantum ad primam, Domini resoluerunt, sententias respectu Episcopi non esse nullas, neque an-

Q nul-

nullandas. Quia Episcopus in causa fuit citatus; &
1 sufficit pro † substantia, & validitate processus, quòd
citetur ille, contra quem principaliter dirigitur peti-
tio Bald. *in lib. ab eo num. 37. Cod. quom. & quando iu-
dex*. Et quamuis materia subiectionis sit ardua, in
2 qua † regulariter Episcopus non agit sine interuen-
tu Capituli, *cap. dilecti, de maior. & obed.* Lap. *alleg.* 48.
sub num. 8. Felin. *in cap. edoceri num. 3. de rescrip.* Ta-
3 men hoc procedit † ad effectum, vt sententia non præ-
iudicet Capitulo; non autem ad effectum, vt sit nulla
respectu Episcopi: quia consensus capituli in arduis
4 † non est necessarius ad effectum integrandi perso-
nam Episcopi, sed propter interesse quod habet cir-
ca statum Ecclesiæ, & propterea sufficit quòd præser-
uetur illud interesse. Et ista videtur fuisse opinio In-
noc. *in cap. vlt. de maior. & obed.* vt *ibi* declarat Felin.
5 *sub num. 3. versic. quadam verba Innoc.* quòd † in iudi-
cio super primatia non est necessaria citatio alterius,
quàm illius, contra quem principaliter agitur pro
substantia processus; sed solum propter extensio-
nem præiudicij. Et *ibi* Ægid. *sub num. 9.* ponderat,
quòd non reperiuntur canones, qui dicant quòd iu-
dicium reddatur nullum, propter defectum citatio-
nis Capituli. Et *ibi* Bald. Abb. Card. Io. de Anan. &
6 alij notant, quòd † auditur is, cuius interest, tâquam
tertius. Et istam opinionem sequuntur etiam Innoc.
Bald. & Io. de Anan. *in cap. venerabilis de dol. & con-
tum.* & idem Bald. *in capit. auditis num. 2. de præscript.*
7 Et hinc est, quòd sententia † in hoc casu non est nul-
la ipso iure, sed habet implicitum statum validitatis,
donec Capitulum suum præiudicium contradicat, &
petat irritari, quod sine eius consensu factum fuit.
Rot. *decis. 3. num. 4. de confess.* Ægid. *dec. 695.* Et hoc
etiam sensit Rom. *in cons. 369. nu. 21.* quia dicit quòd
8 † sententia non suffragatur contra Clerum, nô autem
quòd sit nulla contra Prælatum.

Quo vero ad secundam difficultatem, Domini
censuerunt, istas sententias non afficere Capitulum,
& litis consortes, ita vt faciant numerum in eorum
9 præiudicium; Quia non fuerunt citati in causa: &
ideo eis non præiudicant, vt supra dictum fuit.

ROMANA SPOLII, SEV NVLLITATIS SVBHASTATIONIS.

Veneris 29. Nouembris 1602.

ARGVMENTVM.

De validitate, vel inualiditate subhastationis ad effe-
ctum spolij.

SVMMARIVM.

1 *Primum extremum probatur per possessionem instrumen
talem.*
2 *Subhastatio est nulla, quando non præcessit intimatio de-
creti de subhastando, nisi in fratres.*
3 *Nec cessat nullitas ex comparitione procuratoris in termi-
no citationis ad videndum mandari subhastari. Neque
ex comparitione in termino citationis ad videndum man
dari deliberari, & num. 5.*
4 *Comparitio procuratoris in termino citationis, non supplet
defectum intimationis, neque concludit necessario scien-
tiam decreti cum intimatione.*
6 *Subhastatio redditur nulla ex defectu mandati procura-
toris. Item si fiat pro maiori summa, & num. 7.*

DECISIO CCCXLVI.

Dubitaui, An subhastatio fuerit nulla ita vt com-
petat D. Geneuræ actio spolij. Cuius Dubij re-
solutio pendet à probatione primi extremi, & à va-
liditate, vel inualiditate processus.

Quantum ad primum extremum, Dominis visum
1 fuit de eo non posse dubitari: Quia † constat de pos-
sessione instrumentali D. Geneuræ ante subhastatio-
nem; & fuit actum contra eam vti hæredem Astor-
ris, & contra bona hæreditaria fuit facta executio.

Quantum ad inualiditatem processus, deducun-
tur per informantes multæ nullitates: sed Domini,
omissis alijs, resoluerunt esse inualidum: quia manda-
2 tum de subhastando fuit decretum † nisi infra tres,
cum intimatione, de qua non constat: & propterea
intrat nullitas ex hoc capite Io. Paul. *dec. 121.* Put. *174.
lib. 1.* & fuit resolutum *in Causa Fauentina Bonorum co-
ram Reu. P. D. meo Lutta*. Quia licèt iudex processerit
cùm citatione, & non vti priuatus; in quo casu cessat
spolium; tamen sufficit ad istum effectum quòd actus
subhastationis propter defectum intimationis sit nul
lus, vt sæpius fuit resolutum.

Nec placuit Dominis, quòd cesset ista nullitas per
comparitionem, & scientiam procuratoris D. Gene-
uræ. Quia istud decretum de subhastando, nisi infra
tres, fuit factum sub die 14. Martij, & eodem die
3 comparuit in actis Angelus Palonius: & sic ista † cô-
paritio cadit in termino citationis, ad videndum
mandari subhastari; & fuit facta protestatio ad effe-
ctum impediendi decretum de subhastando. Et pro-
pterea, cùm ista comparitio non cadat in termino in-
4 timationis decreti de subhastando, non † supplet de-
fectum intimationis illius decreti; & non concludit
necessario scientiam ipsius decreti cum intimatione,
Et tâto magis, cùm multum verisimile sit, quòd istud
decretum fuerit factum post comparitionem, & pro-
testationem Angeli: quia in protestatione dicitur,
quòd ad decretum de subhastando deueniri non po-
test, propter rationes in ea expressas: quæ protesta-
tio fuisset inutilis, si iam præcesserat decretum de
subhastando: & consequenter si de tempore compa-
ritionis, & protestationis non emanauerat decretum
de subhastando cum intimatione, comparitio non po
test suffragari ad istum effectum supplêdi defectum
intimationis propter scientiam; cum de illo tempo-
re Angelus non potuerit habere scientiam decreti,
quod postea sequutum fuit. Et alia comparitio Her-
5 culani 20. Maij fuit † facta in termino citationis ad
videndum mandari deliberari, nisi infra mensem: &
propterea non suffragatur ad istum effectum, excu-
sandi à nullitate, propter defectum intimationis man
dati de subhastando.

Placuit etiam Dominis aliud caput nullitatis, ex
6 defectu † mandati Curtij Benini, qui obtinuit decre-
tum de subhastando sub die 14. Martij, de quo tem-
pore non erat procurator, quia postea fuit substitu-
tus procurator à D. Antonio Maria Corasio sub die
4. Maij. Et multum mouit Dominos, quòd ista sub-
stitutio fuit facta non nomine Episcopi, & hæredum
de Guidaeijs, qui erant creditores Astorris, sed no-
mine D. Horatij, qui non habebat aliquod interesse
in causa.

Nec secundum Dominos suffragâtur præsumptio-
nes,

nes, & coniecturæ, quòd Curtius esset procurator. Quia non probatur, quòd impensæ fuerint factæ ab eo: & præter cedulam precij subhastationis, quæ verisimiliter fuit habita ab emptore, & non à creditoribus, aliæ impensæ non sunt considerabiles; & materia redditur turbida, propter substitutionem expressam factam postea à D. Cotasio in persona istius Curtij nomine D. Horatij.

Aliquibus etiam, ex Dominis placebat aliud caput, quod subhastatio fuit facta, non solum pro summa vere debita, sed etiam pro interesse, non præcedente legitima liquidatione, sed solum fuit habita ratio taxationis ad rationem trium pro centum; quæ est illicita. Et tanto magis, cùm versemur extra terminos dispositionis legis, *curabit*: & propterea, cùm
7 † subhastatio fuerit facta pro maiori summa, redditur in totum nulla, & consequenter est locus actioni spolij.

ROMANA PECVNIARIA.

Veneris 29. Nouembris 1602.

ARGVMENTVM.

De Confessione erronea.

SVMMARIVM.

1 *Confessio clara vt iudicetur erronea, requiritur probatio plena, & concludens erroris, & non sufficiunt coniecturæ; de quibus num. 2. & 3.*

DECISIO CCCXLVII.

Domini dixerunt, quòd cùm confessio bo. mem.
1 D. Fantini sit clara, requiritur † probatio plena, & concludens erroris, ad istum effectum, vt illa tanquam erronea non sit habenda in consideratione Bart. & alij *in leg. non fatetur. ff. de confess.* & propterea, cùm fiat solum fundamentum in coniecturis, quæ non concludunt, non affertur talis probatio, quæ sufficiat.

2 Deducitur enim primo error † confessionis ex eo, quod census scutorum 2306. non spectabat ad Fantinum, sed ad Septimium eius fratrem, qui in emptione ca salis sibi illum accollauit; & ideo cùm onus census ad ipsum non spectaret, non est verisimilis extinctio scutorum mille, quæ Fantinus affirmat soluisse Lucretiæ.

Verùm istud fundamentum non placuit Dominis. Quia licet nomen Septimij sit expressum, tamen census re vera spectabat ad Fantinum, vt aliàs fuit visum. Et hoc etiam coadiuuatur ex magna verisimilitudine: quia census scutorum 1000. qui remanebant ex isto censu scutorum 2306. fuit initus nomine Fantini. Et quamuis solutio facta Rugerio scutorum 277. non concordet in tempore; tamen sufficit quòd ista summa postea fuerit soluta: quia potest esse, quod de tempore impositionis census Fantinus illa voluerit retinere pro releuatione suæ indemnitatis: & propterea ista coniectura non concludit.

3 Secundo opponit † confessio Dominorum de Paluzellis. Verùm neque ista coniectura, secundum Dominos, concludit: quia Paluzelli potuerunt credere quod esset adimpletum mandatum datum Fantino.

ROMANA CAPELLANIÆ S. PETRI.

Lunæ 9. Decembris 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur de iustificatione Gratiæ.

SVMMARIVM.

1 *In Bulla collationis Beneficij reseruati apponitur clausula.* Dudum, &c. *necnon alia clausula*, Dummodo ad Nos dispositio hac vice pertineat.

DECISIO CCCXLVIII.

Dubitaui, An sit locus executioni Literarum Apostolicarum, ad fauorem Iosephi. Cuius Dubij resolutio pendet à iustificatione gratiæ. Et quoniam in cæteris gratia est iustificata, difficultas fuit restricta ad vacationem. Circa quam Domini concluserunt, quòd licet in gratia Iosephi narretur obitus Diomedis apud Sedem, ad effectum exprimendi
1 vacationem per obitum; tamen gratia non est restricta ad istud caput reseruationis, nec in ea est apposita clausula, *Dudum &c.* nec alia clausula, *Dummodo ad nos dispositio hac vice pertineat*, quæ solent apponi, quando Papa vult facere gratiam de beneficio, vti reseruato: & solùm gratia est fundata in eo, quòd ista Capellania vacauit per obitum Diomedis; & quòd propter fundationem, & dotationem istarum Capellaniarum factam à sanctæ mem. Gregor. XIII. collatio, & omnimoda illarum dispositio, quouis modo vacent, spectat ad Summum Pontificem. Et hoc apud Dominos non habuit difficultatē: quia ista est propria Capella fundata, & dotata à Summo Pontifice in tot Locis montium emptis ad hunc effectum: & in ipsa erectione declarauit, quòd intendebat facere ordinationes circa dispositionem istarum Capellaniarum, derogando in specie priuilegijs concessis Archipresbytero, & Capitulo. Et per istam reseruationem ordinationum, pro dispositione Capellaniarum, cum derogatione priuilegiorum, satis aperte declaratur non fuisse eius intentionis, quòd collatio spectaret ad Illustrissimum Archipresbyterum, & Capitulum: quia si istæ Capellaniæ debebant spectare ad collationem Illustrissimi Archipresbyteri, & Capituli, sicut alia beneficia, non erat necessaria alia noua dispositio. Et quamuis postea Gregorius non fecerit illas ordinationes circa dispensationem: tamen sufficit ad istum effectum, quòd non intellexerit hanc dispositionem dare Archiepiscopo: quia, cessante facultate Archipresbyteri, remanent in dispositione Summi Pontificis. Et hoc comprobatur ex obseruantia subsecuta: quia idem Pontifex de istis Capellanijs prouidit: & propterea cùm gratia Iosephi sit iustificata, Domini censuerunt literas Apostolicas esse exequendas.

PARMEN. STATVS.

Lunæ 9. Decembris 1602.

ARGVMENTVM.

Tolluntur exceptiones nonnullæ contra personas, & dicta testium.

SVMMARIVM.

1 *Vagabundus vt quis dicatur, est probandum, quòd non ha-*
beat certam sedem, & domicilium.
2 *Recusatio Interpretis facta per plures annos ante examen,*
ad hoc vt afficiat, debet repeti, quando per Iudicem idē
Interpres denuò deputatur.
3 *Testis deponens de visu quomodo sit intelligendus.*
4 *Indefinita in quo casu non æquipolleat vniuersali.*
5 *Ex processu non integro non probatur negatiua, quòd quis*
in eo non sit nominatus.
6 *Aßertioni vnius non creditur.*

DECISIO CCCXLIX.

PRoposui iterum idem Dubium aliàs propositum,
& resolutum coram Reuerendissimo D. meo Pa-
triarcha Alexandrino *sub die 16. Iunij 1597.* Et Do-
mini concorditer concluserunt, non esse recedendū à
resolutis, quòd Vincentius Mantuanus, testis Palla-
uicinorum inductus ad reprobandum testes Rango-
norum, sit testis idoneus, non obstantibus his, quæ in
contrarium deducuntur per informantes, pro Ran-
gonibus; in quorum remotione consistit difficultas.
Non obstat igitur primò, quòd iste testis est vaga-
bundus. Quia non probatur quod non haberet cer-
1 tam sedem, & domicilium, prout † ad istum effectum
est necessarium; vt per Bart. *in leg. 4. §. prætor ait, num.*
1. & ibi Alex. *num. 22. ff. de damn. infect.* Et licèt aliquan
do se contulerit ad Curiam, & fuerit in Gallijs; tamē
ex hoc non sequitur quòd esset vagabundus.
Non obstat secundò, quòd iste testis fuit interro-
gatus ab interprete suspecto Rangonibus. Quia
recusatio fuit facta per quatuor annos ante examen;
& sufficit ad effectum validitatis examinis, quòd ista
2 † recusatio non fuerit repetita quando de nouo fuit
per iudicem idem interpres deputatus, Put. *dec.* 380.
lib. 1. Mohed. 44.
Non obstant inuerisimilitudines. Quia respon-
dendo breuiter, responsio testis ad primum artic. se-
3 cundum Dominos, non debet intelligi de visu † in
quolibet die mercati, sed de visu in tempore duo-
rum annorum; de quo tempore Cæsar permanebat
in seruitio Comitis Ludouici: & consequenter cessat
inuerisimilitudo.
Non obstat secundò, quòd testis dicit, Cæsarem
post examen comedisse ad mensam cum Comite Lu-
douico: Quia hoc non est inuerisimile, attenta quali-
tate illorum temporum, & locorum: & tanto magis,
postea quam se subiacerat examini, ad fauorem ip-
sius, & alios testes instruxerat.
Non obstat tertiò, quòd circa secundum articu-
lum non exprimit quæ vidit, neque a quibus audiuit.
Quia in articulo exprimitur actus fugæ propter me-
tum mortis; & sufficit quod circa istum actum depo-
nat de visu, & auditu, absque alia expressione, cùm
non fuerit super alijs interrogatus.
Non obstat quartò, quòd affirmat audiuisse à Cę-
sare, quòd erat pauper. Quia idem Cęsar affirmat,
quòd sua bona erant modici valoris, & viuebat alie-
nis expensis. Et ideo verisimile est, quòd Cæsar se re-
putaret pauperem.
Non obstat quintò, quod instabat pro reuocatio-
ne donationis. Quia hoc est verisimile propter qua
litatem Comitis Ludouici, qui erat vir magnæ aucto-
ritatis: & cum illam non posset obtinere, non est in-
uerisimile quòd conquestus fuerit de Comite Lu-
douico, à quo fortasse maiora sperabat.
Non obstat sextò, quod dicitur circa quintum ar-
ticulum, quòd Cæsar instruebat omnes testes. Quia
deponit solum, articulum esse verum, quo ad publi-
cam vocem, & famam, & de auditu ab ipso Cęsare:
& propterea cùm articulus non contineat quod Cæ-
sar instruebat omnes testes, cessat ista obiectio, quòd
propter magnum numerum testium sit inuerisimile,
quòd Cæsar instruxerit tot testes: quia notissimum
4 est, in hac materia † indefinitam, non æquipollere
vniuersali. Et tanto magis, quia circa hanc instru-
ctionem factam à Cæsare, iste testis non est solus, vt
bene deducunt informantes.
Non obstat septimò, quod circa sextum articulum
deponit de auditu à Cæsare, quòd non inueniebat
Confessorem. Quia ista obiectio etiam tollitur ex de-
cisione, & contestibus; neque hoc redditur inuerisi-
simile propter Bullam: quia non poterat absolui vi-
gore Bullæ, nisi reficerentur damna.
Non obstat octauò, quòd circa septimum articu-
lum dicit audiuisse obitum Cęsaris repentinum. Quia
Domini non vident, quid inuerisimile ex hoc inferri
possit; & præsertim cùm idem deponat Baptista de
Ferrarijs, testis Rangonum.
Non obstat nono, quod deponit audiuisse à Ga-
leatio, quòd non inueniebat confessorem, qui eum
vellet absoluere. Quia neque, hoc est inuerisimi-
le, cùm super hoc facto habeat alios contestes, vt be-
ne deducitur in decisione.
Non obstat decimo, quod iuxta 23. deponit, de
anno 1536. Placentiæ Angelinum reuocauisse pri-
mum dictum; & tamen in dicto processu de anno
1536. iste Angelinus non reperitur nominatus. Quia
5 iste processus † non est integer, & propterea ex eo
non probatur ista negatiua, quòd Angelinus in eo
non sit nominatus.
Non obstat vndecimo, quòd iste testis dedit indi-
cia in Causa criminali. Quia hoc non probatur cùm
Io: Antonius nihil dicat de Vincentio.
Non obstat duodecimo, quòd iste testis super 23.
se retulit ad processum de anno 1536. Quia ipse re-
fert solum factum, quòd de dicto anno 1536. testes
fuerunt repetiti, & confessi fuerunt, in præcedenti
examine deposuisse falsum, & istud factum est verū,
neque potest reuocari in dubium. Et ideo, siue iste
processus sit attendendus, siue non; nihil refert ad
istum effectum: quia iste testis non deponit de iure,
quòd processus sit validus, vel afficiat Rangonos;
sed refert solum merum factum, quod est verum, vt
dictum fuit.
Non obstat decimotertio, quòd iste testis non no-
minet nisi mortuos in contestes. Quia neque hoc ve-
rum est, vt in summario num. 15, & 16.
Non obstat decimoquarto, quòd probat omnes
articulos. Quia si omnes erant veri, nihil impedit,
quod non possit omnes probare; & de contrario non
docetur.
Non obstat decimoquinto, quòd tentauit subor-
nare Capitaneum Io: Antonium, Quia hoc non pro-
batur aliunde, quàm ex assertione ipsius Io: Antonij,
6 cui † non creditur: & tanto magis, cùm affirmauerit
quòd Iacobus solus eum allocutus fuit; quod etiam
fate-

fateтur Iacobus, qui negat eum ipso adfuisse Vincentium.

Non obstat quòd iste testis odio prosequebatur Rangonos. Quia hoc non colligitur quàm ex depositione istius testis in examine: & propterea ista exceptio non est releuans, vt alias fuit consideratum.

Non obstant alia, quæ deducuntur. Quia, secundum Dominos, sunt læuia, & parum digna consideratione; & eis placuerunt responsiones, quæ dantur per informantes pro Pallauicinis in facto.

VENETIARVM PECVNIARIA.

Mercurij 11. Decembris 1602.

ARGVMENTVM.

De executione obligationis Cameralis.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis, tam pro summa expressa, quàm pro quauis alia summa, in qua quis remanebit debitor, habet executionem paratam, etiam pro summa incerta; facta tamen prius liquidatione. Etiamsi in liquidatione non adsit obligatio Cameralis, & num. 2.*

DECISIO CCCL.

DOmini resoluerunt mandatum relaxatum per Auditore Cameræ contra Illustrissimum Dom. Rodulfum pro summa scutorum 11386. esse exequendum. Quia pro quantitate scutorum 8223. concurrit explicita eius confessio in instrumento; & tam pro hac summa, quàm pro quauis alia, in qua in futurum remanebit debitor, adest obligatio Cameralis. Et propterea cùm tota ista summa fuerit liquidata cum procuratore ipsius D. Rodulfi, qui habebat specialem facultatem solidandi ista computa; & postea ista solidatio fuerit ratificata, & acceptata ab ipso D. Rodulfo, cùm promissione soluendi totam summam; secundum Dominos non potest denegari † exe-
1 cutio obligationis Cameralis pro hac summa liquidata cùm procuratore speciali, & postea acceptata ab ipso debitore; vt per Gallef. *de oblig. Camer. in titu. de procef. in fin. & in tit. de liquidat.*

Non obstat quòd in manibus Dominorum de Dom oren anferunt folia alba ab eo subscripta. Quia hoc non iustificatur.

Non obstat quòd ista solidatio fuit facta sine iustificatione crediti. Quia neq; hoc probatur, & in contrarium concurrit, assertio ipsius procuratoris, qui dicit, quòd inuenit computum iustum, & legale. Et ista assertio habet concomitantiam magnæ verisimilitudinis: quia iuxta solitum comune similium liquidationum, solet prius præcedere discussio particularum, & totius negotij: &, si creditum non fuisset iustificatum, D. Rodulfus non agnouisset bonam fidem, approbando creditum in summa tam notabili, & promittendo soluere.

Non obstat quod redditio rationis fuit dolosa. Quia iste dolus non deducitur aliunde quàm ex partita scutorum 1700. quæ non continetur in computis.

Non obstat, quod in solidatione non continetur
2 obligatio Cameralis. Quia sufficit quod † contineatur in instrumento pro summa scutorum 8223. & pro alia summa, in qua in futurum remanebit debitor; & quòd postea fuerit liquidata ista summa illiquida cum legitima persona, & acceptata à D. Rodulfo.

Non obstat, quòd computa non fuerunt solidata cum legitima persona. Quia fuit facta solidatio cum Dominico, nomine suo, & fratris, à quo habebat mandatum.

Non obstat nullitas, quæ deducitur ex defectu mandati D. Caroli Ghetti. Quia constat de mandato, & reuocatio habet exceptiuam, *Præter quàm ad lites*, Vltra quod non docetur de intimatione huius reuocationis, prout requiritur.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 16. Decembris 1602.

Ponitur hæc breuis Decisio ad continuandam seriem Causæ.

DECISIO CCCLI.

FVit per Dominos resolutum, constare ex computo D. Alexandri, & ex instrumentis, quæ fuerunt visa per Notarium, de credito D. Leonis vsque ad summam scutorum 9800. circumscriptis fructibus societatum; de quibus particulariter agetur, si opus erit.

IACEN. PORTIONIS.

Lunæ 16. Decembris 1602.

ARGVMENTVM.

An Iuspatronatus, de quo in Decisione, comprehendatur in reuocatione Concilij Tridentini.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentinum reuocauit Iura patronatus competentia ex priuilegio, & præscriptione, & præseruauit solum competentia ex dotatione, vel fundatione. Sed circa probationem, nihil innouauit vltra dispositionem Iuris communis, & nu. 2.*

3 *Enunciatiuæ antiquissimæ habent vim famæ, & probant Immemorabilem.*

4 *Ex antiquitate temporis, iuncta cum coniecturis, & præsumptionibus, resultat probatio præsumptiua, quòd Iuspatronatus sit ex dotatione, vel fundatione.*

5 *Probatio præsumptiua Iurispatronatus ex dotatione, vel fundatione, excludit derogationem Concilij; licèt in Enunciatiuis non dicatur, quòd Iuspatronatus sit ex dotatione, vel fundatione, & num. 6.*

7 *Articulans non fatetur.*

8 *Confessio Rectoris non præiudicat Ecclesiæ.*

DECISIO CCCLII.

POst resolutionem factam in hac Causa, quòd constabat de Iure patronatus ad fauorem Rectoris, dubitaui, An istud Iuspatronatus sit tale, quod cadat sub reuocatione Sacri Concilij Tridentini. Et fuit per Dominos resolutum, non esse reuocatum.

Mouebantur: Quia quamuis Sancta Synodus
1 † reuocet iurapatronatus competentia, ex priuilegio, & præscriptione, & præseruet solum competentia ex dotatione vel fundatione: tamen circa proba-
2 tionem † iurispatronatus extra illos casus, in quibus cadit præsumptio vsurpationis, nihil innouauit vltra dispositionem iuris communis; vt fuit resolutum in

Causa Tuden. Iurispatronatus 13. Iunij 1572. coram bon.
mem. Cardinali Lancellotto ; & in Causa Tirasonen. Iuris-
præsentandi coram R.P.D. Penia. Et propterea, cùm
istud iuspatronatus probetur per tres enunciatiuas
antiquissimas in diuersis institutionibus Episcopo-
3 rum ad præsentationem Rectoris, quæ † habent vim
famæ, & probant immemorabilem, Achil. *decis. 6. de*
iure patron. & ista probatio fit multum coadiuuata,
ex alijs diuersis enunciatiuis, & quasi possessione
4 Rectoris, & alijs adminiculis; ex ista † antiquitate
tanti temporis cùm qua concurrunt tot coniecturæ,
& præsumptiones, resultat probatio præsumptiua,
quòd iuspatronatus competat Rectori ex dotatione,
vel fundatione, Fed. Sen. *cons. 234. num. 2. in fin.* Abb.
consil. 76. in primo dub. part. 2. Dec. *consil. 126. num. 3.*
Cassad. *decis. 2. in fin. de probation.* Put. *dec. 404. lib. 2.*
Achil. *dec. 4. & 7. de iurepatr.* Guidob. *dec. 118.* Cotta
decis. 150. Anton. August. *in tit. de iurepatron. ex dot. &*
5 *fundat. §. 1.* Et ista † probatio præsumptiua est suffi-
ciens ad effectum, vt non intret derogatio Concilij;
vt fuit resolutum *in Causa Pampilonen. Iurispatronatus*
18. Iunij 1586. coram bon. mem. Orano ; & in Causa Me-
diolanen. Iurispatronatus de Baradia 21. Aprilis 1589.
coram D. Episcopo Perusino: in qua etiam fuit dictum
6 † hoc procedere licet in enunciatiuis, non dicatur,
quod iuspatronatus sit ex fundatione, vel dotatio-
ne. Et hanc opinionem etiam sequuta fuit Congre-
gatio Illustrissimorum Cardinalium, Sacri Concilij
Interpretum. Et Domini facilius venerunt in hanc
sententiam: quia dos istarum portionum consistit in
decimis; quæ licet potuerint esse datæ ab Episcopo
de sua quarta, tamen cùm concurrant tot enunciati-
uæ antiquissimæ, & quasi possessio Rectoris præsen-
tandi; multum verisimile est, quòd fuerint dotatæ à
Rectore de propria portione ad eum spectãte: & tan-
to magis, cùm nihil in contrarium doceatur pro par-
te Episcopi.
Non obstat articulus, qui deducitur in cõtrarium.
7 Quia † articulans non fatetur. Et tanto magis cùm
articulus fuerit datus à procuratore, & agatur de
8 præiudicio Ecclesiæ, cui † non præiudicat confessio
Rectoris.

ROMANA FRVCTVVM DOTIS.

Veneris 20. Decembris 1602.

A R G V M E N T V M.

Agitur de probanda promissione dotis, facta ab ex-
traneo.

S V M M A R I V M.

1 *Promissio dotis non est necesse, vt fiat vxori; sed debet fie-*
ri viro.
2 *Extraneus potest constituere dotem sub conditione, quòd*
soluto matrimonio, debeat ei, vel alteri, restitui.
3 *Simulatio contractus dotalis non infertur ex ostentatione*
maioris dotis.

D E C I S I O CCCLIII.

DOmini distinxerunt Dubium in duas difficul-
tates. Prima difficultas fuit, An scuta mille
fuerint promissa pro dote. Secunda fuit, An ista
promissio fuerit vera, vel simulata.
Quantum ad primam difficultatem, fuit resolu-
tum, scuta mille fuisse promissa pro dote.
Fundamentum resolutionis fuit: Quia in apoca
Thadæi explicitè continetur, quòd ista scuta mille
dabantur pro dote.
Secundo: quia tota dos scutorum 5000. fuit pro-
missa à D. Iulio patre Annæ, & Thadæus promisit
illum releuare indemnem, se obligando ei soluere
hanc summam infra duos annos, & interim ei solue-
re fructus pro rata, quãm soluet Matthæo. Et prop-
terea, cùm Iulius, inter quem, & Matthæum, alius
contractus non intercesserat, quàm promissionis do-
tis scutorum 5000. pro filia teneretur ei soluere to-
tam hanc summam, & fructus; non potest dubitari,
quod tota ista summa non cedat in causam dotis, li-
cet pro parte haberet releuationem indemnitatis à
Thadæo.
Tertio: quia in apoca Iulij declaratur quòd solue-
rat solũ pro dote scuta 4000. & pro alijs scutis 1000.
cessit Matthæo actionem, quam habebat contra Tha-
dæum.
Non obstant in contrarium deducta. Et primo
non obstat, quòd ista scuta mille, non fuerant pro-
1 missa Annæ. Quia non † est necessarium ad istum
effectum vt sit dos, quòd promissio fiat vxori: sed suf-
ficit quòd promissio fiat viro, cui dos regulariter so-
let promitti.
Non obstat, quòd ista scuta mille non debebant
restitui vxori soluto matrimonio. Quia nihil non
2 repugnat quòd ab extraneo non possit † constitui
dos sub conditione quòd soluto matrimonio debeat
ei, vel alteri restitui, *leg. ob res, §. 1. ff. de pact. dotal.*
Non obstat, quòd Iulius declarauit se soluisse so-
lùm Matthæo, & quod fuit contentus hypotheca in
bonis Matthæi pro summa scutorum 4000. Quia
cùm Matthæus quietauisset Iulium, de scutis
5000. voluit esse securus, quòd non repeteret, nisi
scuta 4000. & ad istum effectum emanauit ista con-
fessio Iulij. Sed ex hoc non infertur, quod illa scuta
1000. promissa à Thadæo, & cessa à Iulio Matthæo,
non cesserint in causam dotis licet deberent esse pro-
pria ipsius Matthæi.
Quo vero ad secundam difficultatem, Domini di-
xerunt, quòd simulatio non probatur. Quia non af-
3 fertur alia causa, quàm † ostentationis maioris do-
tis, ad quem effectum sufficiebat, quòd Matthæus
per apocam declararet, quod dos in veritate erat
scutuum 4000. tantùm; nec erat opus tanto circui-
tu, quòd Thadæus se obligaret soluere Iulio intra
certum tempus istam summam, & interim fructus:
nec fuisset apposita cautela, quòd ista scuta 1000.
non essent subiecta restitutioni, si non debebant sol-
ui: neq; etiam fuisset cessa actio Matthæo contra
Thadæum, si promissio fuisset simulata.

ILLERDEN. IVRIS DECIMANDI.

Veneris 10. Ianuarij 1603.

Summarium seruit pro Argumento.

S V M M A R I V M.

1 *Testes, cessante defectu iurisdictionis, si sint examinati*
cum interrogatorijs, solet adhiberi fides eorum dictis.
2 *Liquidatio damnorum, ob non perceptionem fructuum,*
pendet à liquidatione fructuum.

DE-

DECISIO CCCLIV.

Domini concluserunt esse adhibendam fidem, istis testibus: Quia sunt examinati cum interrogatorijs partis, & adest Commissio sanatoria nul-
1 litatum arbitrio Rotæ: & quando † cessat totalis defectus iurisdictionis, & testes sunt examinati cum interrogatorijs, solet adhiberi fides eorum depositioni; vt fuit resolutum *in Causa Conchen. Limitum, 28. Nouembris 1594. & 17. Maij 1595. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto*. Et quamuis opponatur de defectu iurisdictionis, quia Commissio est restricta ad liquidationem fructuum: tamen, cùm damna pretendantur à Doctore Lamata ex eo capite, quia non potuit percipere fructus, & coactus fuit soluere onera;
2 liquidatio damnorum † pendet à liquidatione fructuum, & in effectu idem continet liquidatio damnorum ob non consecutionem fructuum, & liquidatio ipsorum fructuum; & propterea non fuit intentionis neq; partis petentis instrumentum subdelegationis, pro hac liquidatione, neq; Iudicis concedentis, velle restringere Commissionem, pro sola liquidatione fructuum, ita vt coram iudice, non possent liquidari damna: & tanto magis, cùm instrumentum subdelegationis fuerit datum in executionem sententiæ, quæ continet condemnationem damnorum.

ROMANA DAMNORVM, ET INTERESSE.

Lunæ 13. Ianuarij 1603.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 Debitor societatis benè soluit vni ex socijs, societate finita, si durant effectus eiusdem societatis: Etiamsi socius, cui soluit, remansisset debitor societatis, & num. 2.

DECISIO CCCLV.

Fuit iterum dubitatum, An sententia R. P. D. Alæ sit iusta. Et Domini concluserunt esse iustam. Quia Thomæ fuerat satisfactum de hac summa in computis solidatis cum Claudio; & ideo Antonio, qui contraxerat societatem cùm Guglielmo, competebat actio contra Honofrium debitorem pro repetitione illius summæ. Et quamuis opponatur, quòd societas erat finita; tamen hoc non facit quod Hono-
1 frius non benè soluerit: quia † sufficit ad illum effectum quòd durarent effectus societatis præcedentis.

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quòd Antonio competebat actio propter mandatum procuræ habitum à Thoma: Quia licet in eo non fuerit expressum nomen ipsius; tamen ex multis coniecturis in alia positione ponderatis, constat quòd istud mandatum fuit transmissum Antonio, vt illius vigore posset exigere illud creditum: & propterea cum Honofrius bene soluerit Antonio non poterat molestari à Claudio vigore cessionis debiti iam soluti: & si volebat consequi releuationem indemnitatis, non debebat soluere, sed debebat se defendere docendo de solutione iam facta, & petendo quòd Claudius iustificaret creditum, quod non poterat iustificari, cùm instrumentum originale, esset restitutum: & tanto magis, stante susceptione litis facta ab Antonio, qui facile poterat se defendere, propter laudum, Reuerendissimi Patriarchæ Alexandrini, à partibus acceptatum; in quo continetur quietatio generalis inter ipsum, & Claudium hæredem Guglielmi.

Non obstat, quòd Antonius remansit debitor so-
2 cietatis. Quia ex hoc non sequitur, quod H. nofrius ei non rectè soluerit; sufficit † enim ad illum effectum quòd esset socius Guglielmi, & Thomæ procurator, vt dictum fuit.

Non obstat, quòd Antonius recepit ab Honofrio vltra sortem principalem, summam scutorum 131. pro fructibus societatis officij initæ per ipsum Antonium cùm Ascanio Carbonio, ante recognitionem bonæ fidei. Quia hoc non concernit validitatem, vel inualiditatem subhastationis officij; quæ non potest euitari, si fuit facta pro summa vere non debita: sed concernit solum excessum; de quo, si opus erit particulariter agetur. Si enim Antonio competebat actio contra Honofrium, pro restitutione sortis principalis, eius hæredes non habuerunt actionem contra eum pro repetitione, quia malè fuit solutum Claudio; prout fuit resolutum in alia positione, & confirmatum in ista; nullitas subhastationis officij non potest euitari.

ROMANA COMPENSATIONIS.

Mercurij 15. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Agitur de liquidatione, ad effectum compensationis.

SVMMARIVM.

1 Pro partitis liquidis datur compensatio. Secus pro non liquidis, & num. 2.

DECISIO CCCLVI.

Domini dixerunt, quatuor partitas esse liquidas: videlicet, summam scutorum 40. & grossis 20. quam Petrus declarauit velle habere, pro compensata. Secundò, aliam summam scutorum 40. & grossis 50. pro expensis litis; pro qua summa adest taxatio. Tertiò, aliam partitam scutorum 8. & gros. 10. pro qua fuit relaxatum mandatum contra Petrum. Quartò, & vltimo, aliam summam scutorum 6. & gros. 7. debitam Vincentio, iuxta computum taxa-
1 tum à Consulibus: & pro illis † partitis resoluerunt esse locum compensationi. Quia constat clare de debito, & de quantitate; & Commissio, quæ fuit expedita de consensu partium dat facultatem compensandi summas veras, legitimas, & de iure debitas.

Quantum ad alias partitas, Domini resoluerunt,
2 non esse locum compensationi. Quia summæ † non sunt liquidæ; cùm non probetur valor vestium, annullorum, & aliarum expensarum. Nec à dominis fuit habita in consideratione, depositio noni testis, qui dicit audiuisse à Petro, quòd Vincentius dederat Domitillæ bona ascendentia ad scuta 250. Quia iste testis est vnicus, & verba fuerunt prolata incidenter, & ad alium finem, & effectum. Et multo minus est locus compensationi quoad illas partitas, quæ consistunt in alimentis præstitis Petro, & Sebastiano, & in expensis factis in eius vestimentis; in quibus adest difficultas, an debeantur. Et ideo, nisi prius firmetur istud creditum, non est locus compensationi.

SA-

SABINEN. TENVTÆ COLLIS RAMPOLI.

Veneris 24. Ianuarij 1603.

Pro Argumento. Vide Decisio 262.

SVMMARIVM.

1 *Dominus directus habet fundatam intẽtionem suam quoad emphyteusim, quando tota terra eius possidetur ab emphyteota: Nisi locatio in emphyteusim habeat certos fines, & limitatos, & num.2. In quo casu onus probandi spectat ad dominum, non ad conductorem, & num.3.*

4 *Quantitas precij in locatione seruit pro declaratione mentis contrahentium, quando verba sunt dubia.*

5 *Declaratur Decisio Patriarchæ Alexandrini* in Papien. Bonorum.

DECISIO CCCLVII.

PRoposui iterum idem Dubium aliàs resolutum: & Domini steterunt in decisis, quòd fines locationis, quam fecit Capitulum de anno 1489. ad tertiam generationem Alexandro, & Paulo, non extendantur vltra rupes. Quia quamuis probetur dominium Ecclesiæ totius Tenutæ, & super ea Ecclesia habeat sufficienter fundatam suam intentionem,
1 quando † tota possidetur ab emphyteota, iuxta *cons.* Ruin. 50. *lib.* 1. tamen hoc non procedit, quan-
2 do † locatio facta ab Ecclesia haber confines certos & limitatos. In hoc enim casu, cùm locatio non ex-
3 tendatur vltra confines; onus † probandi, quòd emphyteota sit in possessione terrarum existentium extra confines vigore locationis, spectat ad locatorem: Quia cùm nitatur solum instrumento locationis, alio in contrarium non docto, sufficit possessori ostendere, quod terræ existentes extra rupes, non sunt compræhensæ in locatione. Et propterea, cùm Capitulum locauerit vnum podere in vocabulo Collis Rampoli, videlicet totum planum Collis Rãpoli positum intra rupes; ex natura dictionis *videlicet*, siue intelligatur restrictiuè, siue declaratiue, ex regula inclusionis, ex appositione confinium limitatorum, & ex verisimili mente contrahentium, ista locatio non compræhendit terras existentes extra rupes; vt latius deductum fuit in alia decisione.

Non obstat quòd illa verba præcedentia, *Vnum podere in vocabulo Collis Rampoli*, sunt apta compræhendere etiam terras existentes extra rupes, Quia incontinenti subditur: *Videlicet, totum planum Collis Rampoli positum intra rupes*. Quæ verba immediatè subsequentia fuerunt solum apposita, ad istum effectum restringendi vim, & efficaciam verborum præcedentium: aliàs necessariò dicendum est, quòd ista verba fuerint adiecta sine effectu operãdi, si vis compræhensiua istius locationis debebat extendi vltra rupes.

Non obstant illa verba, *Et omnem aliam iurisdictionem quam habet Ecclesia in dicta tenuta de dicto podere*. Quia ista verba non important dominium aliarum terrarum, ita vt Capitulum intellexerit incontinenti se corrigere, extendendo locationem ad terras existentes extra rupes: sed important omnem aliam seruitutem, & ius, quod Capitulo poterat competere infra fines designatos.

Non obstat, quòd ex quantitate affictus plani pro duobus florenis, & ex quantitate affictus istius locationis ad rationem quatuor salmarum grani, apparet totam Tenutam fuisse locatam à Capitulo. Quia istud argumentum concluderet, si inter priorem locationem plani, & istam, de qua agitur, non intercessisset spacium 34. annorum: ex quo cursu temporis
4 potuit prouenire illud augmentum. Præterea; † quantitas precij seruit pro declaratione mentis contrahentium, quando verba sunt dubia: & propterea non suffragatur Capitulo in hoc casu, cùm habeat contra se verba clara instrumenti, & verisimilem mentem contrahentium, vt dictum fuit.

Non obstat obseruantia subsequuta. Quia non ostenditur obseruantia proxima concessioni, quòd de isto tempore emphyteota fuerit in possessione, vltra rupes: & ideo cum verba locationis sint clara, cessat fundamentum, quod deducitur ex præsumptione tituli præambuli.

Non obstat decisio, quæ allegatur coram Reuerendissimo Patriarcha Alexandrino *in Causa Papien.*
5 *Bonorum*. Quia † in illo casu neq; aderat aliqua limitatio in inuestituris, neq; agebatur de extendenda concessione, vltra confines certos; & solum pro parte conductoris, ad effectum elidendi intentionem actoris, opponebatur, quòd dumtaxat boscum fuerat concessum, fundando se in quibusdam enunciatiuis contentis in aliquibus quietantijs: & fuit dictum, quod verba debebant intelligi demonstratiuè: quia per istas enunciatiuas agebatur de restringendo inuestituras; cum quibus concurrebant multæ præsumptiones, & coniecturæ. Et ideo ille casus nihil commune habet cùm isto.

VENETORVM PECVNIARIA.

Lunæ 27. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

De solidatione computorum acceptata à debitore.

SVMMARIVM.

1 *Simplex attestatio, lite pendente facta, & sine citatione partis; non probat.*

2 *Retinens apud se folia alba, non exinde probatur concludenter, quod ijs vsus fuerit.*

3 *Attestatio nihil probat, quando in contrarium adsunt literæ ipsius attestantis.*

DECISIO CCCLVIII.

PRoposui iterum idem Dubium aliàs propositum & resolutum: & Domini censuerunt non esse recedendum à decisis, quod mandatum A. C. sit exequendum, Quia summa fuit liquidata cùm Nauaresio procuratore D. Rodulfi, qui fuit ab eo transmissus Venetias ad istum effectum solidandi computa: & postea ista solidatio fuit ab eo acceptata, & ratificata: & propterea, stante obligatione Camerali, mandatum fuit iustè relaxatum ab Auditore Cameræ.

Non obstat, quòd D. Rodulfus solebat relinquere Dominis de Domo folia alba ab eo subscripta. Quia
1 hoc non deducitur aliunde, quia ex simplici † attestatione facta lite pendente, & sine citatione partis: & propterea illud factum non iustificatur. Et tanto magis, quia videbatur Dominis inuerisimile, quòd si Do-

Domini de Domo fatebantur habere ista folia alba,
& noluerunt illa restituere Cabasso, Dom. Rodulfus
non procurauerit saltim post litem motam illa reha-
2 bere. Pręterea, ex hoc non resultat probatio † con-
cludens, prout requiritur, quòd Domini de Domo
vsi fuerint istis folijs albis ad effectum ostendendi ra-
tificationem D. Rodulfi: & tanto magis, quia exclu-
ditur omnis suspicio, cùm eadem ratificatio probe-
tur etiam ex literis Nouaresij.

Non obstat attestatio Nouaresij: quia non fuit ha-
3 bita in consideratione cùm † in contrarium dentur,
literæ ipsius: & tanto magis, cùm sit facta lite pen-
dente, & sine citatione partis.

Non obstat quòd D. Rodulfus erat creditor isto-
rum de Domo in scutis 4481. Quia ista summa fuit
deducta in computis: creditum enim erat scutorum
15867. ex quibus deducta hac summa, scutorum
4481. remanet creditum in summa liquidata scuto-
rum 11386.

RAVENNATEN. CENSVS.

Veneris 31. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Procurator, *cum libera*, an possit obligare dominos pro facto proprio ipsius procuratoris. Declaratur Statutum Rauennatense, quòd rector, & gubernator familiæ potest alios de familia in solidum obligare.

SVMMARIVM.

1 *Clausula* Cum libera *intelligitur, dummodo procurator contrahat bona fide, & obliget dominum pro facto proprio ipsius domini.*

2 *Clausula* Cum libera *limitatur à verbis*, In præmissis, & circa præmissa.

3 *Ratificatio Census impositi à procuratore non inducitur, ex sola receptione partis summa; sed requiritur praterea quòd in principali probetur scientia impositionis census.*

4 *Ex dispositione Statuti Rauennæ rector, & gubernator familiæ potest alios de familia in solidum obligare.*

5 *Responsio ad positiones qualificata, & limitata, non probat.*

6 *Statutum Rauennæ, de quo in Decisione, habet locum quando rector familia obligat alios de familia pro negocijs ad familiam spectantibus. Et de ratione num. 9. & 10.*

7 *Statuta Mercatorum, quòd gubernator negocij possit alios obligare, intelligitur in negocijs spectantibus ad mercaturam.*

8 *Liberatio à probatione versionis, in casu Statuti Rauennæ, præsupponit contractus fuisse initos à rectore pro seruitio familia.*

10 *Statutum Rauennæ supra positum, est valde exorbitans. Et non habet locum, quando facultas obligandi est limitatè concessa procuratori, & num 11.*

DECISIO CCCLIX.

FVit resolutum contra informantem, non consta-
re de valida obligatione Simeonis Christofori, &
Bartolini de Fusconis.

Ratio potissima resolutionis fuit: Quia mādatum
procuræ, cuius vigore fuerunt obligati, licet habeat
clausulam, *cum libera*, & alias clausulas multum am-
plas, quæ benè ponderantur per informantes: tamen
1 omnes istæ clausulæ intelliguntur, dummodo † pro-
curator contrahat bona fide, & sine dolo, & obliget
dominum pro facto proprio ipsius domini, & non
pro facto proprio ipsius procuratoris, vel alterius
extranei, *leg. creditor, §. Lucius*, & *ibi* Bald. Salic. Fulgo.
& alij, *ff. mand.* Paul. de Castr. *in leg. contra iuris, §. vlt.
num. 2. ff. de pact.* Caputaq. *dec. 24. lib. 3. in manuscript.*
Et propterea, cùm venditio census fuerit facta à Ste-
phano, Baptista, & Thoma pro proprijs eorum indi-
gentijs, & ipsi receperint pecunias, vel saltim Stepha
nus, & Baptista; non poterat Thomas vigore hu-
ius mandati, quantumvis cùm libera, obligare, do-
minos pro euictione census, pro solutione fructuum,
& pro damnis, & interesse: quia ista obligatio in effe-
ctu est fideiussio, quæ eis non poterat esse, nisi dam-
nosa, prout euentus docuit. Et tanto magis, cùm illæ
2 clausulæ recipiant restrictionem † & limitationem à
verbis subsequentibus, *In præmissis, & circa præmissa;*
vt per Soccin. Iun. *cons. 22. numer. 29. & 30. lib. 3.* Put.
decis. 524. lib. 2.

Non obstat fundamentum, quod fit super ratifica-
tione. Quia non probatur concludenter, saltim re-
spectu omnium, quod receperint scuta 100. ex pecu-
nijs sumptis ad censum; ex qua receptione deduci-
tur ratificatio: & ex depositione duorum testium,
qui dantur in summatio num. 18. & 19. apparet quod
illa scuta 100. fuerunt recepta à Thoma: & hoc com
probatur ex confessione ipsius, quòd illa recepit, &
pro eis soluit fructus. Præterea, ad istum effectum
3 inducendi ratificationem, non † sufficit sola recep-
tio scutorum 100. sed requiritur vltra receptionem,
quòd probetur scientia illorum fratrum, quòd fue-
rant obligati à Thoma, vti eorum procuratore, in
impositione totius census scutorum 1000. ad fauo-
rem Laræ: quia istæ sunt qualitates substantiales. Et
non potest fieri fundamentum in ratificatione, si non
probatur eorum scientia, vt per gloss. communiter re-
ceptam *in cap. concertationi, de appell. in 6.*

4 Non obstat Statutum, ex cuius dispositione † re-
ctor, & gubernator familiæ potest alios in solidum
obligare. Quia deficit probatio qualitatis requisi-
tæ à Statuto, quòd Thomas esset rector, & guberna-
tor familiæ: nam hoc non deducitur aliunde quàm
ex confessione istorum fratrum in responsione ad po
5 sitiones; quæ non † est simplex, & pura, sed qualifi-
cata, & limitata: quia ad quartam positionem, in
qua continetur, quòd ipsi se referebant ad id, quod
faciebat Thomas; Christophorus respondit quòd
credit in his, quæ participabat cum fratribus: & Si-
meon, quòd credit in rebus licitis, & honestis: Bar-
tholomæus verò respondit, quòd nòn credit. Et
hoc comprobatur ex mandato procuræ, quod non
erat necessarium, si Thomas fuisset rector familiæ, &
habuisset tam amplam facultatem vigore Statuti: Et
saltim non se restrinxisset ad mandatum si erat etiam
rector. Et cessat omnis difficultas: quia istud Statu-
tum recipit passiuam interpretationem à Iure com-
6 muni: & sic locum habet, quando † rector, & guber-
nator familiæ obligat alios de familia pro negotijs
concernentibus interesse, & vtilitatem familię, Bald.
cons. 100. vers. item Statutum loquitur. Et iste intellectus
secundum dominos comprobatur primo: quia Statu-
tum dat hanc facultatem rectori familiæ; & ideo de-
ber

bet intelligi in negotijs spectantibus ad familiam;
7 prout † de similibus Statutis in fraudem mercatorum, passim dicunt Doctores, quòd intelliguntur in negotijs spectantibus ad mercaturam.

Secundò, quia Statutum disponit, quòd contrahentes non teneantur ad probationem versionis: &
8 ista † liberatio à probatione versionis præsupponit, quod pecuniæ peruenerint ad manus rectoris, & quod contractus fuerint initi ab eo, pro seruitio familiæ.

9 Tertio, quia non † est verisimile quòd Statutum voluerit permittere arbitrio rectoris euertendi funditus statum familiarum, dando ei hanc facultatem, vt possit fideiubere, & inire quosvis contractus pro beneficio omnium personarum.

10 Quarto, & vltimo dicebant Domini, quòd † huiusmodi Statuta sunt valde exorbitantia, & recipiunt interpretationem restrictiuam; & propterea sufficit, quod operentur suum effectum in obligationibus concernentibus interesse familiæ, vt per Corn. *in cons. 50. lib. 4. Dec. cons. 359.*

11 Addebant etiam aliqui, quòd † facultas limitatè concessa procuratori, operatur, vt non sit locus dispositioni Statuto, quod tribuit maiorem facultatem, vt per *Doct. in le. 1. §. si plures, ff. de exercit. act.* & hunc intellectum videtur, etiam habuisse contrahentes, cùm Thomas obligauerit fratres, vti eorum procurator, & non vti rector familiæ.

PAPIEN. PRÆPOSITVRÆ,

Veneris 31. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Agitur de mandato de manutenendo.

SVMMARIVM.

1 *A sententia mixti executoris datur appellatio, etiamsi transiuerit in iudicatum; dummodo lis non sit finita, & num. 3.*

2 *Appellatione pendente non potest dari immissio in possessionem.*

DECISIO CCCLX.

Domini dixerunt, quòd si acta sunt integrè transportata, Compostino est dandum mandatum de manutenendo: Quia constat de eius possessione anteriori, & possessio posterior capta ab Augustino
1 non est habenda in consideratione: quoniam † cùm Vicarius esset mixtus executor, ab eius sententia da-
2 batur appellatio. Et propterea non † poterat, pendente tempore ad appellandum, eum immittere in possessionem; vt in his terminis sæpius fuit resolutum. Et quamuis oponatur quòd illa sententia fecerit trāsitum in iudicatum; tamen sufficit ad illum effectum
3 mandati de manutenendo, quòd † lis non sit finita, cùm detur etiam in causa restitutionis in integrum.

CÆSENATEN. SOCIETATIS.

Mercurij 26. Februarij 1603.

ARGVMENTVM.

Tacita societas ex quibus excludatur.

SVMMARIVM.

1 *Ad inducendam tacitam societatem requiruntur actus necessariò illam inferentes.*

2 *Coniecturæ pro exclusione tacitæ societatis, & num. 3. 4. & 5.*

6 *Ex actibus æquiuocis non infertur tacita societas.*

DECISIO CCCLXI.

Fvit per Dominos resolutum, non constare, quòd post mortem Gasparis fuerit contracta tacita societas inter Antonium fratrem Gasparis, & alios socios.

Mouebantur: Quia tota ista materia est conie-
1 cturalis; & vt † inducatur tacita societas, requiruntur actus necessariò illam inferentes, Anch. *cons. 302. num. 1. Bald. cons. 125. num. 2. lib. 5.* Et non solum non adsunt isti actus, sed concurrunt plures coniecturæ exclusiuæ tacitæ societatis.

2 Primò, quia † post mortem Gaspari, Morellus fecit plures protestationes contra hæredes ipsius Gasparis, prætendendo quod deberent continuare in locum patris: & sic illæ protestationes ostendunt clarè, quòd Marcellus saltim in illo tempore non habebat illam prætensionem, quòd Antonius continuaret in societate in locum sui fratris: quia fecisset protestationes contra eum, & non se restrinxisset ad filios, & hæredes Gasparis.

Secundò, ex parte Antonij res redditur clarior:
3 quia † ipse comparuit in iudicio pro interesse, & defensione suorum nepotum, vti coniuncta persona.

4 Tertio, ex † ista tā exacta diligentia Morelli, vt filij Gasparis perseuerarent in societate, & eorum renitentia, videbatur Dominis societas esse in tali statu, vt non sit verisimile Antonium voluisse subintrare in locum fratris.

Quarto, & vltimo, multum conferunt pro exclusione societatis depositiones testium, qui dicunt,
5 quod † Antonius requirebatur à socijs, vt interueniret, & assisteret negotijs pro interesse suorum nepotum.

Non obstant actus, qui in contrarium deducuntur. Et primo non obstat deputatio Matij in Capserium, subscripta etiam ab Antonio cùm enunciatiua, quod ipsum eligunt vti socij. Quia verba non sunt ita clara, quòd non possint intelligi quod Antonius subscripserit nomine nepotum, pro quibus erat solitus interuenire in alijs actibus. Et hoc eo magis dicendum est; quia ista est simplex enunciatiua, quæ enarrauit ad alium finem, & non tendit ad obligandum de nouo societatē, sed præsupponit societatem fuisse contractam. Et cessat omnis difficultas propter protestationem factam à Morello post istum actum, in qua enunciatur, quòd vsque ad illam diem societas erat continuata cum filijs Gasparis: & consequenter necessario dicendum est, quòd in illo actu deputationis Antonius non interuenerat nomine proprio vti socius: si enim filij continuarent in portione patris post illum actum, non potuit in eadem portione eodem tempore continuare Antonius. Et ista coadiuuantur ex depositione vnius testis, qui dicit quòd Morellus iussit quod vocaretur Antonius, vt interueniret in ista electione pro interesse nepotum.

Non obstat secundo quòd Antonius interuenit in con-

6 congressus. Quia † iste casus est æquiuocus, cùm
potuerit interuenire pro interesse nepotum; & hoc
redditur multum verisimile, quia nepotes erant pu-
pilli, & ideo non poterant personaliter interuenire.

Non obstat tertio solutio scutorum 100. Quia
etiam iste actus est æquiuocus: & tanto magis, quia
ista solutio non correspondet portionibus societatis:
nam debitum erat scutorum 300. & ideo cùm essent
quinque socij, quinta pars hujus debiti, quæ specta-
bat ad Antonium, non importabat scuta 100. & pro-
pterea ista solutio non fuit facta ab Antonio vti so-
cio.

Non obstat quarto, & vltimo participatio emolu-
mentorum. Quia non affertur probatio concludens,
quòd Antonius illa perceperit nomine proprio, ex-
clusiuè ad nepotes. Testes enim non concludunt,
quòd licet Antonius perceperit aliqua emolumenta,
illa postea non peruenerint ad nepotes: & propte-
rea eorum depositio, recipit declarationem ab alijs
testibus quòd ista emolumenta transmittebantur ad
domum nepotum: & saltim probatio redditur tur-
bida ita, vt super hac coniectura non possit fieri fun-
damentum.

ROMANA VINEÆ DE PANNELINIS.

Mercurij 26. Februarijs 1603.

ARGVMENTVM.

De actione spolij pro releuatione indemnitatis.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio in forma Cameræ releuationis indemnitatis, & restituendi prioribus, & potioribus habet viam executiuam.*

2 *Per Commissionem Causa fit appellabilis.*
Intellige, vt num. seq.

3 *Clausula,* Si quid exequendum, *præseruat viam executiuam, & impedit effectum suspensiuum appellationis, si de Iure est locus executioni.*

4 *Admissus ad Causam non est necessariò citandus, quando ei non potest competere aliqua defensio.*

5 *Actio pro releuatione indemnitatis, competit, etiamsi molestiæ illatæ sint de facto, quando præcessit illarum intimatio.*

DECISIO CCCLXII.

FVit per Dominos resolutum, esse relaxandum
mandatum contra bona hæreditaria Do. Iacobi
Matthcucci pro summa scutorum 1400. quam
Collegium soluit Octauio Morseo, sub eius fidejus-
sione.

Fundamentum resolutionis fuit: quia eorum obli-
1 gatio est clara † de releuando indemne Collegium
ab omni molestia, & de restituendo prædictam sum-
mam scutorum 1400. prioribus, & potioribus cre-
ditoribus Dominorum de Pannolinis, ad omne
mandatum Domini: & propterea, cùm Collegium
post intimatas molestias Morsio, & Causam acerimè
defensam, coactum fuerit soluere maiorem summam
Petro Lucæ creditori anteriori, & Causa sit commis-
sa in Rota cum facultatibus A. C. ei competit via
executiua pro restitutione, contra Iacobum obliga-
tum in forma Cameræ.

Non obstat quòd à decreto ad fauorem Collegij
2 fuit appellatum, & per † Commissionem Causa fue-
rit effecta appellabilis: & propterea non est amplius
locus viæ executiuæ. Quia per istud decretum non
vulneratur obligatio Cameralis, sed illi datur exe-
cutio, & Commissio Causæ appellationis continet
3 solitam clausulam, *Si quid exequendum*, quæ † clausu-
la præseruat viam executiuam, & impedit effectum
suspensiuum appellationis, si de iure est locus execu-
tiui. Et hoc maximè secundum Dominos dicendum
est: quia postea per alias Commissiones obtentas ad
instantiam Collegij, quarum vigore actum fuit, Cau-
sa fuit commissa cùm facultatibus Auditoris Came-
ræ.

Nô obstat quòd Morsius fuit admissus ad causam,
& quod postea neque ipse, neque Collegium, fuit ci-
tatum, quando fuit factum decretum ad fauorem
4 Gradi. Quia sufficit † ad istum effectum quod Cau-
sa fuerit defensa per Collegium, & quod ei non po-
terat competere alia defensio, si fuisset citatus; vt
fuit resolutum *in Causa Romana Emphyteusis, 25. Fe-
bruarij 1579. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.*
5 Præterea, cùm præcesserit intimatio molestiarum fa-
cta Morsio ad instantiam Collegij, competit actio
pro releuatione indemnitatis, etiam quòd molestiæ
fuerint ei illatæ de facto; vt fuit resolutum *in Causa
Anconitana, Assecurationis 27. Ianuarij 1595. coram bo.
mem. Gipsio.*

ROMANA REMISSIONIS AFFICTVS.

Mercurij 5. Martij 1603.

ARGVMENTVM.

Remissio affictus in quo casu competat.

SVMMARIVM.

1 *Si fundus, vel eius pars, est totaliter perempta, fit remissio affictus pro rata.*

2 *Si res locata non perijt, sed conductor propter inundationem &c. non potuit percipere aliquam partem fructuũ; si damnum est temporale, & non perpetuum; habet locum compensatio annorum fertilium cum sterili.*

3 *Vt sit locus remissioni affictus, non sufficit probatio damni in certo tempore, sed debet probari damnum pro toto tempore locationis.*

DECISIO CCCLXIII.

DOmini dixerunt, quòd in hac materia sunt di-
1 stinguendi duo casus principales. Primus est †
quando fundus locatus, vel eius pars, est totaliter
perempta, & in hoc casu, quia conductor soluit vni-
cum pretium, habito respectu ad totam rem locatã,
& locator non potest præstare patientiam, fit remis-
sio pro rata. Et in his terminis procedunt text. *in
leg. si in venditione. §. vlt. ff. de peric. & commod. rei ven-
dic.* & maior pars auctoritatum, quæ adducuntur per
informantes: & iste non est casus noster.

Secundo casus est, quando res locata non perijt,
2 sed conductor † propter inundationem, vel alium
casum similem, non potuit percipere aliquam par-
tem fructuum: & in hoc casu, quando damnum est
temporale, & non perpetuum, licet aliqui videantur
sequi simpliciter eandem operationem, quòd fiat re-
missio pro rata; tamen Dominis magis placuit opi-
nio contraria, quòd habeat locum materia compen-

satio-

ſationis annorum fertilium cum ſterili, Caputaqu. *deciſ. 19. lib. 1. in manuſcript.* qui bene diſtinguit illos duos caſus: & in ſimilibus terminis fuit late deductum *in Cauſa Bononien. Remiſſionis mercedis coram Reu. P. D. meo Coccino*; & ex mente Doctor. bene deducit Egid. Boſſ. *in tit. de remiſ. merced. num.* 104. Et iſte eſt caſus noſter: Quia damnum contingit ſolum in herbis, & in certa parte; & propterea ſecundum Dominos non eſt locus remiſſioni mercedis: quia † non
3 ſufficit ad iſtum effectum, probatio damni in certo tempore; ſed debet probari quòd conductor fuerit paſſus damnum in toto tempore locationis; vt fuit reſolutum in hac cauſa, & ſæpius tentum in alijs.

CAMERINEN. CENSVS.

Lunæ 10. Martij 1603.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Statuta non confirmata, ſunt inualida.*

2 *In Terra Matelicæ, ob defectum confirmationis Statutorum, obſeruantur Conſtitutiones Marchiæ.*

DECISIO CCCLXIV.

Domini reſoluerunt, ratificationem cẽſus factam à Catherina eſſe inualidam, & conſequenter ſententiam A. C. eſſe confirmandam.

Mouebantur propter non adhibitas ſolemnitates Conſtitutionis Marchiæ, quæ in hoc caſu erant ſeruandæ: quia non docetur de confirmatione Statuto-
1 rum particularium Terræ Mathelicæ, ſine † qua confirmatione Statuta ſunt inualida; vt ſæpius fuit reſolutum. Et ceſſat omnis difficultas: qua datur decre-
2 tum Conſilij illius loci, quòd † Statuta reformentur, & interim obſeruentur Conſtitutiones Marchiæ. Et eo facilius Domini venerunt in hanc ſententiam, quia datur fides plurium conſanguineorum Catherinæ, quòd ipſi erant præſentes in terra Mathelicæ, quando fuit ſecuta ratificatio; & duo ex eis dicunt, quòd ipſi reclamarunt: &, ſi hoc verum eſt, neque etiam fuit obſeruata forma Statuti illius loci. Et licet ex iſta fide non reſultet probatio concludens, præſertim cùm ſint conſanguinei Catherinæ; tamen ſaltim datur magnus fumus, & pars, ſi opus erit, ſe offert probare.

ROMANA PECVNIARIA.

Veneris 14. Martij 1603.

ARGVMENTVM.

Excluditur error confeſſionis. Vide Deciſio 347.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio habens magnam concomitantiam veritatis, & iuſtificata in parte per ſcripturas, & coadiuuata per teſtes, non poteſt reijci vt erronea.*

2 *Vt confeſſio dicatur erronea, requiritur probatio concludens erroris; & ſufficit dare caſum poſſibilem in contrarium, & num. 3.*

DECISIO CCCLXV.

Quamuis materia ſecundum Dominos, ſit turbida; tamen eis viſum fuit non conſtare ita clarè & euidẽter de errore confeſſionis D. Fantini, vt tam quam erronea non ſit attendenda. Et tanto magis,
1 quia iſta † confeſſio habet magnam concomitantiam veritatis, cùm iuſtificetur quantum ad ſummam ſcutorum 725. per quietantiam Lucretiæ factam Antonio Zonello, qui hanc ſummam eius nomine recepit à Fantino; & ex depoſitione ipſius Antonij, qui deponit de facto proprio, & ſubdit, quòd reſiduum recepit Lucretia, eo præſente: & eius depoſitio eſt conformis confeſſioni Fantini, qui dicit illum fuiſſe præſentem; & coadiuuatur ex dicto alterius teſtis.

Non obſtant quæ in contrarium deducũtur: Quia
2 vt alias dictum fuit, ad iſtum † effectum requiritur probatio concludens erroris, & ſufficit dare caſum poſſibilem in contrarium, & in hoc caſu non probatur concludenter negatiua, quòd confeſſio non poſſit
3 eſſe vera: quia iſta ſunt compatibilia inter ſe, quòd † Fantinus ſoluerit ſcuta 1000. Lucretiæ de mandato fratrum de Paluzellis, & in redemptione cenſus illa ſibi retinuerit; & quod ſcuta 1000. inueſtita in cenſu fuerint ſoluta ab Alexandro ex alia ſumma ſcutorum 1385. remanente, quam ipſe habuit; & tanto magis, quia in partita banchi exprimitur, quòd Alexander recepit iſtam ſummam in pecunia numerata; & eadem die fuit initus contractus cenſus, in quo exprimitur quòd pecunia fuit ſoluta ab Alexandro. Et licet in partita enuncietur, quòd Alexander iſtam ſummam ſcutorum 1385. accepit pro reſiduo; tamen hoc non facit, quòd alia ſumma non potuerit eſſe retenta à Fantino occaſione ſolutionis præcedentis, factæ Lucretiæ de eorum mandato, & alia, quæ deducuntur, non percutiunt iſtam difficultatem; & placuerunt Dominis reſponſiones, quæ dantur per informantes.

Non obſtat quòd poſtea Alexander recepit à banco in diuerſis partitis ſummam ſcutorum 917. Quia hoc non infert ſaltim neceſſariò errorem confeſſionis: Nam cùm ex eadem partita probetur quòd Alexander receperat in contanti pro reſiduo totius ſummæ ſcuta 1385. neceſſario fatendum eſt, quòd Alexander receperat totam ſummam. Et propterea iſta quantitas ſcutorum 917. nihil commune habet cùm illo negocio, pro quo Alexander conſecutus fuerat integralem ſatisfactionem.

CORDVBEN. CAPELLANIÆ.

Lunæ 17. Martij 1603.

ARGVMENTVM.

Exceptio poſita in regula *De Triennali*, quæ requirat vt ſit ei locus.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio poſita in regula* de Triennali *non habet locum in vacatione propter dimiſſionem iuxta formam Decreti. Contrarium num. 2.*

2 *Diſpoſitio textus in* cap. 2. de præbend. in 6. *habet locum in quacunque vacatione.*

Intellige vt numero 3.

4 *Ceſſante regula, ceſſat effectus tituli præſumpti prouenientis vigore illius regulæ.*

5 *Vt Beneficium dicatur vacare in Curia, & habeat locum diſpoſitio* cap. 2. de præbend. in 6. *eſt neceſſaria præſentia illius, ex cuius perſona deducitur vacatio, in Curia,*

ria, de tempore, quo fuit factus locus Decreto.

6 *Et ista præsentia est probanda ab eo, qui fundat intentionem suam in exceptione regulæ* de Triennali.

7 *Molestiæ illata in assecutione possessionis secundi Beneficij, operantur, vt non sit factus locus Decreto.*

8 *Sed ad hunc effectum prouisus debet dare operam efficacem, vt assequatur possessionem secundi.*

9 *Paupertas excusat à prosecutione litis.*

DECISIO CCCLXVI.

PRoposui iterum idem Dubium aliás propositũ, & resolutum coram Reuerendissimo Dom. meo Pacensi. Et quamuis Dominis non placeret principale fundamentum illius decisionis, quòd regula
1 *De triennali* suffragetur Petro; quia exceptio, quæ in ea continetur, non habet locum in vacatione propter dimissionem, iuxta formam decreti: communis
2 enim opinio Doctorum est in contrarium, quod † *cap.* 1. *de præbend. in* 6. habet locum, non solum in vacatione per obitum, sed etiam in quacunque alia
3 vacatione; dummodo † persona, ex cuius persona deducitur vacatio, sit præsens in Curia tempore resignationis, vel priuationis, vel tempore, quo fit locus decreto; vel sit cõtumax ita vt habeatur pro præsente; vt hic late deducuntur informantes. Et istam opinionem sæpius secuta fuit Rota, vt per Caputaq. *decis.* 48. *lib.* 3. Guidob. *decis.* 32. Et in hoc casu, si non est locus regulæ possessio triennalis, Petri non impedit vacationem, neque potest operari aliquem effe-
4 ctum quia † cessante regula, cessat effectus tituli præsumpti, qui prouenit vigore illius regulæ.

Tamen omissis istis fundamentis, Domini concluserunt non esse recedendum à decisis. Et mouebantur
5 : quia ad illum † effectum vt beneficium dicatur vacare in Curia, & habeat locum dispositio dicti cap. 2. *de præbend. in* 6. est necessaria præsentia Petri in Curia de tempore, quo fuit factus locus decreto,
6 vt supra dictum fuit: & ista † præsentia est probanda ab Antonio, qui fundat suam intentionem in exceptione regulæ. Et propterea cùm ista præsentia non probetur, intrat regula *de triennali* ad fauorem ipsius.
7 Mouebantur etiam propter molestias illatas Petro in assecutione possessionis secundi beneficij; quæ operantur, vt non sit factus locus decreto, vt fuit latè deductum *in Causa Tirasonen. Canonicatus* 8. *Nouembris* 1596. *coram bon. mem. Orano.* Et quamuis ad illum
8 † effectum sit necessaria diligentia prouisi, & debeat dare operam efficacem, vt assequatur possessionem secundi, iuxta *cons.* Calderinus *de præbend.* sæpius canonizatum: tamen à tempore prouisionis, vsque ad annum 1586. constat de ista diligentia Petri. Et cùm de illo tempore super venerit paupertas ipsius, pro-
9 pter quam fuit admissus ad beneficium *cap. Odoardus*, videbatur Dominis esse excusandũ à prosecutione propter istam paupertatem *cap. ex ratione, de appell.*

VITERBIEN. PORCORVM.

Lunæ 17. *Martij* 1603.

Summarium datur pro Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Valoris Materia est arbitraria, & pendet multum à coniecturis, propter difficultatem probationis.*

2 *Fides valoris bestiarum, non concludit, si non probetur qualitas, & pondus earundem.*

DECISIO CCCLXVII.

DOmini tertio loco steterunt in decisis. Quia non affertur probatio concludens qualitatis, &
1 valoris porcorum. Et quamuis ista materia † valoris multùm pendeat à coniecturis, & arbitrio Iudicis, propter difficultatem probationis; vt per Bald. *in cons.* 270. *lib.* 1. Tamen fides, in quibus fit funda-
2 mentũm, non † concludunt, si non probatur qualitas, & pondus porcorum. Et cessat secundum dominos omnis difficultas: quia tres testes deponunt de valore istorum porcorum, ad rationem scutorum trium pro quolibet, & cum depositione istorum testium concurrunt plures coniecturæ multum vrgentes, quòd valor non excedebat istam summam.

Primò, quia Sidrac macellario fuerunt venditi ad rationem scutorum 2. pro quolibet.

Secundo, quia Scipio ad eandem rationem scutorum 2. vendidit nonaginta septem ex eis.

Tertio, quia petijt in libello liquidari precium ad rationem scutorum trium.

Quarto, & vltimo, quia ei fuerunt deliberati pro maiori precio.

AVXIMANA BONORVM.

Veneris 11. *Aprilis* 1603.

ARGVMENTVM.

Transactio quando dicatur inualida.

SVMMARIVM.

1 *Transactio carens insinuatione, est nulla,*

2 *Statutum comprehendens remissionem cessionem, & quietationem, comprehendit etiam transactionem.*

3 *In transactione necessariò interuenit remissio, & quietatio.*

4 *Statutum Auximanum requirit in contractibus remissionis, &c. copulatiuè Decretum Iudicis, & insinuationem.*

DECISIO CCCLXVIII.

FVit resolutum, transactionem non obstare Aure-
1 lio; Quia est nulla † propter defectum insinuationis, quam Statutum requirit vltra decretum Iudicis. Nec secundùm Dominos in hoc casu potest intrare difficultas, an Statutum comprehendat contractum tranactionis, quia est conceptum verbis am-
2 plissimis, & in specie exprimitur casus † remissionis cessionis, & quietationis: in quibus terminis Statutum sine difficultate comprehendit contractum tran
3 sactionis: quia † in ea de necessitate, interuenit remissio, & quietatio, Caputaq. *decis.* 195. *par.* 3. & fuit resolutum in *Causa Romana de Scaputcys* 15. *Iunij* 1576. *coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.*

Non obstat, quòd Iudex in interpositione decreti mandauit quòd transactio insinuaretur, quatenus opus esset, & quod haberetur pro insinuata. Quia
4 Statutum † requirit copulatiuè decretum Iudicis, & quòd cõtractus insinuetur infra decem dies in actis: & propterea cum Statutũ requirat vltra decretum, ipsum factum insinuationis in actis, nõ sufficit solum decretum. Et tanto magis, quia Statutum in hac parte re-

R

te redderetur elusorium, si sufficeret solum decretum Iudicis.

ROMANA VINEAE.

Veneris 11. Aprilis 1603.

Vide Argumentum Decisionis. 253.

SVMMARIVM.

1 *Bulla retractus præfert solum censuarios, & non transfert dominium ante solutionem precij: neque ad effectum prælationis requirit depositum, & num. 2. Secus verò quoad effectum acquisitionis fructuum, & num. 3.*

DECISIO CCCLXIX.

FVit per Dominos resolutum, Baccium non teneri ad fructus perceptos ex Vinea post litem motam: Quia D. Fabio non debentur neque rationem domi-
1 nij, cùm † Bulla Sanctæ me. Pij Quinti det solum prælationem censuarijs, & non transferat dominium ante solutionem precij: neque ratione depositi, quia non adest neque depositum reale, neque verbale in specie: quod etiam depositum verbale secundum dominos non sufficeret in hoc casu, cùm Baccius non recusauerit illud velle recipere, & in hoc placuerunt quæ dicuntur per informantes. Et Ferronius, qui allegatur in contrarium, *in consuetud. Burdegallen. in titu. de retract.* §. 22. loquitur iuxta formam illius consuetudinis; cuius termini longe discrepant ab isto casu.

Non obstat quòd Bulla non requirit depositum.
2 Quia hoc † verum est ad effectum prælationis, & in
3 his terminis procedit decisio. Sed secus est † quoad effectum acquisitionis fructuum: quia in hoc casu requiritur vel depositum verum, vel recusatio depositi verbalis, vt dictum fuit.

Non obstat quòd Baccius non tenebatur ad solutionem precij, nisi habita actuali possessione Vineæ, derogatione vitij litigiosi, & obtento consensu proprietarij. Quia ex hoc non sequitur quòd Baccius deberet habere fructus ante solutionem.

CATANEN. ANTIQVAE ILLEGITIMITATIS.

Lunæ 14. Aprilis 1603.

ARGVMENTVM.

Agitur de exceptionibus rebellionis, & inimicitiæ, contra testes.

SVMMARIVM.

1 *Rebellio non cadit in non subditum.*
2 *Inimicitia, ad effectum excludendi testem, probatur sufficienter præsumptionibus, & coniecturis.*
3 *Inimicitiæ suspicio resultat ex amicitia immoderata cum aduersario alterius.*
4 *Rebellis vt quis dicatur, est probandum, quòd de tempore rebellionis esset præsens, & interuenerit in ea; vel, quòd secutus fuerit partes rebellium.*
5 *Exceptio rebellionis non habet locum post secutam reconciliationem, & continuatam ex parte Domini, & Vassallorum. Tanto magis, si rebellio fuit generalis, & nulla suberat causa odij particularis contra testem, & numero 6.*
7 *Subministratio expensarum testi, qui longè discedit ad subijciendum se examini, non est exceptio releuans.*

DECISIO CCCLXX.

PRosequendo disputationem ceptam, fuit dubitatum, An Iacobo de Iuuenio, & Iacobo de Ferrario, examinatis pro parte Pirrucchij de anno 1530. obstet exceptio rebellionis, & inimicitiæ: Et domini censuerunt non obstare.

Mouebantur: Quia quantum ad Iacobum de Iuuenio, materia rebellionis non applicatur, quia non
1 erat de loco Nohatæ, neque † subditus Io. Thomasij. Bart. *in tit. qui sint rebelles, in versic. rebellando*, Bald. *in leg. 2. circa finem Cod. de fals. mon.* Oldrad. *cons. 43. num.*
2 8. Et inimicitia non probatur: quia † quamuis ad istum effectum sufficiant præsumptiones, & coniecturæ, vt fuit resolutum in hac Causa, Tamen in hoc casu non adsunt coniecturæ releuantes: quia si erat consanguineus Pirrucchi, & habebat interesse in Causa propter spem successionis, erat etiam consanguineus Ioan: Thomasij in eodem gradu; & propterea idem interesse habebat, si vincebat vnus, siue
3 alius. Neque probatur † amicitia ita immoderata cum Pirrucchio, ex qua resultet suspicio inimicitiæ contra Io. Thomasium, cùm quo Pirruchius litigabat Bald. *in leg. si quis num. 8. Cod. de testib.* Alex. *consil.* 78. *num. 7 lib. 1.* Cotta *dec.* 50.

Alia verò coniectura, quòd se subijcerit examini contra voluntatem Io. Thomasij in hoc casu status, non fuit à Dominis habita in aliqua consideratione; quia si ex hoc resultaret inimicitia præsumpta, per quam repellerentur testes, in istis causis non reperirentur aliqui testes idonei.

Quò verò ad Iacobum de Ferraro, considerabant Domini, quòd rebellio fuit secuta post obitum Bartholomæi contra Io: Thomasium: & iste Testis, vt ipse dicit, discesserat à Terra Nohatæ de tempore,
4 quo viuebat Bartholomæus: Et propterea † nisi probetur, quòd tempore rebellionis esset præsens, & interuenerit in rebellione; vel quòd secutus fuerit partes rebellium, non est locus huic exceptioni.
5 Secundo mouebantur: quia fuit † secuta reconciliatio de anno 1518. & per testes probatur, quòd ista reconciliatio fuit vera, & actualis, & continuata tam ex parte domini, quam ex parte vassallorum; Et ideo ista exceptio, non militabat de tempore examinis, Rom. *cons.* 186. *num.* 8. Et hoc eo magis dicendum est secundum Dominos: quia concurrit inter reconciliationem, & tempus examinis; lapsus duodecim
6 annorum; & † rebellio fuit generalis, & nulla suberat causa odij particularis contra Io: Thomasium.

Quantum vero ad inimicitiam, illa non probatur: Quia quamuis accesserit ad Vrbem cùm Pirrucchio de mense Iunij, & vsque ad tempus examinis vixerit eius expensis in eius domo, & mensa; &
7 Pirrucchius non procurauerit, quòd examinaretur incontinenti; tamen multum conueniens erat quòd cùm accesserit ad Vrbem ad illum effectum se subijciendi examini, donec examinabatur, ei subministrarentur expensæ à Pirrucchio.

ROMANA ALIMENTORVM.

Lunæ 14. Aprilis 1603.

ARGVMENTVM.

Alimenta relicta in domo, quando debeantur extra domum.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Alimenta relicta in domo, regulariter non debentur extra domum: Nisi concurrat aliqua iusta causa habitandi extra domum, & num. 2.*

3 *Alimenta relicta in domo, quando sint subministranda extra domum, pendet ab arbitrio Iudicis.*

4 *Diuisio subsecuta cum hæredibus, est causa sufficiens, vt legatarius habitare nequeat cum eis. Item ætas, & infirmitas, egentes continua seruitute, & num. 5.*

DECISIO CCCLXXI.

DOmini quantum ad primam partem Dubij resoluerunt D. Septimiæ deberi alimenta extra
1 domum. Quia licet regula sit contra eam, quòd † alimenta relicta in domo, non debentur extra domum, Bart. *in leg. Caio, §. Imperator, ff. de alim. & cib. leg.* ta-
2 men † ista regula non habet locum, quando concurrit aliqua iusta causa habitandi extra domum, Alexand. *cons.* 100. *num.* 2. *lib.* 1. & fuit aliàs resolutum *in Causa Spoletana Alimentorum* 24. *Maij* 1594. *coram bon. memo. Gipsio, & in Causa Fulginaten. de Iacobillis coram R. P. D. Litta.* Et cùm ista materia † pen-
3 deat ab arbitrio Iudicis, Paul. de Castr. *cons.* 415. *col. vltim. lib.* 2. existimabant Domini in hoc casu adesse causas satis sufficientes: Tùm quia non potest habitare simul cùm hæredibus, prout considerauit Testa-
4 tor, propter † diuisionem inter eos secutam: tum
5 etiam quia ipsa propter † ætatem, & infirmitatem eget continua seruitute, & quiete, quam non ita facile potest habere habitando cùm Hieronymo, qui habet matrem, vxorem, & filios: & tantò magis cum litigauerit cùm eo.

Quantum ad quantitatem, Domini habita consideratione; tam ad quantitatem patrimonij, quam ad dispositionem Testatoris, & indigentiam ipsius, illa taxarunt ad rationem, scutorum 10. auri quolibet mense.

ROMANA DE RVSCONIBVS.

Veneris 18. *Aprilis* 1603.

ARGVMENTVM.

Augmentum dotis quomodo probetur.

SVMMARIVM.

1 *Afferens augmentum dotis esse factum ex bonis suis proprijs, debet hanc qualitatem probare clarè, & concludenter.*

2 *Fratres non tenentur dotare sorores, nisi tanquam hæredes patris.*

3 *Soror, de iure communi, habet partem pro sua rata in bonis paternis.*

DECISIO CCCLXXII.

DOmini resoluerunt, sententiam esse iustam: Quia Rusconi sunt actores, & fundant intentionem suam in eo, quòd augmentum dotis datum
1 Liuiæ prouenerit ex eorum bonis proprijs; & ideo † tenentur probare clarè, & concludenter istam qualitatem, quæ concernit fundamentum suæ intentionis, quòd ipsi dederint, hoc augmentum, de bonis proprijs, Achil. *decis.* 1. *de prob.* Probatio autem certa, & necessario concludens, secundum Dominos, non adest. Præsumptiones verò, in quibus se fundant, sunt æquiuocæ, & saltim non sunt adeo concludentes, & releuantes, vt ex illis resultet plena probatio. Et tanto magis, quia si agendum est præsumptionibus, in contrarium concurrunt aliæ præsumptiones, ex quibus eliduntur istæ præsumptiones, quæ alle-
2 gantur per Ruscònos: ipsi † enim non tenebantur in hoc casu dotare sorores, nisi tam quam hæredes patris, Ruin. *cons.* 200. *num.* 4. *lib.* 1. Et propterea redditur multum verisimile, quòd noluerint dotare de bonis proprijs: Et ista inuerisimilitudo coadiuuatur: quia huiusmodi augmentum fuit solutum, ex precio census impositi super vinea paterna, in qua
3 Liuia † de iure communi pro sua rata habuisset partem.

Non obstat, quòd Bartholomæus administrabat. Quia hoc controuertitur; &, si verum esset, non releuaret: quia ex hoc non sequitur necessariò, quòd Rusconi se obligauerint soluere de bonis proprijs, & non de bonis hæreditarijs; præsertim concurrente necessitate dotandi, & accedente consensu, & obligatione ipsius Bartholomæi, qui pro hac summa voluit releuationem ab eis.

Non obstat, quòd hæreditas paterna erat multo ære alieno grauata, & quòd portio Liuiæ non ascendebat ad tantam summam. Quia hoc non iustificatur. Aut enim iustificatio deducitur ex inuentario; & iam fuit resolutum coram R. P. D. meo Sacrato, quòd propter defectus, quos patitur, ex eo non probatur non adesse alia bona, præter illa, quæ sunt in eo descripta ad fauorem hæredum agentium, & fundantium intentionem suam in hoc capite, quòd hæreditas nō sit soluendo, quamuis suffragetur ad effectum vt hæredes non teneantur vltra vires.

Hæreditas autem deducitur ex calculo, & iste calculus non iustificatur: & ideo Domini sine difficultate fuerunt concordes pro iustitia, & confirmatione sententiæ.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE BONADIES.

Lunæ 21. *Aprilis* 1603.

ARGVMENTVM.

Filiorum appellatione quando veniant nepotes. Filij filiorum positi in conditione, an censeantur vocati ad fideicommissum.

SVMMARIVM.

1 *Quando ab ascendente vocantur filij nati, & nascituri, regulariter censentur etiam vocati nepotes, propter dispositionem collatam in futurum euentum.*

2 *Limita, vt non procedat quando non vocantur filij simpliciter, & indefinitè, sed vocantur restrictiuè filij nati, & nascituri ex legitimo matrimonio hæredis grauati.*

Item, quando agitur de inducendo odio, & grauamine respectu ipsorum filiorum, & num. 8. *&* 10.

3 *Qualitas natiuitatis ex legitimo matrimonio filiæ, non adaptatur nepotibus.*

4 *Materia vocationis ad fideicommissum, pendet à verisimili mente testatoris, & coniecturis; de quibus num.* 9.

5 *Testator ponens in conditione, ad exclusionem substituti, non solum filios, sed etiam nominatim filios filiorum hæredis grauati, censetur intellexisse solum de filijs primi gradus grauati, & num.* 7.

10 *Dictio alternatiua, Seu, ponitur inter diuersa, & stat augmentatiuè.*

11 *Filij filiorum positi in consideratione censentur vocati, ex Statuto Vrbis.*

12 *Glossæ opinio* in leg. Lucius, ff. de hæred. inst. *quòd filij positi in conditione non censeantur vocati, non habet locum, quando concurrunt in contrarium coniecturæ verisimilis mentis testatoris. De quibus num. 13. 14. & 15.*

16 *In materia substitutionis non fit extensio.*

17 *Pro exclusione fideicommissi sufficit dicere: Substitutio non loquitur in hoc casu.*

18 *Verba,* Et quatenus non extarent filij masculi (*heredis*) seu filij filiorum ipsius, *non inducunt vocationem separatam, grauando filios primi heredis onere fideicommissi ad fauorem nepotum: sed dant ordinem, & prælationem inter eos, ad effectum excludendi substitutum in casu obitus heredum.*

19 *Nepotes positi in conditione cum filijs disiunctiuè per alternatiuam* Seu, *non copulatiuè, sunt solum vocati per vulgarem, & sic filij non sunt grauati restituere nepotibus.*

20 *Ex eo quòd sint grauati filij testatoris, non sequitur quòd sint grauati filij filiorum.*

DECISIO CCCLXXIII.

IO: Baptista Bonadies in suo Testamento hæredes instituit quatuor filias feminas, Bernardinam vxorem Pauli de Quinque senioris, & tres alias filias moniales, æquis portionibus: & eas inuicem substituit. Postea addidit nouam, & diuersam substitutionem in clausula separata per hæc verba: *Item voluit, & ordinauit, quod post mortem omnium prædictarum quatuor heredum, in bonis, & hereditate prædicta succedant, & succedere debeant filij masculi, tàm nati quàm nascituri, ex legitimo matrimonio prædictæ Bernardinæ, & non aliter, nec alio modo. Et quatenus non extarent aliqui filij masculi dictæ Bernardinæ, seu filij filiorum eiusdem Bernardinæ; quòd tunc, & eo casu succedant in dictis bonis, & hereditate prædicta proximior in gradu de domo ipsius testatoris; cum hoc, quòd ille proximior substitutus debeat se nominari facere de Domo, & familia de Bonadies, & vti armis ipsius testatoris. Et in euentum quod talis proximior nollet nominari de dicta domo de Bonadies, quod in tali casu succedat alter proximior masculus, cum conditione supradicta.*

Mortuæ sunt primo loco Moniales, & deinde Bernardina, superstitibus tribus filijs masculis. Et quia Laurentius, vnus ex filijs Bernardinæ, contraxit magnum æs alienum, orta est controuersia inter creditores ipsius ex vna, & filios Laurentij, nepotes Bernardinæ, qui volebant excludere creditores sub prætextu quòd ipsi essent vocati, ex propria persona ad fideicommissum à Io: Baptista. Et propterea proposui Dubium in hac Causa, An filij filiorum Bernardinæ in hac clausula, possint dici vocati ad supradictũ fideicommissum. Cuius Dubij resolutio potissimum pendet ex duplici inspectione. Prima est, An in prima parte, in qua vocantur dispositiuè filij Bernardinæ, appellatione filiorum veniant nepotes. Altera est, An saltim in illis verbis in quibus filij filiorum sunt positi in conditione, dicantur vocati ad fideicommissum.

Quantum ad primam difficultatem, Domini fuerunt concordes, quòd in prima substitutione nepotes non veniant appellationem filiorum.

Mouebantur: Quia licèt vocentur filij nati, & na-
1 sciturj ab ascendente, in quo casu † regulariter propter dispositionem collatam in futurum euentum, censentur etiam vocati nepotes; vt per Imol. Alexander, Soccin. Ias. & alios *in leg. Gallus, §. instituens, ff. de lib. & posth.* & fuit alias resolutum in Rota *in Causis Calaguritana Bonorum, & Vrbeuetana Castrorum.* Tamen hoc non procedit in hoc casu, in quo non vocantur filij simpliciter, & indefinitè; sed vocantur re-
2 strictiuè, & limitatè filij nati, & nascituri ex legitimo matrimonio prædictæ Bernardinæ: quæ verba non conueniunt nepotibus, qui non possunt dici nati, ex matrimonio Bernardinæ, sed ex alio diuerso matrimonio. Et propterea, cùm expressio filiorum sit restricta ad filios ex legitimo matrimonio Bernardinę, & illa qualitas non sit adaptabilis nepotibus, appellatione filiorum, non veniunt nepotes, vt per Gabr. *de verbor. signific. concl. 1. num. 6.* Et in his terminis late deducit Rimin. Iunior *cons. 173, lib. 2.*

Et quamuis sit magna quæstio inter Doctores: Quando testator vocat filios suos, aut ex se, vel ex suo corpore natos, an censeantur etiam vocati nepotes ex filijs; de qua fuit late actum *in Causa Bononien. fideicommissi de Felicinus 18. Februarij 1591. coram Reuerendissimo D. meo Patriarcha Alexandrino.* Tamen in hoc casu cessat ista difficultas; quia vocantur filij Bernardinæ, adiecta hac qualitate, *ex legitimo eius*
3 *matrimonio;* quæ † non adaptatur nepotibus: & esset superflua, si testator voluisset compræhendere nepotes, Put. *dec. 263. num. 2. & 3. lib. 2.*

Mouebantur etiam Domini ex verisimili mente
4 Testatoris, à qua † pendet tota ista materia; vt per Corn. *cons. 199. lib. 2.* Testator enim incontinenti posuit in conditione, ad exclusionem substituti, non solum filios, sed etiam nominatim filios filiorum
5 Bernardinæ: & ista † specialis distinctio facta in continenti inter filios, & filios filiorum Bernardinæ, non potuit prouenire ex alio, quàm ex eo, quòd testator vocando filios, intellexerat solum de filijs primi gradus Bernardinæ, iuxta propriam verborum significationem, & communem vsum loquendi, & non cogitauit, quòd appellatione filiorum venirent filij filiorum, iuxta interpret. leg. Otho Nicolin. inter cons. Soccin. *cons. 152. num. 4. lib. 1.* Soccin. *cons. 73. num. 21. vol. 4.* Gozzad. *cons. 29. num. 18.* Ruin. *cons. 131. num. 4. lib. 2.* Curt. Iun. *cons. 111. sub num. 7.* Gabr. *dict. conclus. 1. num. 82. & 93.* Et hoc eo magis dicendum est; quia in hac parte inter filios, & filios filiorum Bernardi-
6 næ, est apposita dictio alternatiua, *seu*, quæ † ponitur inter diuersa; & stat augmentatiuè; & ideo non retineret naturam suam; & fuisset adiecta frustatoriè, & sine effectu operandi, si testator intellexisset, quòd in prima substitutione appellatione filiorum
7 † debebant venire nepotes: quia in hoc casu non fuisset necessarium ponere expresse in conditione ad exclusionem substituti, filios filiorum, vt in proprijs terminis illorum verborum *filij, seu filij filiorum* ponderando hanc dictionem, bene deducit Tib. Decian. *cons. 94. num. 5. lib. 5.* post Cornel. *cons. 304. numer. 16. lib. 3.*

Tertio, & vltimo mouebantur, Quia substitutio habuit effectum in filios Bernardinæ; & agitur de inducendo fideicommissum ad fauorem nepotum, &

odio, & grauamine respectu ipsorum filiorum; quia
quæstio est, An ipsi Filij Bernardinæ censeantur gra-
uati per fideicommissum restituere nepotibus:& pro
8 pterea † intrat etiam in hoc casu alia limitatio,quòd
appellatione filiorum non veniunt nepotes, Bartol.
in leg. liberorum num.6.ff.de verbor.significat. Dec. *cons.*
95.lib.1. & inter recentiores late deducunt Roland.
à Valle *cons.43.num.23.lib.4.* & Riminal. *cons.358.*
num.220.cum seqq.lib.4. Et hanc limitationem Ro-
ta alias amplexa fuit ad exclusionem fideicommissi
contra nepotes, *in Causa Tudertina de Corradis.*

Non obstat quòd in hoc casu filiorum appellatio-
ne veniunt nepotes, propter coniecturas verisimiles
9 mentis Testatoris, quæ † deducitur ex digressione
ad plures gradus substitutionum; ex vocatione re-
motioris, & ex ratione, qua motus fuit testator, vt
10 bona conseruarentur in sua agnatione. Quia licet †
vocentur plures gradus;tamen vocantur subordina-
tim, vnus in defectum alterius ad successionem vlti-
mæ filiæ testatoris: voluit enim Testator solum pro-
uidere vt succedente obitu vltimæ filiæ, si deficiebãt
primo vocati, possent succedere sequentes: & sic in
effectu in hoc testamento, vnica tantum continetur
substitutio facta vltimæ filiæ decedenti, quæ expira-
bat per successionem primi gradus. Et propterea,
cùm vnus gradus, non sit grauatus onere fideicom-
missi ad restituendum alteri; & solùm substitutio de
beat habere effectum post obitum vltimæ filiæ; non
adsunt isti gradus substitutionum diuersi, cùm vnus
substitutus non debeat succedere alteri, & necessa-
rio fatendum est,quòd Testator non curauit, vt fidei
commissum progrederetur, vlterius in fauorem re-
motioris post admissionem anterioris vocati: neque
habuit rationem ad conseruationem bonorum in fa-
milia,nisi limitatè, in illo casu, ad quem est restricta
substitutio. Præterea,cessant in hoc casu omnes con-
iecturæ: quia dispositio Testatoris, est restricta per
verba,quæ non possunt adaptari alijs, quàm filijs pri
mi gradus;& agitur de grauamine ipsorum filiorum,
vt bene deducitur *in dicta decisione Tudert.de Corradis.*

Circa secundam difficultatem, Domini non dubi-
11 tabant,quòd filij filiorum non sint vocati:quia † sunt
expresse positi in conditione; & propterea censentur
vocati vigore Statuti. Et hoc ipsum, etiam sentie-
12 bant, circumscripto Statuto: quia † opinio glos. *in*
leg.Lucius,ff.de hered. instit. non habet locum quando
concurrunt in contrarium coniecturæ verisimilis mẽ-
tis testatoris:quæ in hoc casu, secundum Dominos,
13 videntur adesse. Primò,quia † sunt positi in condi-
14 tione descendentes ab ascendente. Secundo, quia †
vocatur proximior, quatenus non extent filij filio-
rum:& ideo multum verisimile est quod Testator in
tellexerit illos prius vocare, Soccin.Iunior *cons.158.*
num.59.lib.2. Tertio,& vltimo,hoc Domini dedu-
15 cebant † ex exclusione fœminarum ad fauorem ma
sculorum, & ex vocatione proximioris, cùm onere
assumendi cognomen, & arma de Bonadies.

Sed maior difficultas fuit, An filij filiorum fuerint
solum vocati ordine successiuo per viam vulgaris, si
filij Bernardinæ non successissent in hæreditate; vel
etiam per fideicommissum fuerint substituti filijs ip-
sius Bernardinæ, posteaquam successerunt in hære-
ditate Testatoris. Et Causa sæpius proposita, tan-
dem hac die Domini censuerunt, filios filiorum non
fuisse vocatos ad successionem filiorum Bernardinæ,
sed solum per viam vulgaris, si filij Bernardinæ non
extitissent,vel noluissent succedere, succedente obi-
tu vltimæ filiæ hæredis institutæ;& propterea per eo-
rum existentiam, & successionem, fideicommissum
expirasse.

Mouebantur: quia nepotes Bernardinæ non sunt
vocati ad successionem eius filiorum, sed in eadem
clausula simul cùm filijs Bernardinæ sunt positi in
conditione ad exclusionem substituti; & vocati ad
successionem vltimæ filiæ testatoris; & propterea
non possunt dici vocati ad successionem filiorum ip-
16 sius Bernardinæ;quia † in hac materia non fit exten-
sio. Aret. *in leg.Gallus,§.& quid si tantum,ff.de lib.&*
17 *posthu.* Et sufficit dicere † pro exclusione fideicom-
missi, quòd in hoc casu non loquitur substitutio. Io:
Andr. *in addit. ad Specul. in tit.de testam. §.1.vers.occur-*
18 *rit.* Et hoc eo magis dicendum est: quia † illa ver-
ba, *Et quatenus non extarent filij masculi Bernardinæ, seu*
filij filiorum ipsius Bernardinæ, non sunt posita ad effe-
ctum inducendi separatam vocationem; grauando
filios Bernardinæ onere fideicommissi ad fauorem
nepotum; sed ad effectum dandi ordinem, & præla-
tionem inter eos, & excludendi substitutum in eo-
dem casu obitus vltimæ filiæ.

Mouebantur etiam Domini:quia nepotes non sũt
positi in conditione copulatiuè cùm filijs sed disiun-
19 ctiuè per dictionem *seu*, & propterea † sunt solum
vocati per vulgarem, & consequenter non sunt gra-
uati restituere nepotibus: quia sufficit, quod prima
pars alternatiuæ fuerit verificata in ipsis filijs; vt in
his terminis tradunt Soccin. *cons.113.num.7.volu.5.*
Soccin.Iun. *cons.100.num.33.& 34.lib.3.* Alciat. *cons.*
83.num.3.& cons.89.num.5.lib.9. Peregr. *de fideicom-*
miss. art.18.num.24.

Non obstant coniecturæ, quæ deducuntur in con-
trarium. Quia omnia inferunt ad vocationem nepo-
tum in casum mortis Bernardinæ, quæ non contro-
uertitur: sed non inferunt ad vocationem separatam
nepotum in casu obitus filiorum ipsius Bernardinæ,
postea quam adiuerant eius hæreditatem. Et in hoc
casu coniecturæ militant in contrarium: quia testa-
tor restrinxit dispositionem suam, ad vnum casum
tantum, & non intellexit facere fideicommissum per-
petuum in fauorem agnationis, vt dictum fuit.

Non obstat, quòd propriæ filiæ testatoris sint gra
20 uatæ. Quia † ex hoc non sequitur quòd sint graua-
ti filij filiorum, quibus non legitur, hoc onus imposi-
tum: & si hoc argumentum valeret, omnia fideicom
missa progrederentur in infinitum.

FERRARIEN. BONORVM, SEV PALATII.

Lunæ 21. Aprilis 1603.

ARGVMENTVM.

Agitur de probatione dominij Ecclesiæ in emphy-
teusi;& de probanda identitate bonorum.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum antiquissimum, licet non sit in forma pro-*
banti, facit fidem, non obstante defectu solemnitatum;
quando docetur de eius obseruantia.

2 *Obseruantia Instrumenti deducitur ex pluribus; vt num.*
3.4.& 5.

5 *Diuersitas in solutione liuelli non tollit obseruantiam quantum ad possessionem.*

7 *Obseruantia, secundum aliquos, operatur, vt Instrumento detur fides; non autem, vt probet contra tertium.*

Contrarium est verius, num. 8.

9 *In probatione dominij antiquissimi sufficiunt inuestituræ, concurrentibus adminiculis, & præsumptionibus. Secus, si dominium non sit antiquum, & num. 10.*

11 *Coniectura, & præsumptiones nonnullæ recensentur, adminiculantes inuestituram antiquam, & numer. 12. 13. 15. 16. 17.*

14 *Possessio continuata de vno in alium, probata per plura Instrumenta à diuersis Notarijs, diuersis temporibus, & inter diuersas personas confecta, probat clarè ius & dominium directum.*

18 *Verba*, Aedificia quæcunque comprehendunt etiam *Palatia.*

19 *Negatiua, quòd non sit facta solutio, non probatur concludenter ex eo quòd non docetur de solutione.*

20 *Coniectura non solutionis liuelli non excludit dominium probatum sufficienter ex pluribus instrumentis, & coniecturis.*

21 *Identitas bonorum probatur sufficienter per duas demonstrationes. Præsertim, si iuxta confines expressos non verificatur aliud bonum stabile, in quo possit verificari inuestitura, & num. 22.*

23 *Identitas probatur etiam ex continuata successione de vno in alium; necnon ex depositione testium de auditu, & num. 24.*

DECISIO CCCLXXIV.

PRoposui iterum idem Dubium alias propositum, & non resolutum, An constaret de dominio Ecclesiæ. Et Domini distinxerunt materiam in tres difficultates principales.

Prima difficultas fuit, An ad istum effectum probationis dominij, sit habenda ratio concessionis in emphyteusim factæ ab Abbate, & Conuentu, Miliadutio de anno 1451. cum reseruatione directi dominij.

Secunda fuit, An probetur sufficienter dominium Ecclesiæ.

Tertia, & vltima difficultas fuit, An probetur identitas.

Quantum ad primam difficultatem, Domini firmarunt, istud instrumentum suffragari Ecclesiæ, ad
1 effectum probationis dominij. Mouebantur. Quia † licèt istud instrumentum solum de per se, non fuerit iudicatum in forma probanti, tamen hodie docetur, de eius obseruantia, quæ operatur, vt instrumentum faciat fidem, non obstante defectu solemnitatum, Cin. inter *consil.* Bald. *consil.* 401. & idem Bald. *in consil.* 402. *lib.* 5. Aim. *cons.* 101. & sæpius fuit resolutum.

Obseruantia autem, secundum Dominos, est clara, & nò recipit aliquam probabilem dubitationem.
2 Quia † in inuestitura facta à Bonsignoribus de anno 1501. refertur tenor illius instrumenti, & dies, & annus, & nomen Notarij, & personarũ, inter quas fuit initum; & in eo exprimitur, quòd omnia bona in eo contenta fuerunt possessa vigore illius inuestituræ à Miliadutio, & post eius mortem à Scipione eius filio: & propterea non potest dubitari, quod ista inuestitura, quamuis sit facta tertio, saltim non faciat magnum adminiculum veritatis, & obseruantiæ illius instrumenti.

Secundo loco obseruantia, & effectuatio illius inuestituræ desumitur ex alio instrumento, de eodem
3 anno 1501. in quo continetur, quòd † Meliadutius, filij, & fratres Scipionis, & nepotes Miliadutij primi, inuestiti erant debitores pro liuellis Monasteroli nõ solutis in certa summa; & quod pro satisfactione assignabant Monasterio vnam possessionem.

Tertiò, & vltimò, obseruantia redditur clarissima:
4 quia † de anno 1502. idem Miliadutius permutauit Palatium, & alia bona Monasteroli cum Duce Hercule, faciendo in instrumento expressam mentionem, quòd illa habuerat iure liuelli affictus perpetui; ab Ecclesia Sancti Bartholi, sub annua recognitione, quatuor librarum ceræ. Et illa permutatio habuit effectum: quia de anno 1508. Dux Alphonsus filius Herculis cum simili assertione illa donauit Euangelistæ Readino; qui de eodem anno obtinuit nouam inuestituram ab Abbate, & soluit capisoldum. Et illa donatio similiter habuit effectũ; quia de anno 1526, post mortem Euangelistæ, ista bona fuerunt diuisa inter filios, qui de anno 1529. illa permutarunt cum Duce Alphonso: Et propterea cum post acceptam inuestituram à Miliadutio, bona in ea contenta fue-
5 rint possessa † vigore inuestituræ ab ipso Miliadutio, & filijs, & nepotibus, qui illa permutarunt, non potest negari quod inuestitura facta Miliadutio, non fuerit vera, & obseruata, iuxta cons. Oldrad. 229. sæpius canonizatum.

Non obstat quòd liuellus, qui enunciatur in instrumento de anno 1451. non correspondet liuello, qui enunciatur in alijs instrumentis. Quia hoc potuit euenire ex eo, quòd obligatio fuerit alterata cum consensu Monasterij; & hoc redditur multum verisimile, quia ista bona transiuerant in manibus Ducum
6 Ferrariæ, & plurium personarum. Præterea † ista diuersitas in solutione liuelli, non tollit obseruãtiam quantum ad possessionem habitam à Monasterio in vim inuestituræ habitæ à Miliadutio: quia, vt dictũ fuit, probatur clare possessio ipsius Miliadutij, filiorum, & nepotum, & Ducis Alphonsi, qui habuit causam ab eis; & causa ipsius possessionis, eo quia habuerant ab Abbatia in affictum cum responsione liuelli.

Non obstat, quòd obseruantia operatur solum
7 istum effectum, quòd instrumento † detur fides, non autem vt probet contra tertium. Quia *in Causa Romana Census coram bon. mem. D. de Rubeis*, quæ allega-
8 tur, illa fuit opinio aliquorum, contra quam † opinionem fuit capta resolutio; & sic decisio concludit pro hac opinione, quòd obseruãtia det fidem, etiam contra tertium. Et nulla ratio suadet, secundum Dominos, quòd si obseruantia probat veritatem contentorum in instrumento, non debeat probare ad quemcunque effectum, & inter quascunque personas.

Quantum ad secundam difficultatem, Domini censuerunt, probari dominium Ecclesiæ.

Fundamentum potissimũ huius resolutionis fuit: quia versamur in probationem dominij antiquissi-
9 mi, in † quo casu sufficit probatio per inuestituram concurrentibus adminiculis, & præsumptionibus; vt fuit latè deductum coram me *in Causa Papiensi Bonorum, & in alia Ferrariensi Bonorum*: alias enim actum

esset

esset de probatione dominij, in materia antiqua, si non admitteretur ista probatio per inuestituram sufficienter adminiculatam. Et quamuis in contrarium allegentur per informantes pro Serenissimo Duce, Decisio Verall. 280. *par.* 1. & aliæ Decisiones factæ in Rota in his terminis *in Causa Romana Domus Sancti Angeli, & in alia Romana Domus coram me*; tamen illæ
10 procedunt † iuxta distinctionem aliàs factam in *Sabinen. Tenutæ Colli Rampoli coram R. P. D. Lettas*, quando materia non est antiqua: in quo casu probatio non est ita difficilis; & ideo requiruntur fortiores, & efficaciores probationes.

Videbatur autem Dominis in hoc casu inuestituram de anno 1551. factam Miliadutio esse sufficienter adminiculatam ex pluribus coniecturis, & præsumptionibus multum vrgentibus. Et primò moue-
11 bātur ex † alia locatione præcedēti de anno 1443. de hoc palatio, tanquam de dominio Abbatiæ: quæ licet sit temporalis, & non probetur effectuata, tamen multum confert ad probationem dominij: quia saltim simul cum altera posteriori habet vim famæ, & in antiquis probat dominium Ecclesiæ, Bald. Salic. & alij *in leg. cùm aliquis, Cod. de iur. delib.* Soccin. *consil.* 266. *num.* 2. *lib.* 2. Cassad. *dec.* 1. *de probat.* Achil. *decis.*
12 3. *de iure patron.* Et tanto magis, quia concurrit † alia inuestitura posterior facta de anno 1508. Euangelistæ Roadino, qui non obstante donatione Ducis Alphonsi, voluit obtinere nouam inuestituram ab Abbate, cùm promissione solutionis vigesimæ; quæ res arguit, quòd Euangelista timebat molestias à Monasterio propter alienationem factam eo irrequisito, & non credebat esse tutus solo titulo Ducis: & iste timor non poterat prouenire ex alio, nisi quia dominium erat Monasterij.

Secundo mouebantur ex duobus instrumentis de
13 anno 1501. in quorum altero † enunciatur assignatio vnius possessionis facta Monasterio in satisfactionem liuellorum: in alio vero continetur, quod dubitabatur quod bona essent deuoluta Monasterio, propter non solutionem canonum, & propter alienationem factam irrequisito domino; & propterea fuit acceptata noua inuestitura.

Tertio mouebātur ex tota serie facti: quia verum vero consonat. Fuit enim inuestitus de istis bonis Miliadutius, & ab eo, & filijs, & nepotibus possessa; à quibus peruenerunt vigore permutationis in Du-
14 cem Herculem; à Duce Hercule in Euangelistam Roadinum, qui soluit capisoldum Monasterio; & à Roadinis iterum in familiam Estensem, quæ hodie illa possidet. Et ista possessio ita continuata de vno in alium, quæ probatur per tot instrumenta confecta à diuersis Notarijs, in diuersis temporibus, & inter diuersas personas, quarum multū intererat quòd istud Palatium, & alia bona in eis contenta, essent libera, cum specifica mentione iurium Monasterij, & obligatione soluendi liuellos, ostendit clarius & dominium Ecclesiæ.

Quarto, & vltimo mouebantur ex aliquibus præ-
15 sumptionibus. Et primò: quia plura † ex istis instrumentis; fuerunt inita sine interuentu Abbatiæ inter personas, quæ verisimiliter sine aliqua necessitate, non expressissent in eis ius Monasterij, saltim sine aliqua cautela, & limitatione, si fuisset dubitatum de
16 dominio Monasterij. Secundò: quia † palatium est positum inter alia bona Abbatiæ. Tertiò, & vltimo:
17 quia † hodie reperitur penes Serenissimum Ducem, nec docetur de aliquo alio titulo.

Non obstat quòd in instrumento diuisionis de anno 1526. & in instrumento permutationis factæ inter Ducem Alphonsum, & Roadinos, non continetur palatium. Quia licet in istis instrumentis non sit facta explicita mentio de Palatio; tamen in primo instrumento continentur domus, & in secundo instrumento transferuntur in Ducem Alphonsum, *ædificia*
18 *quæcumque*; quæ verba † sunt apta comprehendere, etiam palatium. Et hoc comprobatur ex obseruantia subsequuta: quia Roadini, quibus fuit facta concessio palatij in specie, non reperiuntur amplius possidere aliquod palatium, in fundo Monasteroli; signum euidens quod in permutatione fuit trāslatum in Ducem Alphonsum auctorem Serenissimi Ducis, qui hodie possidet palatium in fundo Monasteroli: & plures testes deponunt de auditu, quod palatium à Roadinis peruenit in familiam Estensem.

Non obstat, quod non constat de solutione liuelli
19 per spatium multorum annorum. Quia † non probatur concludenter ista negatiua, quod non fuerit solutus liuellus ex eo, quòd non docetur de solutione: potest enim esse, quod deficiat probatio, præsertim in materia tam antiqua, & concurrente mutatione Commendatariorum, licet liuellus fuerit solutus. Et tanto magis, quia si liuellus fuit solutus, quietantiæ sunt penes soluentes, & non penes commendata-
20 rios. Præterea, ista † coniectura non excludit dominium Ecclesiæ sufficienter probatum, ex tot instrumentis, & coniecturis: & tanto magis, quia licet non ostendantur antiquiores solutiones pro parte Monasterij tamen multum verisimile est, quòd fuerit cessatum in solutione, posteaquam fuit cœptum controuerti dominium Ecclesiæ.

Quātum ad tertiam difficultatem, Domini etiam concluserunt probari identitatem. Quia in inuestitura de anno 1451. exprimitur; quòd palatium est in fundo Monasteroli; & dantur pro confinibus ager Padi ex vna parte, & ex alia parte via, qua itur ad Ecclesiam: & istæ tres demonstrationes hodie con-
21 ueniunt: & notissimum est † identitatem probari per duas demonstrationes, Bartol. *in leg. demonstratio falsa, quæst.* 7. *ff. de cond. & demonstr.* Alex. *cons.* 35. *num.* 3. *lib.* 5. Rui. *cons.* 115. *lib.* 9. Et tanto magis; si verum est id, quod dicitur per informantes pro Mona-
22 sterio, quòd † in isto fundo Monasteroli iuxta confines expressos in inuestitura, non ostendatur aliud palatium, antiquum, in quo possit verificari inuestitura; vt fuit late deductum *in Causa Romana Domus de Amatorijs coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto de anno* 1587. Et cessant secūdum Dominos omnes difficultates, cùm concurrat illa continuata successio de vno in alium, tanquam de dominio Monasterij, ex
23 † qua probatur identitas. Natta *consilio* 235. *nu-*
24 *mero* 17. & † depositio testium de auditu, quòd istud palatium est illud, quod fuit possessum à Roadinis, Silua *cons.* 57. *num.* 6.

THEATINA ABBATIAE.

Lunæ 28. Aprilis 1603.

ARGVMENTVM.

Excluditur probatio Iurispatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Quando Iuspatronatus prætenditur à domino loci, tunc cadit suspicio vsurpationis.*

2 *Sententiæ modernæ, & sine processu, non probant Iuspatronatus; neque præsentatio, quæ non probetur effectuata, & num. 3.*

4 *Coniectura, ex quibus excluditur Iuspatronatus, & augetur suspicio vsurpationis, & num. 5.*

DECISIO CCCLXXV.

DOmini concluserunt pro informante, non con-
1 stare de iurepatronatus. Quia cùm † prętenda-
tur iuspatronatus à Barone loci, in quo est sita ista
Abbatia, in hoc casu cadit timor, & suspicio vsurpa-
tionis; & propterea est necessaria illa probatio, quā
sācta Synodus in talibus personis requirit pro forma:
2 & ista probatio non adest: quia sententiæ sunt † mo-
dernæ, & sine processu, & ideo non potest videri in
3 quo sint fundatæ, & an iustificentur ex actis: & † prę-
sentatio de anno 1578. non probatur per scripturas,
nec docetur de illius effectuatione. Bulla vero Pij IV.
solum pręsupponit existentiam iurispatronatus, &
cùm isto pręsupposito illud pręseruat eiusdem robo-
ris, efficaciæ, & naturæ, cuius erat antiquum. Vltra
quod, si opus esset, intraret reuocatio Sacri Concilij,
quod postea fuit publicatum.

Et hoc eo magis dicendum est secundum Domi-
nos; quia in contrarium plura concurrunt, ex quibus
excluditur iuspatronatus, & augetur suspicio vsur-
4 pationis. Nam † testes deponunt, quod fuit lis inter
prouisos à Sede Apostolica, & Barones, & præsenta-
tos ab eis, & quòd prouisi à Sede Apostolica habue-
runt possessionem vigore sententiarum, reiectis præ-
sentatis à patronis.

5 Secundò; quia † datur relatio Locum tenentis Ca-
pellani maioris, facta Proregi Neapolis de anno
1576. in qua continetur, quòd prouisus Apostoli-
cus obtinuerat quatuor sententias Rotales canoni-
zatorias suæ prouisionis, & illarum vigore, executo-
riales, quæ fuerant mandatæ exequi à Prorege; pro-
ut cum effectu fuerant executæ. Et ista relatio est
apud Dominos magni ponderis, propter tot senten-
tias Rotales, quæ in ea enunciantur, & propter exe-
cutionem, quam adhibita Causæ cognitione, & con-
tradicente præsentato, habuerunt à Prorege.

PARMEN. STATVS.

Lunæ 28. Aprilis 1603.

ARGVMENTVM.

De exceptionibus contra testes.

SVMMARIVM.

1 *Pauper dicitur qui habet in bonis valorem solum centum scutorum, vel circa.*

2 *Paupertas, & vilitas, necnon mala fama, adimunt fidem testibus in materia suspecta.*

3 *Negocia grauia, de nece hominis, solent teneri secreta; nec sine necessitate communicantur famulis vilis conditionis, & numer. 11.*

4 *Famuli vilis conditionis non solent admitti in cubiculis dominorum.*

5 *Fides data, viuente coniuge, & machinatio in vitam ipsius, cum adulterio, efficit vt matrimonium postea secutum, non sit legitimum.*

6 *Depositio de visu de copula, per foramen ostij, factum pro aditu Gattorum, continet plura inuerisimilia, de quibus numer. 7. & 8.*

9 *Materia adhibendi fidem testibus, est arbitraria Iudicis, & pendet à verisimilitudine, præsumptionibus, & coniecturis.*

10 *Inuerisimilitudines iunctæ cum qualitate personæ testis, & suspicione subornationis, & odij, adimunt in totum fidem testi.*

12 *In ijs, quæ solent committi occultè, admittuntur testes minus idonei; Nisi cùm qualitate personæ testis, & suspicione odij, & subornationis, concurrant etiam inuerisimilitudines in dicto, & præsumptiones, & num. 13.*

DECISIO CCCLXXVI.

FVit iterum dubitatum, circumscripta reuocatio-
ne anni 1536. & depositione Iacobi de Ferrarijs,
An Iacobo Marotio testi examinato pro parte Do-
minorum de Rangonibus, sit adhibenda fides in to-
tum, vel saltim in aliqua parte. Et Causa per duas po-
sitiones diligenter discussa, Domini censuerunt stan-
dum esse in decisis, quod ei nulla fides sit adhibēda.

Et pro fundamento resolutionis repetebāt, quòd
Marotius post longam, & continuam seruitutem fa-
ctam Pallauicinis per spacium 24. vel 25. annorum,
fuit dimissus ab eorum seruitio, & in paruo temporis
interuallo se contulit ad Castrum Rocchæ Blanchæ,
in quo fuit receptus à Comite Ludouico; & vixit
eius expensis per aliquot dies; & deinde ab eo fuit
transmissus ad Vrbem, vt se examinaret contra Pal-
lauicinos, associatus in itinere à Dominico Portio
eius Factore, à quo, & à Hieronymo de Modena de-
ponit intellexisse, quòd debebat examinari in hac
Causa. Et Peregrinus testis Rangonorum affirmat,
quòd ipse ante examen fuit interrogatus in hac Cau-
sa à Hieronymo de Modena super articulis, quos te-
nebat in manibus, in pręsentia Comitis Ludouici; &
quòd à Dominico fuit instructus, vt faceret prote-
stationem de non recedendo ab examine facto in Ci-
uitate Parmæ. Et ista series facti inijcit magnam su-
spicionem, quòd iste testis non esset bene affectus de
tempore examinis erga Pallauicinos, & quòd facile
potuerit subornari à ministris Comitis Ludouici.

Secundo mouebantur: quia cum hac suspicione
concurrit qualitas personæ ipsius testis. Vt enim ip-
1 se dicit, est pauper, cùm habeat † in bonis valorem
scutorum 100. vel circa, & est vilis, quia aliquando
fuit mulio, aliquando hortolanus, & aliquando fa-
ctor molendini; & vltimo loco ante examen famulus
hospitis Solignani; & Vincentius deponit eum fuis-
2 se blasfematorem. Et istæ qualitates † sunt multum
considerabiles ad effectum detrahendi fidem testi-
bus in materia suspecta, glos. *in capit. si quis testium, in versic. paupertate*, & *ibi* Abb. Ant. de Butr. Card. Imol.
Felin. & alij, *de testibus*. Purpur. *cons.* 121. *num.* 19.

Tertio mouebantur, ex pluribus inuerisimilitudi-
nibus

nibus in eius dicto. Et primo videbatur Dominis
multum inuerisimile, quòd Bernardinus saltim tri-
bus vicibus promiserit Catherinæ in camera, presen-
te Marotio, illam ducere in vxorem post mortem Io:
Petri eius mariti; & quòd Catherina dixerit Ma-
rotio, quòd maritus non poterat diu viuere, quia fe-
cerat sibi aliquid propinare, vt posset habere effectũ
3 matrimonium cum Bernardino. Quia † similia nego-
tia in quibus agitur de nece hominis, solent teneri se-
creta; presertim, vbi non concurrit aliqua necessitas
4 operæ aliorum, vel causa: & quia † famuli infimæ
conditionis non solent admitti in cubiculis domino-
rum. Et ideo non est verisimile quòd tot vicibus in-
tellexerit hanc promissionem factam Catherinæ à
Bernardino in camera. Et in ista inuerisimilitudine
Domini faciebant magnum fundamentum: quia per-
cutit substantiam huius negotij. Si enim Bernardi-
5 nus dedisset fidem Catherinæ, viuente coniuge, &
fuisset secuta machinatio in vitam cõiugis cum adul-
terio; matrimonium non fuisset legitimum, *cap. super
hoc, cap. vltim. de eo, qui eam duxit in matrimo. quam poll.
per adult.* & consequenter filij Bernardinæ essent ex-
clusi.

Considerabant etiam Domini, quòd iste testis de-
ponit de copula Bernardini cum Margarita, quæ etiã
prestaret impedimentum matrimonio postea secuto
6 cùm Catherina: & de ea deponit de visu † per fora-
men ostij, quod erat factum ad effectum, vt per illud
pateret aditus gattis in cubiculum, Et in hac deposi-
tione insunt plura inuerisimilia. Et primò, quòd cùm
in ostio adesset foramen adeo notabile, quod ibi con
tinuo permanebat, Bernardinus, & Margarita se po-
suerint in loco, ex quo possent tam facile conspici,
7 Secundo, quòd ipse † ausus fuerit ex eo loco prospi-
cere, exponendo se periculo quod ipsi illum videret.
8 Tertio, quia deponit † distinctè de pluribus qualita-
tibus, quæ sunt multum inuerisimilis, Et materia eo
magis redditur suspecta: quia Vincentius deponit
de auditu à Cesare della Vela, quòd ipse instruxerat
Marotium, vt deponeret de visu de copula inter Ber
nardinum, & Martam, per foramen ostij factum pro
ingressu gattorum: quia instructione postea visus
fuit in hac depositione de copula inter Bernardinum
& Margaritam, mutando solum nomen; vt in alia
9 decisione fuit consideratum, Et propterea † cùm to-
ta ista materia resideat in arbitrio Iudicis, & pen-
deat à verisimilitudine, presumptionibus, & conie-
10 cturis, tot inuerisimilitudines † simul iunctæ cum
qualitate personæ testis, & suspicione subornationis,
& odij contra Pallauicinos, secundum Dominos sunt
tales, vt in hac Causa grauissima non sit ei adhiben-
da aliqua fides, Abb. Imol. Card. & alij *in cap. quia
verisimile, de presumpt.* Rimin. *cons.* 452. *num.* 11. *cum
pluribus sequent. lib.* 3. Natt. *cons.* 665. *num.* 9. *&* 10. *&
cons.* 666. *num.* 11. Et tanto magis cùm adsit etiam ali-
qua varietas inter eum, & alios testes circa diem obi
tus patris mariti Catherinæ.

Nõ obstat quòd materia redditur verisimilis pro-
pter qualitatem personarum, loci, & illorum tempo-
rum, quæ erant satis relaxata. Quia ex istis non ex-
cluditur inuerisimilitudo: nulla enim ratio suadet,
11 quantum vis illa tempora essent relaxata, quòd † ne
gotium adeo notabile sine necessitate, & absque vllo
proposito deberet communicari famulo similis qua-
litatis; ex qua communicatione poterat prouenire
impedimentum matrimonij, & poterant nasci multa
inconuenientia.

Non obstat quòd postea maritus Catherinæ obijt
ex veneno. Quia hoc in facto controuertitur; &, si
verum esset, nihilominus non excluderet inuerisimi-
litudinem; quia inuerisimilitudo in hoc consistit,
quòd omnis ratio repugnat, quòd sine causa ista pro
pinatio veneni ante factum fuerit ei communicata.
12 Non obstat, quòd † in ijs quæ solent committi,
occultè, admittuntur testes minus idonei. Quia hoc
13 non procedit quando † concurrunt, cum qualitate
personæ testis, & suspicione odij, & subornationis,
inuerisimilitudines in dicto, & presumptiones, vt per
Gabr. de testibus concl. 7. *num.* 13.

PLACENTINA BENEFICIORVM.

Veneris 2. Maij 1603.

ARGVMENTVM.

De Beneficio reseruato, ob nõ prouisionem factam
in tempore ab Ordinario.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium censetur reseruatum vigore regulæ, ob non
factam in tempore prouisionem per Ordinarium.*
2 *Clausula,* Constito *de vacatione prædicta, repetit non
solum vacationem in mense, sed etiam modum vacatio-
nis supra expressum, per quem prouisio spectat ad Pa-
pam, & num. 4.*
3 *Breuia, quæ fundantur in reseruatione, secundum stilum
ordinarium non conceduntur cessante reseruatione.*
5 *Onus iustificandi clausulam* Constito, *& narratiuam re-
seruationis, spectat ad prouisum Apostolicum.*
6 *Prouisio Ordinarij non probat tempus in concursu proui-
sionis Apostolicæ, propter suspicionem antidata. Con-
trarium, si prouisio Ordinarij habeat subscriptionem No-
tarij, testes, & sigillum, & num. 7.*

DECISIO CCCLXXVII.

DOmini concluserunt, sententiam A.C. esse reuo-
candam. Mouebantur. Quia in principio Bre-
uis narratur, quòd ista Beneficia vacarunt de mense
Octobris 1590. & quod de eis fuerat prouisum Io:
anni, ex quo erant reseruata vigore regulæ, quia de
eis non fuerat facta prouisio per Ordinarium, ante
diem 5. Decembris, qua die fuit assumptus ad Pon-
tificatum sanctæ mem. Gregorius XIV. & postea Pa-
pa mandat A.C. quòd constito sibi de vacatione pre
dicta, apprehendat possessionem nomine Cameræ. Et
Domini intelligebant, quòd Papa sensit in hac clau-
sula de vacatione per Obitum Roderici in mense O-
1 ctobris, ex qua sit inducta reseruatio † ob nõ factam
prouisionem per Ordinarium in tempore; vt fuit re-
solutum coram Oradino *in Causa Salamantina Canoni-
catus 13. Maij* 1572. Et hunc intellectum Domini com
2 probabant: quia † dictio *predicta* repetit non solum
vacationem in mense, sed etiam modum vacationis
supra expressum, per quem prouisio pertinet ad Pa-
pam.

Secundo: quia ista Breuia fundantur in reserua-
3 tione; & secundum stilum † ordinarium non conce-
duntur cessante reseruatione: & ideo, etiam si verba
essent dubia, reciperent interpretationem ab obser-
uantia

uantia concedendi ista Breuia, solum propter reser-
4 uationem. Tertio: quia si † dictio *prædicta*, non re-
ferretur etiam ad modum vacationis; illa expressio
reseruationis fuisset facta sine effectu operãdi. Quar-
to, & vltimo: quia Papa dat facultatem in Breui ex-
pellendi Intrusos, & excipit expresse habentes proui
sionem ab Ordinario ante dictũ diem 5. Decembris;
& postea tollit actionem spolij, stante reseruatione
huiusmodi: & consequenter ex toto contextu Breuis
apparet quòd Papa fuit motus ad istud concedendũ,
5 propter reseruationem. Et propterea, cùm † onus iu-
stificandi clausulam *constito*, & istam narratiuam re-
seruationis coram A. C. spectaret ad Ioannem; vt in
terminis huius regulæ fuit resolutum *in Causa Vlix-
bonensis Parochialis 20. Maij 1594. coram Illustrissimo
Cardinali Mantica*; & non fuerit ab eo iustificata: sen-
tentia remanet notoriè iniusta, & consequenter est
reuocanda.

Mouebantur etiam propter prouisionem Ordina-
rij ante diem 5. Decembris, quæ fuerat producta in
actis coram A. C. Et ideo, cùm Breue excipiat ex-
presse prouisos ab Ordinario, in illis verbis, *Non ta-
men habentibus prouisionem ab Ordinario ante diem 5. De-
cembris*; stante ista probatione affirmatiua, cessabat
executio Breuis; & consequenter etiam ex hoc capi-
te sententia est iniusta.

6 Et quamuis in contrarium opponatur, quòd † pro-
uisio Ordinarij non probat tempus in concursu pro-
uisionis Apostolicæ, propter suspicionem antidatæ,
iuxta *decisionem primam de probation.* Tamen, cum
7 ista † prouisio Ordinarij habeat subscriptionem No
tarij, testes, & sigillum; & Lupus vigore illius proui-
sionis acceperit possessionem ante datam Literarum
Apostolicarum ad fauorem Ioannis cessat in hoc ca-
su omnis suspicio antidatæ, & creditur literis Ordi-
narij. Thom. de Tan. *dec.* 50. Guidob. *dec.* 69. Caputa.
decis. 146. *lib.* 1. *& decis.* 55 *lib.* 3. *in manuscript.* Chisan.
dec. 81. Et saltim, secundum Dominos, materia red-
ditur adeo turbida, quòd ista exceptio erat reseruan
da in iudicio petitorio, & interim non erat danda
executio Breui; iuxta decisionem Paleotti, quæ alle-
gatur per informantes.

Aliquibus etiam ex Dominis placebat caput nul-
litatis, cuius sanatio fuit denegata in Signatura
Sanctissimi. Et ex his fuerunt concordes pro reuoca-
tione sententiæ Auditoris Cameræ.

PERVSINA SPOLII.

Lunæ 5. Maij 1603.

ARGVMENTVM.

De nullitate, & iniustitia sententiæ.

SVMMARIVM.

1 *Intimatio decreti de subhastando solet fieri de stilo.*
2 *Decretum interpositum cum intimatione, non afficit ante intimationem.*
3 *Dispositio legis,* Curabit, Cod. de act. empt. *non habet locum, quando creditor nunquam fuit dominus bonorum.*
4 *Taxatio interesse inter creditorem, & debitorem, tempore dilationis durante est illicita.*

DECISIO CCCLXXVIII.

Domini persiterunt in decisis, & ... eis placuit v-
trumque caput nullitatis, & iniustitiæ.
Nullitas est clara, propter defectum intimationis
1 decreti de subhastando, † quæ secundum Dominos
solet fieri de stilo; & sufficit ad istum effectum, quòd
Iudex decreuerit quòd intimaretur: quia in hoc casu
2 † decretum non afficit ante intimationem, saltim ces-
sante illius scientia, quæ hic non probatur, vt dictum
fuit in alia decisione.

Iniustitia etiam, secundum Dominos, adest: quia
in hoc casu creditor nunquam fuit dominus bonorũ,
3 & ideo versamur † extra terminos legis *curabit, Cod.
de act. empt.* Et secundum terminos Iuris communis,
4 ista taxatio interesse † inter creditorem, & debito-
rem, ad rationem trium pro centum, durante tempo-
re dilationis ad soluendum, est illicita. Et propterea
cum mandatum fuerit relaxatum, etiã pro ista summa
taxata pro interesse, & sic vltra summam vere debi-
tam; intrat nullitas, & iniustitia, & consequenter
D. Geneuræ competit actio spolij.

ROMANA CENSVS SCVTORVM 18000.

Lunæ 5. Maij 1603.

Vide Argumentum Decisiones 291.

SVMMARIVM.

1 *Separatio bonorum facta à debitore sine citatione, & interuentu creditorum, eis non præiudicat in sua hypothecas.*
2 *Separatio bonorum fideicommissariorum à bonis liberis, tendit ad fauorem creditorum.*
3 *Obligato soluere creditoribus anterioribus, non competit aliqua defensio ad exclusionem ipsorum; si soluat posterioribus.*

DECISIO CCCLXXIX.

PRoposui Dubium super eisdem, & quoniam pre-
cipuum fundamentum decisionis pendebat, ex
anterioritate hypothecæ, quæ remanebat creditori-
bus super toto pretio de tempore venditionis istius
castri, propter quam inferebatur, quòd si Excellen-
tissimus D. Marchio soluisset posterioribus credito-
ribus descriptis in lista, potuisset molestari à credi-
toribus anterioribus, quibus remanebat salua sua
hypotheca.

Informantes in hac positione se restrinxerunt, ad
istud caput, & reuocarunt in dubium veritatem istius
fundamenti: quia de tempore venditionis ex summa
scutorũ 16000. quæ fuerunt separata à bonis fidei-
commisso subiectis pro detractionibus per sententiã
Reuerendissimi D. mei Patriarchæ Alexandrini re-
manebant solum scuta 31000. super quibus anterio-
res creditores poterant exercere suam hypothecam:
quia antea fuerant alienatæ ab Vrsinis vigore illius
sententiæ tres tenutæ pro summa scutorum, 85000.
Et propterea dicebatur, quòd si Excellentissimus D.
Marchio, ex hac summa scutorum 85000. soluisset
istis creditoribus posterioribus scuta 18000. non po
tuisset respectu istius summæ substinere molestiam à
creditoribus anterioribus. Verum, hoc fundamento
non obstante, fuit concorditer conclusum, non esse
recedendum à decisis.

Ratio

2 Ratio potissima fuit; quia † separatio bonorum fuit facta sine citatione, & interuentu creditorum, & propterea eis non præiudicat in sua hypotheca: Et tanto magis, cùm ista sententia non fuerit lata ad istum effectum inferendi præiudicium creditoribus, sed solùm ad effectum separandi bona à fideicomis-
3 so: † quæ separatio tendebat ad eorum fauorem; quia secuta separatione per sententiam, ex illorum venditione facilius poterant, secundum eorum anterioritatem, consequi satisfactionem sui crediti. Et consequenter, cũ per istam sententiam non fuerit illatum præiudicium creditoribus in sua hypotheca, si D. Marchio soluisset creditoribus posterioribus, non fuisset securus à creditoribus anterioribus; quia si fuisset ab eis molestatus, non potuisset illos excludere; neque vigore sententiæ, quia illis non præiudicat in hypotheca, vt dictum fuit; neq; vigore alienationis trium tenutarum facta ab Vrsinis ante venditionem Castri; quia ex illa non fuerunt consecuti satisfactionem sui crediti: & ideo eis remanebat sua hypotheca.

Mouebantur etiam: quia cùm Vrsini essent valde grauati ære alieno, & impliciti debitis, in notabili quantitate, multum intererat D. Marchioni se reddere tutum quantum poterat, vt non posset pati molestiam à creditoribus; & propterea voluit habere cessiones à creditoribus anterioribus, vt cum istis cessionibus posset excludere creditores posteriores; & pro maiori sua securitate, in instrumento se obligauit solum soluere precium creditoribus anterioribus; vt fuit resolutum in alia positione; & ideo cùm esset obligatus vigore propriæ obligationis, soluere creditoribus anterioribus, quibus erat quæsitum ius per stipulationem Notarij, ei non competebat aliqua defensio ad exclusionem creditorum anteriorum, si soluisset posterioribus: quia in hoc casu non potuisset opponere, quòd erat secuta separatio bonorum, & quòd reliqua bona, erant subiecta fideicommisso, cùm esset obligatus ex propria obligatione soluere istud pretium creditoribus anterioribus. Et hoc eo magis dicendum est; quia de tempore istius obligationis D. Marchionis ad fauorem istorum posteriorum creditorum, iam fuerat commissa Causa graduationis creditorum A. C. ad instantiam ipsius, & fuerat data cedula in actis pro illorum satisfactione: & propterea erat taliter quæsitum ius creditoribus anterioribus, & res erat redacta in tali statu, quòd etiamsi Marchio voluisset, non potuisset soluere creditoribus posterioribus.

ROMANA PRÆTENSÆ VSVRÆ, EXTRA ROTAM.

Lunæ 12. Maij 1603.

ARGVMENTVM.

Excluditur vsura, in contractu locationis Officiorum.

SVMMARIVM.

1 *Implicat quòd conductor sit dominus rei locatæ, & quòd locator ex causa legitima possit eam vendere, & transferre illius dominium.*
2 *Mutuum non datur, non data translatione dominij.*
3 *Vsura non cadit nisi in mutuo vero, vel palliato.*
4 *Translatione dominij secuta, fructus soluuntur pro vsu pecuniæ mutuatæ, & non pro vsu rei.*
5 *Palliatio de contractu mutui ad contractum locationis, fit solum, vt periculum spectet ad conductorem, & loco rei restituatur pecunia.*
6 *Vsura non cadit in contractu locationis.*
7 *In dubio in foro exteriori sumitur omnis præsumptio, quòd contractus non sit vsurarius. Maximè, si de vsura non opponatur à Parte pro suo interesse ciuili, sed à Fisco, & num. 8.*
9 *Pactum, quòd si conductor deficit in solutione, teneatur ad solutionem precij, quo fuit empta res locata, non est aptum per se solum mutare contractum in aliam speciem, reddendo illum vsurarium. Et est magis aptum afferre vtilitatem, quàm damnum, conductoribus, & numero 11. & 12.*
10 *Periculum amissionis rei locatæ excludit certam spem lucri, & translationem dominij.*
13 *Pactum, quòd conductor officiorum non possit soluere eorum precium, & ea sibi acquirere, nisi post triennium; non est illicitum. Et est merè facultatiuum in fauorem conductoris, & num. 14.*

DECISIO CCCLXXX.

Domini concluserunt contractus locationum, non esse vsurarios. Mouebantur; quia ab initio dominium istorum officiorum fuit acquisitum Ioan. Baptistæ, cùm fuerint ab eo empta de eius pecunijs, saltim pro maiori parte, & cum decreto, quòd ipse solum posset de eis disponere, adimendo in specie hanc facultatem de eis disponendi, habentibus titulum: & istud dominium in contractibus locationum non reperitur translatum in conductores, immo fuerunt appositæ plures clausulæ, & cautelæ, solùm ad istum effectum, vt dominium remaneret ipsius, & non transferretur in conductores, recipiendo ab eis declarationem, quòd libera, & absoluta dispositio spectabat ad ipsum, & eius hæredes, & successores; & eos ligando, vt non possent obligare ista officia, neque de illis disponere: item dando ei facultatem, quòd post triennium possent sibi illa acquirere, soluendo pretium, & interim reseruãdo sibi facultatem, in euentum causæ legitimæ, ea vendendi durante affictu: & succedente mora conductorum in tribus solutionibus, priuando eos commodo contractus locationis: & similiter finito contractu locationis, ipse remanebat dominus officiorum, nec conductores poterant amplius in illis se ingerere. Quæ omnia repugnant abdicationi dominij, & translationi ipsius in
1 conductores: quia implicat † contrarietatem, quod conductores sint domini officiorum, & quod Io: Baptista succedente causa legitima, posset illa vendere, & transferre dominium; & quòd si ipsi volebant acquirere dominium, deberent expectare triennium, & postea soluere pretium; & quòd tam ante, quam post finitam locationem, libera, & omnimoda dispositio spectaret ad ipsum; vt in his terminis fuit latè deductum in *Causa Romana Montium 14. Decemb. 1576. coram S. D. N.*

Et ex hoc fundamento, quòd dominium istorum officiorum semper remanserit Io. Baptistæ, Domini inferebant, quòd in hac specie non potest esse locus
2 vsuræ: quia non † data translatione dominij, non datur mutuum, *leg. 2. in princip.* & *ibi Bart. Ias. num. 5.* &

Dec.

Dec.num.6. & 7.ff.si cert.pet. glos. Io.de Platea, Arct. Faber, & alij, in § item is cui, inst. quibus mod. re contr. oblig. Ias.cons.175.lib.2. Et cessante mutuo cessat etiam
3 vsura: quia † vsura non cadit, nisi in mutuo vero vel paliato Archid. in cap. t. t 14 quæst. 3. Host. & Goffred. in sum.tit.de vsuris, Abb.cons.62.num.4. lib.1. Cornel. cons.1.num.21. lib. 4. & est receptissima opinio Canonistarum, & Theologorum: militat enim in hoc ca-
4 su ratio particularis: quia secuta † translatione dominij, fructus soluuntur pro vsu pecuniæ mutuatæ, & non pro vsu rei, quæ fuit effecta propria ipsius soluentis. Quæ ratio cessat in alijs contractibus, in quibus non transfertur dominium.

Mouebantur etiam Domini: quia post finitam locationem remanebant ista officia Io: Baptistæ, & nō erat in facultate ipsius repetere pretium pecuniariū, quo fuerunt empta; & interim, si succedebat mors conductorum, illa peribant damno ipsius: quia hoc periculum fuit solum in eis translatum, si induceretur priuatio officiorum ex dolo vel culpa ipsorum: Et ista etiam repugnant naturæ mutui palliati: quia
5 † palliatio de contractu mutui ad contractum locationis fit solum ad istum effectum, vt periculum pertineat ad conductorem, & loco rei, cuius dominium trāsfertur, restituatur pecunia; vt benè deducit Ann. in cons.145 num.t 7.

Tertio, & vltimo mouebantur: quia iste contractus à partibus verbis expressis, & sæpius geminatis denominatur contractus locationis, & habet omnia substantialia contractus locationis, & fere omnia
6 Pacta ei conueniunt: & ideo † cùm in contractu locationis non cadat vsura, Abb. consil. 15. lib. 1. non de-
7 bemus sine causa inducere illos vsurarios: quia † in dubio in foro exteriori sumitur omnis præsumptio, quòd contractus non sit vsurarius, Bald. in leg. rogasti,
8 § sibi, ff. si cert. pet. Et tanto magis, † quando de vsura non opponitur à parte pro suo interesse ciuili, sed à fisco.

Non obstat pactum, quòd propter moram conductorum in soluendo affictum liceret Io. Baptistæ vendere officia; & quod si officia vendebantur minori precio, conductores tenerentur supplere de suo proprio, transferendo in conductores commodum, vel incommodum augmenti vel diminutionis eorum valoris: ex quo pacto infertur per informantes, pro fisco, quòd dominium, & periculum fuit translatum in conductores. Si enim dominium remansisset Ioan. Baptistæ, augmentum, & diminutio valoris officiorum debebat spectare ad ipsum, & non ad conductores; & consequenter iste fuit contractus mutui palliati, & non locationis. Quoniam huic fundamento; in quo consistit potissima difficultas, fuit per Dominos responsum, quòd si Ioan. Baptista præter istum casum non poterat agere ad summam solutam ab initio, prout est de natura mutui, & finita locatione remanebat dominus, & conductores non poterant se amplius ingerere in istis officijs, & interim ex iusta causa poterat illa vendere, & transferre dominium in emptores; & conductores non poterant illa obligare; necessariò dicendum est, quòd dominium remanebat ipsius, & quòd partes voluerint facere verum contractum locationis, & non contractum mutui palliati: quia repugnant in hoc casu omnia substantialia mutui. Et quamuis istud pactum sit contra naturam contractus locationis, tamen partes non habuerunt pro illicito, quòd si emitur officium, quod requirit ministerium personale cursoris, & non dat fructus, saltim æquiualentes, quando est in manibus emptoris, sicuti quando est in manibus conductoris, & emitur in capite alterius, solum ad istum effectum locandi, & percipiendi fructus; si contractus locationis non potest habere suum effectum propter moram ipsius conductoris in adimplendo; in hoc casu ipse conductor, qui fuit causa emptionis, quæ alias non fuisset sequuta, teneatur in pœnam propter moram, subire periculum diminutionis valoris officij. Et propterea, licèt huiusmodi pactum videatur inualidum, quia non habet aliquam proportionem cùm
9 contractu locationis, quòd † si conductor deficit in solutione, teneatur ad solutionem pretij, quo fuit empta res locata: nihilominus cùm sit adiectum in contractu locationis, quem partes facere intendebant, & dominium semper remanserit Io: Baptistæ, non est aptum de per se solum transfundere contractum in aliam speciem, & mutare substantiam negotij, reddendo illum vsurarium contra intētionem partium, quæ apparet perspicua, ex omnibus partibus instrumenti. Et pro hac parte placebat consil. Gabr. 152. lib. 1. Et hoc eo magis dicendum est secundum Dominos: quia hoc pactum non est conforme in omnibus casibus. Datur enim Io: Baptistæ in alia parte instrumenti facultas vendendi officia ex iusta causa: & in hoc casu non intelligitur, repetitum istud pactum: & similiter finita locatione remanebat dominus, nec poterat cogere conductores ad solutionem pretij diminutionis valoris, si volebat illa vendere: & propterea cùm in alijs casibus, in quibus non potest imputari aliqua mora conductoribus, augmentum, & diminutio valoris precij officiorum spectaret ad Io: Baptistam, multum verisimile est, quòd à partibus fuerit facta ista prouisio in hoc casu particulari, solum propter moram conductorum, & non quia fuerit intellectum transferre dominium in conductores, ineundo contractum mutui: quia si fuisset mutuū palliatum, dominium officiorum fuisset simpliciter translatum in conductores; & in omni casu Io: Baptista voluisset esse securus, quòd non amitteret capitale, reseruādo sibi facultatem repetendi totam summam, etiam si officia vendebātur minori pretio; alias secundum istum intellectum sequeretur, quòd Ioan. Baptista in vno casu solùm voluisset transferre dominium in conductores eis mutuando, & in alijs casibus facere contractum verum locationis, & retinere dominium penes se: quod est inuerisimile fuisse à contrahentibus cogitatum.

Multum etiam mouit Dominos, quòd si succedebat mors conductorum, officia peribant damno Io.
10 Baptistæ: quod † periculum amissionis excludit certam spem lucri, quæ oritur ex contractu mutui; & etiam translatione m dominij: quia si dominium erat translatum in conductores, officia debebant perire eorum damno. Et eo facilius Domini venerunt in hanc sententiam, quia concurrunt in hoc pacto plures circunstantiæ exclusiuæ intentionis committen-
11 di vsuram. Et primo: quia hoc pactum est † magis aptum afferre vtilitatem, quàm damnum conductoribus: quia precium similium officiorum, solet potius crescere quàm diminui. Secundo; quia iste casus

ſus non poterat ſuccedere ſine magna difficultate:
12 quia † erat in poteſtate conductorum, ſoluendo ef-
ficere, vt non fieret locus pacto; & locatori multum
intererat quòd duraret affictus; & non deueniſſet ad
venditionem officiorum niſi coactus; quia in fine ſex
annorum penſio ferè æquabat ſortem principalem,
& officia ei remanebant libera. Et ideo hoc pactum
videtur potius appoſitum ad effectum incutiendi,
timorem conductoribus, vt facilius ſoluerent penſio
nem, quàm ad effectum extorquendi vſuras. Tertio:
quia dantur plures contractus, locationis officiorum
cùm ſimili pacto, & ideo contrahentes potuerunt ve
riſimiliter credere, quòd iſtud pactum adiectum in
contractu locationis eſſet validum.
13 Non obſtat aliud pactum, quo † reſtringitur fa-
cultas conductoribus, vt non poſſint ſoluere precium
& acquirere ſibi officia, niſi elapſo triennio. Quia li-
cet ex hoc pacto oriatur efficax coniectura, quòd Io.
Baptiſta voluit eſſe certus de perceptione fructuum
per triennium; tamen hoc non eſt illicitum: quo-
niam cùm dominium officiorum eſſet ipſius, non co-
gebatur, neque etiam poſt triennium, illa vendere;
neque ipſi cogebantur elapſo triennio emere: Et id-
14 eo † pactum eſt mere facultatiuum in fauorem ipſo-
rum, quia ſi valor officiorum augebatur, elapſo trien
nio poterant emere pro eodem precio, ſi volebant;
&, ſi minuebantur, non cogebantur emere; & inte-
rim ſi ſuccedebat mors conductorum, officia peri-
bant damno ipſius.

Non obſtant ea, quæ dicuntur ex tractatu præce-
denti, ex diuerſitate affictus, & alia omnia, quæ dedu
cuntur per informantes. Quia abunde illis ſatisfit in
Voto Reuerendiſſimi D. mei Patriarchæ Alexandri-
ni, & R.P.D. Cottæ, & ex late deductis per informan
tes, quorum reſponſiones placuerunt Dominis.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 2. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Reijciuntur multæ exceptiones nullitatis contra ſententiam.

SVMMARIVM.

1 *Omiſſio iuramenti calumniæ, non inualidat ſententiam, quando fuit petitum poſt plenè probatam intentionem actoris. Et ſufficit quod ſit poſtea præſtitum in terminis ſubſtantialibus, & num. 2.*

3 *Vt quis poſſit comparere in Cauſa appellationis, ſufficit quòd ſit conſtitutus procurator ad proſequendam Cauſam; vel ad comparendum coram quibuſcunque Iudicibus, & num. 4.*

5 *Subhaſtatio habet neceſſariam dependentiam à credito.*

6 *Subhaſtatio vt ſit nulla, ſufficit quòd ſit facta pro aliqua ſumma indebita.*

7 *Exceptio nullitatis turbidæ non attenditur ad effectum reuocandi ſententiam, de cuius iuſtitia clarè liquet.*

DECISIO CCCLXXXI.

POſt reſolutiones factas in hac Cauſa, quòd ſen-
tentia R.P.D. Alæ erat iuſta propoſui Dubium
ſuper illius validitate, vel inualiditate. Et Domini
concluſerunt ſententiam eſſe validam.

Nullitates, quæ opponũtur, in effectu ſunt quinq;
quarum prima eſt, quod non fuit præſtitũ iuramen-
tum calumniæ. Et iſta nullitas non fuit viſa digna
1 conſideratione: quia quando fuit petitum iuramen-
tum calumniæ, Bergerius plenè probauerat ſuam in-
tentionem, & Cauſa erat in tali ſtatu, quod Iudex po
terat non attendere hanc exceptionem; vt fuit reſo-
lutum coram me *in Cauſa Chienſi, & in Cauſa Romana
de Magdalenis, coram Reuerendiſſimo Domino meo Pa-
triarcha Alexandrino*. Præterea ſufficit ad iſtum ef-
fectum, quòd iuramentum fuerit poſtea præſtitum
2 in terminis † ſubſtãtialibus; vt fuit ſæpius reſolutum:
& Domini non dubitant de ſufficientia mandati pro
curatoris, quia mandatum habet clauſulas multum
amplas, & in ſpecie in eo ſit mentio de iuramentis.

Secũda ex defectu mandati procuratoris ad com-
parendum in Cauſa appellationis; quæ etiam fuit re-
3 iecta: quia ſufficit † quòd fuerit conſtitutus ad proſe-
quendam Cauſam, vt poſſit comparere in Cauſa ap-
pellationis, Put. *decis.* 345. *num.* 3. *lib.* 1. Et tanto ma-
4 gis, cùm fuerit conſtitutus procurator † ad compa-
rendum coram quibuſcunque Iudicibus Fab. *dec.* 11.
Put. *dict. decis.* 345.

Tertia quoque nullitas ex eo quòd fuit citatus ad terminos ſubſtantiales Pompilius de Cuppis, qui tũc nõ erat procurator Vigilij, nõ placuit Dominis. Quia omiſſa hac inſpectione, an Pompilius eſſet, vel non eſſet procurator Vigilij; termini fuerunt reiterati ab ipſo. Vigili, & Iudex illos ſeruauit pro vtraq; parte.

Quarta etiam nullitas, quæ deducitur ex eo, quòd
D. Ala nòn habebat facultatem pronunciandi ſuper
inualiditate ſubhaſtationis officij pariter tollitur ſe-
5 cundum Dominos. Quia † cùm ſubhaſtatio habeat
neceſſariam dependentiam à credito, Iudex, qui co-
gnouit quòd creditum non erat in tanta quantitate,
potuit pronunciare ſuper inualiditate ſubhaſtatio-
nis. Et quamuis prætendatur etiam exceſſus in hac
ſententia, tamen iſte exceſſus non tollit nullitatem
6 ſubhaſtationis; ad quem † effectum ſufficit, quod
ſubhaſtatio fuerit facta pro aliqua ſumma indebita.

Vltima nullitas: quæ opponitur propter defectum
tranſportationis mandati Thomæ del Bene, viſa fuit
Dominis habere maiorem difficultatem, ſed cùm in
deciſionibus non fuerit factum fundamentum in hoc
mandato, & non ſit neceſſarium ad hanc cauſam, ne-
que reperiatur in actis; Domini cenſuerunt hanc nul
7 litatem eſſe multum turbidam; & propterea, ſtante †
hac turbiditate, non eſſe attendendam ad effectum
reuocationis ſententiæ, de cuius iuſtitia clarè liquet.

ROMANA VIGINTI MILLIVM.

Lunæ 2. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Agitur de excludenda correſpectiuitate contractuum.

SVMMARIVM.

1 *Contractus ex diuerſis cauſis, & inter diuerſas perſonas, non cenſentur correſpectiui, licèt ſint celebrati in continenti coram eodem Notario.*

2 *Materia correſpectiuitatis eſt coniecturalis, & pendet à veriſimili mente contrahentium.*

3 *Coniecturæ excludentes correſpectiuitatem, & nu. 4 & 5.*

similium negotiorum, solet præcedere tractatus, & discussio per aliquot dies ante perfectionem contractus. Praterea, si illæ molestiæ iam erant illatæ Bonsijs, illa causa excludit simulationem; quia tanto magis ipsi debebant se cautelare, vt non possent pati molestias à Monte, vendendo iura sua Cardinali, & exigendo ab eo pecunias, sine aliqua correspectiuitate, ad promissionem Comitissæ.

Non obstat quòd Bonsij non dederunt calculum, & quòd cambia eis non debentur. Quia ista non percutiunt hanc difficultatem, de qua hodie agitur.

ROMANA VACCARVM.

Veneris 6. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Hypotheca an cadat super grege.

SVMMARIVM.

1 *Hypotheca cadit super grege, & pro ea competit Saluianum.*

2 *Dominus Casalis, in quo pasta sunt pecudes, præfertur alijs creditoribus in precio herbarum, ex quibus fuerant educata.*

DECISIO CCCLXXXIII.

1 DOmini resoluerunt pro informante: Quia † super grege cadit hypotheca, & consequenter competit Saluianum, vt fuit resolutum *in Causa Romana Pecudum coram me.* Extrema autem probantur, & constat, quòd Domitius in Casali D. Tiberij reti-
2 nuit vaccas; & propterea † in pretio herbarum, ex quibus fuerunt educatæ, præfertur alijs creditoribus, vt fuit resolutum *in Causa Cornetana Pecuniaria 18. Ianuarij 1599.*

ELNEN. EXECVTIONIS LITERARVM, APOSTOLICARVM.

Veneris 6. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

De grauamine, ob cuius causam retardanda sit executio literarum Apostolicarum.

SVMMARIVM.

1 *Charitates panis, & oblationis Missarum, secundum Ius commune, debentur Beneficiatis.*

2 *Inuerisimile est, quòd Papa voluerit Canonicos non inseruientes Ecclesiæ, & alibi residentes, facere participes oblationum, quæ dantur Ecclesiæ intuitu pietatis, & ministerij Sacramentorum.*

3 *In dubio, non est inducenda correctio partis præcedentis scripturæ, sine causa.*

4 *Anniuersaria fundata in Ecclesia, sunt magis debita Beneficiatis in ea inseruientibus, quam quæ non sunt fundata.*

5 *Intentio illorum, qui reliquerunt anniuersaria pro suffragijs defunctorum, videtur fuisse, quòd à Clericis in illa Ecclesia ministrantibus offerentur preces ad Deum pro eis.*

6 *Insignia in rebus, quæ dantur Ecclesijs, non apponuntur ad effectum retinendi dominium, sed vt remaneat memoria Benefactorum.*

DECISIO CCCLXXXIV.

PRoposui Dubium in hac Causa de ordinatione S. D. N. An constet de tali grauamine executoris illato Beneficiatis, vt sit retardanda executio literarum Apostolicarum, in toto vel in parte, & in qua parte. Et Domini censuerunt, fuisse illatum grauamen ab executore in ea parte, in qua declaratur Capitulum debere participare de charitatibus panis, & oblationibus Missarum: quia in literis de eis, in specie non fit aliqua mentio; Et verba non sunt ita clara, & prægnantia, quòd non possint recipere interpretationem à dispositione Iuris communis, secun-
1 dum quam † illæ oblationes, & charitates, debentur Beneficiatis, qui soli remanserunt in illa Ecclesia: quia, vt habetur Numeri cap. 5. *Quicquid in sanctuarium offertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit,* & tradit Præpos. *in cap. perlectis num. 22. dist. 25.* Et pro hac opinione videtur facere text. *in capit. 1. de stat. monach.*

Mouit etiam multum Dominos inuerisimilitudo:
2 quia nulla ratio suadeat, † quòd fuerit intentionis Papæ efficere Canonicos, non inseruientes in Ecclesia, & alibi residentes, participes istarum oblationũ, quæ dantur illi Ecclesiæ a Christi fidelibus illius Ciuitatis intuitu pietatis, & ministerij Sacramentorum.

Censuerunt etiam Domini, ab executore fuisse illatum aliud grauamen in admittendo Canonicos ad participationem illarum distributionum, quæ proueniunt, ex anniuersarijs, quæ sunt fundata in illa Ecclesia. Quia in Litteris anniuersaria fundata in Ecclesia sunt expresse excepta ad fauorem Beneficiatorum, ita vt non veniant in diuisione: & alia pars, in qua datur executori facultas, diuidendi etiam anniuersaria, secundum Dominos est intelligenda, de anniuersarijs, non fundatis in Ecclesia: quia vna
3 pars recipit declarationem ab alia; & † in dubio non debet induci correctio partis præcedentis sine causa. Et iste intellectus comprobatur: quia ista materia est
4 stricte intelligenda: & propterea, cùm anniuersaria † fundata in Ecclesia sint magis debita beneficiatis in ea residentibus, & inseruientibus, quam illa, quæ non sunt fundata; non possumus arguere à communicatione illorum ad participationẽ aliorum, in quibus non militat eadem ratio. Et hoc multo magis Domini intellexerunt procedere, quoad distributiones prouenientes ex anniuersarijs, quæ fuerunt relicta pro suffragijs defunctorum, qui in illa Ecclesia sunt
5 sepulti: quia † intentio illorum, qui reliquerunt, videtur fuisse, quòd à Clericis in illa Ecclesia ministrantibus offerrentur preces, & orationes ad Deum pro eis. Et in his capitibus Domini resoluerunt adesse excessum, & esse retardandam executionem.

Quo vero ad alia grauamina, quæ prætenduntur fuisse illata ab executore in diuisione Reliquiarum, & ornamentorum Ecclesiæ, Domini censuerunt illa non adesse; & propterea executionem non esse retardandam.

Quantum enim ad Reliquias, non potest dici irrationabile iudicium executoris: quia fuit ei data facultas transferendi potiores Reliquias, relicta in illa Ecclesia aliqua decenti, & congrua portione, arbitrio ipsius quantum decere existimauerit: & ex lista, quæ datur, apparet quòd fuit relicta portio satis con-

grua. Et quamuis Beneficiati conquerantur, quòd debebant relinqui capita argentea Sanctarum Ecclesiæ, & Iuliæ, sub quarum inuocatione illa Ecclesia est erecta; tamen hoc à Dominis non fuit habitum in consideratione, si verum est, quòd aliqua pars Reliquiarum istarum Sanctarum remanserit in Ecclesia, prout dicunt informantes: quia facultas executoris est ampla, & non habebat manus ligatas circa modum, & qualitatem distributionis Reliquiarum. Et tanto magis cessaret ista difficultas, si verum esset, quòd in illis capitibus argenteis, non adsunt integra capita, sed solum Reliquiæ illarum Sanctarum.

Quo vero ad ornamenta Ecclesiæ, Calices, Patenas, & Cruces, cessat etiam secundum Dominos excessus. Quia in hoc quoque versatur arbitrium executoris, cui fuit data facultas transferendi pretiosiorem supellectilem; & nihilominus maior pars fuit relicta in Ecclesia.

Nec placuit Dominis, quòd in quibusdam ex istis
6 ornamentis adsunt insignia Ciuitatis. Quia † ista insignia in rebus, quæ dantur Ecclesijs, non apponuntur ad effectum retinendi dominium, sed ad effectum vt remaneat memoria illorum, qui fuerunt benefactores, & donauerunt Ecclesijs.

Circa aliud grauamē, quod deducitur ex eo, quòd executor parte opponente processit ad executionem, non iustificatis literis; Domini dixerunt non esse huius inspectionis: quia intellexerunt Dubium de grauamine, quo ad contenta in literis; quamuis eis non videretur hoc fundamentum dignum consideratione. Quia cùm ante factum executoris translatio esset perfecta, & executori solum esset commissa executio translationis respectu diuisionis distributionū, emolumentorum, Reliquiarum, & ornamentorum Ecclesiæ; causę translationis, & alia contenta in literis, non erant coram eo iustificanda.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS DE TVDELA.

Lunæ 9. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

De compatibilitate, vel incompatibilitate actuum, cum sententia.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio ad effectum incompatibilitatis actuum cum sententia, debet probari clarè, & concludenter, quòd fuerit extraiudicialis, & non iudicialis.*

2 *Decanus si est negligens in puniendo reum, in tali casu iurisdictio remanet Episcopo.*

DECISIO CCCLXXXV.

Dubitani, An quatuor actus, qui dantur pro parte Reuerendissimi Episcopi de anno 1320. 1335. 1346. & 1352. habuerint effectum, vt sint incompatibiles, cùm sententia lata de anno 1311. in qua declaratur, quòd Decano competit iurisdictio, cognoscendi omnes Causas inter consistentes in Villa Tudelana, exceptis solum Causis matrimonialibus, & vsurarijs, & puniendi Clericos, & Canonicos delinquentes.

Et quatum ad primum, & tertium actum, Domini fuerunt concordes sine difficultate; quod non probantur effectuati, neque sunt incompatibiles cum sententia: quia in illis exprimitur, quòd causa per appellationem erat deuoluta ad Episcopum, & non continetur in sententia, neque prætenditur à Decano ista facultas, cognoscendi Causas in secunda instantia. Et quamuis replicetur pro parte Episcopi, quòd appellatio in illis casibus fuit extraiudicialis, quæ habet vim prouocationis ad causam: tamen hoc non probatur: & cùm fundamentum ipsius consistat in incompatibilitate, quæ deducitur ex appel-
1 latione extraiudiciali, si † non probatur clarè, & concludenter, quòd appellatio fuit extraiudicialis, & nō iudicialis, isti actus non possunt dici incompatibiles, & contrarij sententiæ.

Et hoc eo magis dicendū est: quia primus actus comprobat obseruantiam sententiæ: nam in eo exprimitur, quòd in hoc nōn faciebat, nec intendebat facere præiuditium iurisdictioni Decani; & assignantur rationes particulares, ob quas iurisdictio in illo casu debebat spectare ad Episcopum. Et ex vtroque actu apparet, quòd Decanus tenebat officialem; & ideo est multum verisimile, quòd actu exerceret iurisdictionem iuxta formam sententiæ.

Circa secundum actum de anno 1330. nulla fuit difficultas inter Dominos: Quia in sententia, non eximitur persona ipsius Decani à iurisdictione Episcopi, & solum declaratur ei competere iurisdictionem actiuam: & propterea priuatio Decani est contraria sententiæ.

Circa quartum actum de anno 1352. Domini concluserunt, quòd quoad condemnationem procuratoris debita Episcopo, nulla adest incompatibilitas: quia iste casus, quando persona Episcopi est in causa, & agit contra inferiorem, non est contentus in sententia.

Quo vero ad condemnationem Thesaurarij, pro delicto concubinatus, cessat etiam incompatibilitas: quia iurisdictio est data in sententia Decano limitata inter consistentes in Villa Tudelana: & ista sententia fuit lata ab Episcopo in Ciuitate Tirasonensi, vbi aderat Thesaurarius; & non apparet, in quo loco fuerit commissum delictum. Præterea, ex isto actu non inducitur necessario talis probatio concludens, ex qua resultet incompatibilitas, quia potest esse, quòd in illo casu Decanus fuerit negligens, in puniendo
2 Thesaurarium; in quo casu iurisdictio remanebat Episcopo, Abb. *in cap. cum contingat num. 19. de foro compet.* Felin. *in cap. irrefragabili in princ. de offic. ordin.*

ROMANA FRVCTVVM CENSVS.

Veneris 13. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Præscriptio Statutaria Vrbis excipit expresse contractus Censuum.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Vrbis nouum lib. 1. cap. 158. excipit contractus Censuum: & in cap. 159. non comprehendit contractum iuratum, & num. 2.*

3 *Quamuis præstationibus non sufficit vnica præscriptio.*

DECISIO CCCLXXXVI.

Domini resoluerunt pro informante, quòd possit petere fructus decursos per spatium 30. annorum

rum ante motam litem à Marerijs. Quia statutum antiquum in hoc casu non habet locum, vt fuit resolutum *in Causa Romana Census de Cafarellis*, 9. Decembris 1587. *coram bon. mem. Gipsio*: Statutum vero no-
1 uum † *in capit.* 158. *lib.* 1. expresse excipit contractus
2 census; & *in cap.* 159. non † comprehendit contractum iuratum, vt fuit resolutum *in Causa Romana pensionis domus* 16. *Iunij* 1598. *coram R.P.D. Lancellotto.*
Circumscripto verò Statuto, iuxta illam opinio-
3 nem, quam Rota sequitur, non sufficit † vnica praescriptio in istis annuis praestationibus, Mohed. *decis.* 190. Put. 259. *lib.* 1. & propterea possunt peti fructus decreti per spatium 30. annorum; quia in illis cessat praescriptio, Socin. Iun. *cons.* 80. *num.* 24. *lib.* 3.

ILLERDEN. IVRIS DECIMANDI.

Veneris 20. *Iunij* 1603.

ARGVMENTVM.

De liquidatione damnorum passorum, & expensarum factarum.

SVMMARIVM.

1 *Inuerisimile est, quòd conductores pluris conduxerint rem, quàm valeant fructus per eos percipiendi, solutis oneribus.*

DECISIO CCCLXXXVII.

Fuit dubitatum, An constet de damnis passis per Doctorem Lamatam. Et Domini concluserunt, nullam adesse difficultatem in illa parte, in qua sententia contra eum lata habuit executionem, & in expensis factis in hoc iuditio, & in hoc remanet solum difficultas, in liquidatione quantitatis, & in taxatione expensarum.

Quantum verò ad illa damna, quae praetenduntur ratione arrendamenti facti, quod propter molestias illatas à Priore, & Canonicis vigore sententiae non habuit suum effectum, tam ratione solutionis pensionis, quam onerum susceptorum per arrendatarios, Domini existimabant non probari istud damnum: quia probandum esset, quòd Doctor non perceperit tantam quantitatem ex fructibus, quae supplere posset defectum arrendamenti, & solutionis onerum:
1 & † omnis verisimilitudo repugnat quòd arrendatarij pluris conduxerint, quàm valerent fructus per eos percipiendi, solutis oneribus, & saltim ad eum spectaret onus docendi, quòd ipse fuerit impeditus vigore sententiae percipere fructus, & quòd alius eos perceperit. Cotta *dec.* 54.

ABVLEN. CAPELLANIAE.

Veneris 20. *Iunij* 1603.

ARGVMENTVM.

De iustitia, & validitate trium conformium.

SVMMARIVM.

1 *Commissio restitutionis in integrum vt afficiat, est producenda in actis, citata parte ad dicendum contra; alias non fit de actis.*

2 *Commissio, quae non est de actis, non est necesse, vt transportetur.*

DECISIO CCCLXXXVIII.

Domini concluserunt constare de tribus sententijs conformibus iustis, & validis; & propterea illas esse exequendas.

Mouebantur: Quia de earum iustitia liquet ex decisionibus in hac Causa factis, contra quas nihil de nouo deducitur, quod sit dignum consideratione. Quia licet sententia Nuncij, contineat canonizationem iuris Petri, & in hoc patiatur difficultatem; tamē continet etiam in capite distincto absolutoriam ob nullitatem praesentationis Francisci; & sententias Rotales, omisso primo capite, verbis claris solum in hac parte confirmant istam sententiam Nuncij. Et propterea non potest dubitari, neque de iustitia, quae in hac parte est clara; neque de conformitate, cùm omnes sententiae idem contineant. Et quamuis in tertia instantia fuerit productum mandatum de prouidendo ad fauorem Francisci; tamen de eo nulla fuit habita ratio, neque facta mentio in tertia sententia: quia illa gratia erat directa Episcopo Abulensi, & non erat purificata, & in Rota fuerat de tecta nulla, & subreptitia.

Nullitas vero, quae deducitur ex defectu transportationis Commissionis restitutionis in integrum, fa-
1 cile tollitur: quia † non fuit producta in actis citata parte ad dicendum contra, & propterea non erat de
2 actis: & † consequenter non erat necessaria transportatio.

ROMANA PECVNIARIA DE SPINOLA.

Lunae 23. *Iunij* 1603.

ARGVMENTVM.

Reijciuntur exceptiones nullitatis, & iniustitiae contra mandatum.

SVMMARIVM.

1 *Iudex non praesumitur se ingessisse in cognitione Causae, nisi habita prius fide deputationis in eius personam.*

2 *Exceptio nullitatis non admittitur post susceptionem termini.*

3 *Exceptiones pendentes à praetensionibus illiquidis, non possunt impedire executionem mandati.*

DECISIO CCCLXXXIX.

Petebat coram me Hieronymus Spinola executionem mandati relaxati ad eius fauorem, per Reu. P. D. Orsinum contra Benedictum eius fratrem. Et quia pro eius parte opponebatur, quòd non erat locus executioni, propter nullitatem mandati relaxati ad instantiam Octauij Spinolae, contra ipsos fratres, & propter iniustitiam, huius secundi mandati contra eum relaxati: Propterea dubitaui, An istud mandatum esset exequendum. Et Domini resoluerunt esse exequendum.

Quantum enim ad nullitates, illę non adsunt; cùm obligatio in forma Camerae fuerit extensa, & decretum fuerit intimatum Benedicto. Et quamuis opponatur etiam defectus iurisdictionis D. Orsini, ex eo, quòd non constat de eius deputatione: tamen iste defectus, non fuit habitus in consideratione: cum ista deputatio sit multum verisimilis, licet in Curia Notarij non fuerit annotata; quia partes coram eo

semper comparuerunt sine oppositione; & Notarius qui debebat esse rogatus de deputatione coram eo,
1 seruauit terminos: & si D. Orsino † non fuisset facta fides de deputatione, non se ingessisset in cognitione huius causæ; vt in his terminis fuit resolutum *in Causa Romana Restitutionis dotis 10. Martij 1599. coram R.P.D. Decano.* Et cessat omnis difficultas: quia A. C. postea mandauit exequi mādatum ab eo relaxatum; & Benedictus suscepit terminum ad soluendum: Et
2 post † susceptionem termini, non admittitur exceptio nullitatis, præsertim turbida ad effectum impediendi executionem.

Quantum vero ad iniustitiam illa, pariter cessat secundum Dominos. Quia cùm hoc debitum, esset commune ipsorum; ad effectum vt Hieronymus posset agere contra Benedictum, non erat necessarium, vt obtineret cessionem in actu solutionis ab Octauio pro tota summa, sed solum pro illa rata, quam soluebat pro ipso Benedicto, & debebat ab eo exigere vigore cessionis: & propterea sufficit ad istum effectū, quòd Hieronymus obtinuerit ab Octauio istam cessionem iurium mandati.

Aliæ verò exceptiones requirunt altiorem indaginem, & pendent † à prætensionibus illiquidis, &
3 ratione bancaria; & propterea non possunt impedire executionem.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 23. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

De probatione satisfactionis debiti.

SVMMARIVM.

1 *Computum si non est vniuersale, non potest ex omissione partitarum inferri satisfactio.*

2 *Coniecturæ, ex quibus suaderi potest, quòd partitæ omissæ in posteriori computo non vniuersali, fuerint annotatæ in alijs computis antecedentibus, & num. 3. & 4.*

DECISIO CCCXC.

POst resolutionem factam in hac Causa, quòd constabat de credito D. Leonis in summa scutorum 9800. circūscriptis fructibus societatum, pro parte Alexandri fuit oppositum de satisfactione: & fundabat intentionem suam in literis quietantijs, & computis pecuniarum, & in depositionibus plurium testium. Et propterea dubitaui, An constaret de ista satisfactione, & in qua summa. Et Dubio hac die per me proposito, vna tantum parte informante, quia Alexander sæpius citatus non curauit informare, Domini resoluerunt, non esse habendam rationem illarum partitarum, quæ fuerunt solutæ ab Alexandro ante vltimum computum, ad effectum extenuandi prædictum creditum scutorum 9800.

Mouebantur: quia Alexander transmisit plures computa ad Ciuitatem Florentiæ de anno 1597. & 1598. & in vltimo legitur, quòd remanet debitor in scutis 104. Et ex isto computo manu ipsius Alexandri resultat secundum Dominos probatio satis concludens, quòd Alexander de tempore istius vltimi computi, non remanebat creditor in istis partitis. Si enim istæ partitæ ei fuissent debitæ, remansisset creditor in notabili summa, & propterea non scripsisset se remanere debitorem in scutis 104.

1 Nec placuit Dominis, quòd istud † computum non est vniuersale; & ideo ex omissione istarum partitarum non potest inferri, quòd Alexander esset satisfactus. Quia ista omissio descriptionis partitarum non processit ex eo, quia computum non sit vniuersale; sed quia præcesserant alia computa, in quibus fuerant compræhensæ istæ partitæ. Et hoc comprobatur pluribus coniecturis, & præsumptionibus vrgentibus, ex quibus cessat omnis difficultas.

2 Et primo, quia † istæ partitæ fuerunt solutæ ante computa præcedentia; & ideo est multum verisimile, quòd fuerint compræhensæ in illis computis.

3 Secundo, quia nulla ratio suadet †, & omnis verisimilitudo repugnat, quòd Alexander voluerit dare computum diminutum in præiudicium ipsius, omittendo partitas claras prius solutas Leoni, & fatendo, quod remanebat debitor in scutis 104. si vere illæ partitæ non fuissent compræhensæ in alijs computis.

4 Tertio, & vltimo, quia † probatur claré, & concludenter, quòd maior pars istarum partitarum, quæ hodie ponitur ab Alexandro, in extenuatione crediti Leonis, fuit compræhēsa in alijs computis, & quod hodie dantur duplicatæ; & respectu aliarum saltim datur magnus fumus: quia ex literis ipsius Alexandri apparet, quòd ipsi solidauit computa de anno 1597. cùm Rinaldo agente Leonis; & quòd in libro ipsius Rinaldi fuerunt descriptæ partitæ, & istæ partitæ fere omnes sunt descriptæ in hoc libro Rinaldi.

Quantum vero ad depositiones, testium, Domini dixerunt, quòd in eis non potest fieri fundamentum: quia non concludunt de certa summa, & aliqui ex eis patiuntur exceptiones, vt bene deducut informantes. Et tanto magis, quia materia redditur multùm inuerisimilis ex istis computis, & alijs coniecturis, vt supra dictum fuit.

BOIANEN. PENSIONIS.

Veneris 27. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Quando non sit locus arbitrio, ad effectum retardandi executionem Literarum Apostolicarum.

SVMMARIVM.

1 *Quando literæ Apostolicæ sunt iustificatæ, non est locus arbitrio; sed sunt exequendæ.*

2 *Iuramentum calumniæ potest præstari à procuratore, habente speciale mandatum.*

3 *Testes examinati ad effectum mandati de manutenendo, non probant in Iudicio executiuo. Secus si remissoria non est restricta ad solum remedium manutentionis, & num. 4. & 6.*

5 *Iustificatio gratiæ non est necessaria pro obtinendo mandato de manutenendo.*

7 *Pro validitate sententiæ, etiam contra ordinem scripturæ, præsumitur quòd præcesserit terminus ad sententiam, nisi probetur concludenter contrarium.*

8 *Pensio est extincta, si exigatur ante expeditionem Literarum Apostolicarum.*

9 *Exceptio exactionis pensionis ante expeditas Literas, si non sit clara, non potest impedire executionem Literarum Apostolicarum.*

10 Cessio

10 *Cessio quando fit ex causa voluntaria, remanent efficacia*
iura directa penes cedentem, donec interueniat vnum ex
tribus requisitis in leg. 3. Cod. de nouation.

DECISIO CCCXCI.

DOmini censuerunt, non esse locum arbitrio, ad
effectum retardandi executionem Literarum
Apostolicarum: Quia iam fuit resolutum quod sunt
1 iustificatæ; & † propterea illi est danda executio,
Cassad. *dec.* 10. *num.* 8. *de rescr.* Mohed. *dec.* 331.

Non obstat, quòd testes, in quibus est fundata
iustificatio, fuerunt nulliter examinati, ex defectu
iuramenti calumniæ, quod iuxta formam remissoriæ
2 debebãt præstari per principalẽ. Quia sufficit, † quòd
iuramentum fuerit præstitum per procuratorem ha-
bentem à principali speciale mandatum ad iurãdum
de calumnia Milis. *in versic. partis appellatione.* Cassad.
dec. 3. *de rescrip.* Chirug. *dec.* 204.

Non obstat, quòd illi testes fuerunt solum exami-
nati ad effectum obtinendi mandatum, de manute-
3 nendo; & † ideo non probant in hoc iudicio execu-
tiuo. Quia Marius in petitione remissoriæ coram
4 A. C. se non † restrinxit ad solum remedium manu-
nutentionis exclusiuè ad executionem Literarum A-
postolicarum: immo dedit articulos concernentes
5 iustificationem totius gratiæ; quæ iustificatio † non
est necessaria pro obtinendo mandato de manute-
nendo. Et propterea illi testes probant in quocunq;
iudicio, & ad quemcunque effectum; vt fuit latè de-
ductum *in Causa Pampilonen. Beneficij de Alle 29. Oc-
tobris* 1576. *coram bon. mem. Lauretano,* in qua allega-
tur doctrina Baldi, & Salic. *in leg. vltima Cod. de testib.*
6 qui in specie dicunt, quòd † depositionibus testium
receptorum ab executore Literarum Apostolicarum
statur in quocunque iudicio.

Non obstat quòd A. C. mandauit fieri diligentias
in regestro, & plumbo, die sequenti, & eadem die te-
nuit terminum ad sententiam, & expediuit causam,
ex quo deducitur nullitas illius sententiæ, vti latæ
pendente termino. Quia cùm non afferatur probatio
concludens, quòd prius fuerit assignatus terminus
7 pro faciendis diligentijs, præsumitur † pro validi-
tate sententiæ, etiam cõtra ordinem scripturæ, quòd
præcesserit terminus ad sententiam. Cin. Bald. & alij
*in leg. cum in testamento, §. hæc verba, ff. de hæred. insti-
tuend.* Cresc. *dec.* 138. Et consequenter cessat nullitas
ex hoc capite: quia non docetur, quod sententia fue-
rit lata pendente termino.

8 Non obstat quòd ista pensio † est extincta propter
exactionem factam à Mario ante expeditionem Lite-
rarum, contra formam decreti. Quia deberet probatio
vtriusque requisiti, quòd pensio sit exacta, etiam
quòd sit exacta ante expeditionem Literarum. Nam
quietantia Marij, in quibus solum in hac positione
fuit factum fundamentum per informantes, pro pro-
batione exactionis, non sunt formiter recognitæ; &
eo minus, secundum Dominos, sunt habendæ in con-
sideratione: quia Marius petijt mandatum de ma-
nutenendo, & non potuit illud obtinere, quoniam
pars opposuit quòd non probatur eius quasi posses-
sessio: & in Rota fuit resolutum illam non probare.
De tempore vero expeditionis post exactionem, non
docetur aliunde, quàm ex diligentijs, quæ non suffra-
gantur, quia non fuerunt factæ in omnibus locis; &
potest esse quòd expeditio fuerit facta per viam se-
9 cretam, vel per Breue, & propterea † cùm ista exce-
ptio exactionis non sit clara, nõ potest impedire exe-
cutionem literarum Apostolicarum.

Non obstat sententia declaratoria irregularitatis
data contra Marium. Quia est sine processu, & non
percutit tempus reseruationis huius pensionis; & di-
citur fuisse latam in contumaciam, & resolutam per
comparitionem.

Non obstat quòd Marius donauit terminos pen-
sionis decursos, & decurrendos vsque ad diem captæ
possessionis. Quia donatio fuit facta absenti, & non
docetur de acceptatione, & ideo non impedit, quod
10 Marius non possit agere: quia † quando cessio fit ex
causa voluntaria, remanent efficacia iura directa pe-
nes cedentem, donec interueniat vnum ex illis tribus
requisitis in leg. 3. *Cod. de nouat.* vt per Doct. *in dict. leg.*
3. Angel. *in leg. facta, §. si hæres, ff. ad Trebell.* Paul. de
Castr. *in leg. si cum emptor, num. 4. ff. de pact.*

ELNEN. HÆREDITATIS.

Veneris 27. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

De appellatione à sententia continente mixturam.

SVMMARIVM.

1 *A sententia continente mixturam datur appellatio.*
2 *Consuetudo, quòd non appelletur à sententia Metropolita-*
ni confirmatoria sententia suffraganei, non valet.
3 *Attentata non sunt reuocanda, quando constat de non iu-*
re petentis reuocationem: sed debet ad hunc effectum con-
stare clarè, & concludenter de non iure, per confessionem
partis, vel per rem iudicatam, & num. 4.
5 *Donec potest constare de iure, non dicitur constare de non*
iure.

DECISIO CCCXCII.

DOmini dixerunt attentata esse clara. Quia cum
1 † sententia contineat mixturam, ab ea daba-
tur appellatio, & propterea decretum executoria-
lium infra decem dies datos ad appellandum, & pos-
sessio illarum vigore capta, non possunt excusari ab
attentatis.

Non obstat consuetudo, in qua fit fundamentum,
quod non appellatur à sententia Metropolitani con-
firmatoria sententiæ suffraganei. Quia illa consue-
tudo neque probatur, cùm testes non deponant de
actibus particularibus, neque probent immemorabi
lem, nec quadragenariam: & tanto magis, cùm in
contrarium dentur depositiones aliorum testium.
2 Neque si esset probata releuaret: quia † non valet
consuetudo quod non appelletur ad Sedem Aposto-
licam, Bald. *in leg. 2. num. 2. Cod. quæ sit longa consu.* Fran-
ch. *in cap. dilecti num. 14. de appell.* & fuit alias resolu-
tum *in Causa Pampilonen. Iuris visitandi 27. Aprilis,*
1583. *coram Reuerendissimo Dom. Patriarcha Alexan-
drino.*

Non obstat quod appellatio fuit deserta. Quia in
facto hoc controuertitur, & saltim attentata essent
reuocanda per viam nullitatis, vt fuit sæpius resolu-
tum.

3 Non obstat, quod cessat † reuocatio attentato-
rum, quando non constat de non iure petentis reuo-
catio-

4 cationem: Quia ad istum effectum † debet clarè, &
concludenter constare de nõ iure, per confessionem
5 partis, vel per rem iudicatam: donec † enim potest
constare de iure, non dicitur constare de non iure.
Egid. *dec.* 103.

TOLETANA DECIMARVM.

Veneris 27. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Decimæ an debeantur Ecclesiæ Parochiali de bonis Regularium.

SVMMARIVM.

1 *De Iure communi debentur Ecclesiæ parochiali Decimæ, etiam de prædijs Regularium alteri locatis: nisi doceatur de exemptione in specie, & num.* 2.

DECISIO CCCXCIII.

PRoposui Dubium in hac Causa, An ex prędijs per
Fratres Dominicanos emptis, & locatis, debeatur
decima Ecclesiæ Parochiali, in cuius territorio
consistunt. Et Domini, vna tantum parte informante,
quia Collegium Sancti Thomæ non curauit informare,
concluserunt decimas deberi Ecclesiæ Paro-
1 chiali: Quia † habet suam intentionem fundatam
In iure communi, *cap. cum contingat, de decim. capit. ad decimas, eod. tit. in 6.* Et tanto magis, cùm per testes
probetur, quòd ex istis prædijs soluebatur decima
Ecclesiæ Parochiali antequam peruenirent in manibus
Collegij: Et propterea, cùm non doceatur de ex-
2 emptione † in specie, quando prædia locantur alteri
à Collegio, iste casus remanet sub dispositione Iuris
communis, secundum quam decimæ debentur Ecclesiæ Parochiali, vt dictum fuit.

TOLETANA CAPELLANIAE.

Veneris 4. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Beneficiatus an teneatur celebrare Missas per seipsũ.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiatus potest celebrare per alium, nisi expressè imponatur onus celebrandi per seipsum.*

2 *Verba fundationis Capellæ directa ad Capellanum, vt debeat celebrare certas Missas, denotant onus celebrationis Missarum iniunctum Capellano: nõ autem obligationem celebrandi per seipsum.*

3 *Executor, quando verba fundationis recipiunt certam interpretationem à Iure, non potest alterare dispositionem fundatoris, imponendo onus Capellano, quòd celebret per seipsum.*

4 *Vacatio Beneficij non inducitur donec durat infirmitas.*

5 *In casu longæ infirmitatis Beneficiati, non est aliquod tempus præfinitum à Iure; sed solùm prouidetur Ecclesiæ, vt interim non careat debito seruitio.*

DECISIO CCCXCIV.

FVit per Dominos distincta materia in tres difficultates. Prima fuit, An sententiæ sint iustæ in illa parte, in qua declaratur Capellanum debere celebrare Missas per se ipsum. Et Domini concluserunt sententias in hoc capite non posse substineri; & propterea esse reuocandas; Quia iuxta allegationem
Lapi 35. & resolutiones Congregationis Illustrissimorũ
Cardinaliũ Sacri Concilij Tridentini Interpretum, & plures resolutiones factas in Rota in hac ma-
1 teria, † nisi hoc onus expresse imponatur Beneficiato,
vt celebret per seipsum, potest celebrare per aliũ:
quoniam eodem modo satisfit voluntati testatoris,
siue Beneficiatus celebret per se ipsum, siue per aliũ.
2 Et hoc locum habet † quamuis verba fundatoris
sint directa in personam beneficiati, illum grauando,
vt debeat celebrare certas Missas: quia ista verba
apponuntur ad effectum denotandi obligationem, &
onus celebrationis Missarum iniunctum Beneficiato,
& non ad effectum inducendi grauamen in persona
ipsius, vt debet celebrare per se ipsum, vt fuit resolutum
in Causa Romana Capellaniæ 23. Ianuarij 1589. *coram R. P. D. meo Decano.*

Secunda difficultas fuit, An saltim sententiæ in
hac parte possent defendi ab iniustitia, propter declarationem
executoris, quod Capellanus debeat celebrare
per se ipsum. Et in hac difficultate Domini
tenuerunt, quòd cùm executori in fundatione non
3 sit data ista facultas, & † verba fundationis recipiant
certam interpretationem à Iure, non potuit executor
alterare dispositionem ipsius fundatoris, imponendo
hoc onus Capellano, quòd celebret per se
ipsum Felin. *in cons.* 229. *inter cons.* Rimin. Sen. *lib.* 2. &
propterea sententiæ neq; ex hoc capite possunt excusari
ab iniustitia. Et hoc eo magis dicendum est,
secundum Dominos, quia ista declaratio executoris
non est fundata in voluntate fundatoris, neque in
aliqua ratione. Cùm enim fundator non fecerit aliquam
distinctionem, nec dederit specialem facultatem
executori, si illa erat mens testatoris, idem onus
celebrandi per se ipsum, debebat subire ipse executor,
qui tunc erat Capellanus: & nihilominus ipse
sibi reseruauit hanc facultatem celebrandi per alios,
& ligauit solum suos successores.

Tertia, & vltima difficultas fuit, An vltima sententia
sit iniusta in illa parte, in qua declaratur esse locum
vacationi Capellaniæ, si elapsis duobus annis, in
quibus Gaspari datur facultas celebrandi per alium
propter infirmitatem, constiterit infirmitatem esse
incurabilem. Et Domini censuerunt sententiam in
4 hac quoque parte esse iniustam. Quia † donec durat
infirmitas, non inducitur vacatio beneficij, præsertim
5 simplicis: nec in hoc † aliquod tempus est præstitutũ
à iure, sed solum prouidetur Ecclesiæ, vt interim non
careat debito seruitio, *capit. Pontifices*, & *ibi* Archid.
Præpos. & Turrecr. 7. *quæst.* 1. Et propterea concluserunt
sententias esse iniustas, & reuocandas.

PERVSINA DE ODDIS.

Veneris 4. Iulij 1603.

Ponitur hæc Decisio pro continuatione Causæ.

DECISIO CCCXCV.

DOmini habuerunt pro turbida possessionem Dominorum de Mancinis. Quia Gentilis obtinuit mandatum de immittendo Rota, quod fuit executum; & illius vigore Michael Augustinus promisit ei soluere pensionem domus: & datur etiam fides, quòd effectualiter soluit. Et propterea nisi melius iustificetur,

tur, concluserunt, eis non esse dandum mandatum de manutenendo.

PERVSINA DOTIS.

Veneris 4. Iunij 1603.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *In transactione semper aliquid datur, vel retinetur.*
2 *Transactio verisimiliter censetur non habuisse effectum, quando tam ante quam post, fuit semper litigatum, & nunquam oppositum de transactione.*

DECISIO CCCXCVI.

FVit per Dominos resolutum non constare de re-
stitutione dotis. Quia quamuis mandatum ad
transigendum sit multum amplum, & eius vigore
procurator possit exigere incontinenti, id quod
promittitur, etiam quod in mandato hoc non conti-
1 neatur expresse; quia † in transactione semper ali-
quid datur, vel retinetur; nihilominus cùm in transa-
ctione fuerit conuentum, quòd solutio fieret ipsi Gen
tili, vt eius legitimo procuratori, infra certum termi-
num, mandatum secundum Dominos, non extendi-
tur ad istum casum, in quo solutio debebat fieri, ex
interuallo ipsi Gentili. Et cessat omnis difficultas, si
verum est, quòd mandatum ad transigendum fuit re
uocatum à Gentili ante initam transactionem; prout
est multum verisimile: quia tam ante, quàm post tran
sactionem, semper fuit litigatum, & nunquam fuit
oppositum de ista transactione.

PARMEN. STATVS.

Veneris 17. Octobris 1603.

Non eget Argumento, neque Summario.

DECISIO CCCXCVII.

FEci verbum cum Dominis, per memoriale super concessione Dubij, quòd petebant Domini de Rangonibus, An esset adhibenda fides reuocationi examinis Rotalis, factæ Placentiæ de anno 1536. à Ioanne de Vsbertis, Tognino Fasano, & Bernardino Montanino testibus Rangonorum. Et quia Domini de Pallauicinis obtulerunt se paratos velle cedere huic Dubio, Domini mandarunt Ponenti, vt annotet hanc cessionem, & quòd procedatur ad disputationem aliorum Dubiorum. Intellexerunt tamen Domini, quòd circa illos tres testes per istam cessionem non intelligatur illatum præiudicium decisionibus, antea factis, per quas Ioannes, & Togninus fuerunt in totum reiecti, & Bernardinus relictus cùm magna diminutione; Quia decisiones sunt fundatæ in facto reuocationis; quod factum est verum; & nihil commune habet cum hoc Dubio, cui cesserunt Pallauicini.

ANAGNINA VICEDOMINATVS.

Lunæ 27. Octobris 1603.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Ius possessoris non variatur ex mutatione personarum.*
2 *Causa possessionis magis attenditur, quàm exercitium.*
3 *Onus hospitandi, & patrocinandi, spectat ad Vicedominum.*

DECISIO CCCXCVIII.

DOmini resoluerunt, Clero terræ Carpineti, &
litis consortibus, dandum esse mandatum de
manutenendo. Quia testes probant Vicedominos
solitos fuisse recipere hospitio Clericos diœcesis A-
nagninæ, & pro illis præstitisse patrocinium in suis
causis pro seruitio Ecclesiæ. Et ista quasi possessio,
quæ fuit acquisita contra prædecessores, sufficit ad
1 istum effectum; quia † ius possessoris non variatur, ex
mutatione personarum. Guidopap. *decis.* 629. & fuit
pluries in Rota resolutum. Et quamuis non probe-
tur quasi possessio vniuersalis omnium Clericorum;
tamen sufficit quod titulus, & causa possidendi, sit
2 vniuersalis: quia † magis attenditur causa possessio-
nis, quàm exercitium, Mohed. *decis.* 225. *Eluen. Prio-
ratus*: Et hoc eo magis dicendum est, quia Clerus ha-
3 bet assistentiam iuris communis: cùm † illud onus
hospitandi, & præstandi patrocinium, spectet ad Vi-
cedominum, *cap. volumus 89. distinct.*

ELBOREN. ERECTIONIS PAROCHIALIVM.

Mercurij 5. Nouembris 1603.

ARGVMENTVM.

Successor an, & quando, teneatur pro facto prædecessoris.

SVMMARIVM.

1 *Successor non tenetur pro facto prædecessoris, nisi quando iste nomine Ecclesiæ, & vtiliter contraxit: & nisi ad conuersa in vtilitatem Ecclesiæ, & num. 2.*

DECISIO CCCXCIX.

DOmini concluserunt, Modernum Archiepisco-
1 pum non teneri. Quia † successor non tenetur
pro facto prędecessoris, nisi quando prædecessor no-
mine Ecclesiæ, & vtiliter contraxit *cap. 3. de solut.* Ro-
2 ta *decis. 1. de probat. in nou.* Tom. de Tan. *decis.* 33. Et †
nisi ad conuersa in vtilitatem Ecclesiæ, Rota *dec.* 41.
de probat. in antiq. Alciat. *cons.* 14. *num.* 6. & fuit resolu-
tum *in Causa Potentina Quartæ* 5. *Nouembris* 1584. Et
in hoc casu non potest considerari, neq; necessitas,
neque vtilitas Ecclesiæ, stante nullitate dismembra-
tionis.

Addebant etiam Domini, quòd si iustificatur in facto, quòd Capitulum participauerit de decimis forensium vigore huius dismembrationis, de quibus antea non participabat; pro ista rata intraret compensatio, & consequenter non esset locus confirmationi, & executioni sententiarum in totum.

PAPIEN. PRÆPOSITVRÆ.

Mercurij 5. Nouembris 1603.

ARGVMENTVM.

De sententia nulla ex defectu Iudicis recusati, & mandati procuratoris.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata à Iudice recusato ex iustis causis, cum appellatione ab vlteriori processu, est nulla.*

2 *Quan-*

2 *Quando ex vtraque parte sunt electi arbitri, Iudex debet expectare illorum determinationem.*

3 *Arreptio itineris ad Curiam, habet vim prosecutionis appellationis.*

4 *Quando requiritur accusatio, & inscriptio in forma Iuris, & in defectũ probationis succedat obligatio ad pœnam extraordinariam arbitrio Iudicis, non sufficit mandatum generale ad lites, sed est necessarium mandatum speciale, & num. 5.*

DECISIO CCCC.

DOmini sine difficultate concluserunt, sentẽtiam esse nullam. Fundamentum præcipuum nullita-
1 tis fuit: Quia sententia † fuit lata à Iudice recusato
ex iustis causis, cum appellatione ab vlteriori processu. Achil. *dec.* 320. Caputaqũ. *decis.* 35. & 143. *lib.* 1. Paleot. *decis.* 155. & fuit sæpius resolutum: Et hoc eo magis dicendum est: quia Guglielmus elegit arbi-
2 trum pro parte sua, & iudex mãdauit alteri parti, vt
eligeret suum; & ideo iudex debebat expectare determinationem arbitrorum super iustitia, vel iniustitia causarum recusationis, *cap. secundo requiris, §. vltimo de appell. cap. legitima, eod. tit. in 6.* Et tantò magis debebat abstinere, quia fuerat ei intimatum, quòd Guglielmus arripuerat iter ad Curiam: quæ arrep-
3 tio † itineris habet vim prosecutionis appellationis,
Rot. *decis.* 13. *de appell. in nou.*

Placebat & Dominis aliud fundamentum nullitatis, ex defectu mandati procuratoris, qui obtinuit
4 sententiam; quia mandatum est generale ad lites: &
cùm in hoc casu requiratur accusatio, & inscriptio in forma iuris, & in defectum probationis succedat obligatio ad pœnam extraordinariam arbitrio Iudicis, Cresc. *decis.* 161. & fuit resolutum *in Causa Hispalen. Beneficij de Carmona 13. Februarij 1581. coram bon. me-*
5 *mor. Episcopo Lauretano*, ad istum effectum est necessa-
rium mandatum speciale, *leg. si procurator*, & *ibi* glos. & Ias. *numer.* 4. & 5. *ff. de condic. indeb.* Lap. *alleg.* 127. *num.* 5. Capell. Tolos. *quæst.* 477.

MONTIS REGALIS IVRISDICTIONIS.

Lunæ 17. Nouembris 1603.

ARGVMENTVM.

Libertas quando censeatur præscripta à subiectione.

SVMMARIVM.

1 *Immemorabilis excluditur per actus contrarios infra centum annos.*

2 *Titulus libertatis, seu exemptionis, reducitur ad non titulum, quando status præcedens est extinctus per subiectionem posteriorem postea subsecutam.*

3 *Ex obseruantia difformi, non oritur titulus sufficiens ad præscriptionem.*

4 *Quando subiectio alicuius Ecclesiæ est effectuata ad fauorem Metropolitani, non sufficit ad acquirendam libertatem, non vsus, & negligentia non vtentis: sed sunt necessarij actus positiui contrarij seruituti, directi ad libertatem acquirendam, cum scientia, & patientia non vtentis: Et, quòd ex illis actibus constet Ecclesiam illam à Sede Apostolica fuisse habitam vti sibi subiectam, & nu. 5. & 9.*

6 *Commissio Causæ excludit acquiescentiam.*

7 *Actus æquiuocus non sufficit ad inducendam exemptionem.*

8 *Non interuentus Suffraganei ad Synodum non releuat ad effectum exemptionis Ecclesiæ, nisi probetur conuocatio ipsius, & quòd noluerit accedere, eo quia prætendebat se non esse Suffraganeum, &c.*

10 *Pro subiectionis validitate est necessaria citatio, & consensus Capituli, & Cleri. Contrarium num. 11.*

12 *Quando Gratia subiectionis Ecclesiæ est concessa in Consistorio, & concurrunt cum antiquitate temporis plures actus positiui; tunc præsumitur scientia, & consensus Capituli, & Cleri.*

13 *Libertatis præscriptio præsupponit subiectionem.*

DECISIO CCCCI.

POsteaquam fuit firmatum in hac Causa per plures resolutiones ad fauorem Ecclesiæ Montis regalis, quòd probatur concludenter subiectio Ecclesiæ Cathanensis, in eius Suffraganeam, & effectuatio subiectionis ex varijs, & diuersis actibus, qui in decisionibus bene deducuntur; Opponebatur contra Reuerendissimum Archiepiscopum pro parte Capituli, & Cleri Cathaneo: quòd erat præscripta libertas ab hac subiectione. Et quamuis in vltima decisione hoc fundamentum fuerit exclusum; nihilominus, quia in tertia instantia coram me, instabãt super hoc particulariter audiri; volui eis satisfacere: Et propterea dedi dubium, An constet de legitima præscriptione. Et Causa hac die proposita, & per omnes Dominos diligenter discussa, fuit concorditer resolutum, non constare de legitima præscriptione.

Mouebantur: Quia si in hoc casu est necessaria immemorabilis, aut quadragenaria cùm titulo, prout fuit resolutum, materia nullam prorsus habet difficultatem: quia immemorabilis non probatur, &
1 in hoc casu est improbabilis, cùm † dentur actus con
trarij infra centum annos, qui illam excludunt, vt fuit resolutum coram me *in Causa Tirasonen. Iurisdictionis de Tudela.* Quadragenaria vero cùm suis requisitis minus probatur, neque adest titulus sufficiens: quia constitutio Alexandri Tertij, in qua fit fundamẽtum vltra, quod non est in forma probanti, præcedit su-
2 biectionem Lucij Tertij. Et ideo, † cùm status ille
præcedens esset extinctus per subiectionem posteriorem executam, ille titulus fuit redactus ad non titulum, & non potest amplius suffragari ad istum effectum. Innoc. *in cap. cum olim in princ.* & *ibi* Host. *col.* 2. & Egid. *num.* 2. *de præscr.*

Et hoc eo magis dicendum est, secundum Dominos: quia de anno 1314. de quo tempore Ecclesia Catanien. erat regularis, Monachi constituerunt procuratorem ad comparendum nomine Ecclesiæ, & Capituli coram Metropolitano: & iste actus voluntarius, qui datur de nouo, est de directo contrarius titulo, qui allegatur: quia cùm non doceatur, neq; prætendatur à Capitulo, & Clero, quòd ista Ecclesia fuerit data pro suffraganea alteri quàm Archiepiscopo Montis regalis, non potest intelligi de alio, quàm de Archiepiscopo Montis regalis; & saltim excludit illum titulum anteriorem, quia probat clarè quòd Capitulum de illo tempore sine cõtradictione recognoscebat aliquem Metropolitanum in superiorem, & non prætendebat titulum exemptionis, & libertationis ab ista subiectione vigore illius constitutionis,

Et

Et iste actus comprobatur ex prohibitione vsus pal-
lij quo antea Episcopus Catanen. vtebatur, & po-
stea non apparet quod amplius vsus fuerit, & ex alijs
actibus in decisionibus deductis; quibus, si subiectio
non fuisset effectum sortita, & ille titulus potuisset
suffragari Episcopis, & Ecclesiæ fuisset pro eorum
parte contradictum in materia tam præiudiciali; &
non acquieuissent prohibitioni vsus pallij, neq; alij
actus habuissent effectum. Et quamuis dentur ali-
quæ prouisiones Sedis Apostolicæ, factæ de hac Ec-
3 clesia tanquam immediate subiecta; tamen † ex eis
non oritur titulus sufficiens ad præscriptionem; quia
dantur aliæ factæ in contrarium, tanquam de suffra-
ganea, & subiecta Archiepiscopatui Montis regalis:
& istæ etiam sunt plures numero. Et propterea in
ista obseruantia difformi non potest fieri fundamen-
tum.

Circumscripto etiam hoc fundamento, quòd sit
necessaria immemorabilis, vel quadragenaria cum
titulo, Dominis placebat eadem opinio: quia non
concurrunt alia requisita necessaria ad præscriptio-
nem inducēdam. Cùm enim Archiepiscopus habeat
fundatam suam intentionem in subiectione effectua-
4 ta, non † sufficit in hoc casu non vsus, & negligentia
non vtentis, sed sunt necessarij actus positiui contra-
rij seruituti, & directi ad acquirendam libertatem,
cum scientia, & patientia Archiepiscopi; vt in simili-
bus terminis fuit resolutum *in Causa Imolen. Iurispa-
tronatus 19. Octobris 1579. coram bon. mem. Laurettano;*
5 Requiritur, etiā quòd ex † illis actibus constet, à Se-
de Apostolica Ecclesiā Cathanien. fuisse habitam, vti
subiectam Sedi Apostolicæ, cùm agatur de acquiren-
da libertate à subiectione Archiepiscopi ad effectum
immediatæ subiectionis Sedis Apostolicæ. Felin. *in
cap. cùm non liceat, sub num. 11. de præscript.* Balb. *de
præscript. 1. par. 5. par. princ. quæst. 52. num. 1. 2. & 3.*
Et nullum ex istis requisitis in hoc casu verificatur.

Non obstat vnicus actus, per quem Archiepisco-
pus fuit impeditus visitare. Quoniam Archiepisco-
pus Causam commisit, & contradixit; & propterea
6 iste actus non suffragatur Capitulo, & Clero: quia †
Commisio Causæ excludit acquiescentiam Archie-
piscopi, quæ est necessaria: Et tanto magis, cùm pro-
pter defectum actorum non constet, quem exitum
habuerit illa lis. Vltra quod iste actus non admissio-
nis ad visitationem, est valde turbidus, cùm non ap-
pareat ex forma Commissionis, quod fuerit deductū
in controuersiam ius Metropoliticum; & potius se-
cundum Dominos videtur deducta in cōtrouersiam,
7 Causa visitationis: & saltim sufficit † ad istum effe-
ctum, quòd iste actus sit æquiuocus.

Non obstat, quòd Episcopi Cathanienses non in-
8 teruenerunt Synodis. Quia hoc † non releuat, nisi
probetur, quod Episcopi fuerint vocati ad Syno-
dū ab Archiepiscopo, & noluerint accedere eo; quia
prætendebant se non esse eius suffraganeos. Bald. *in
cap. licet num. 1. versic. nota quod vassallus, si de feud. fue
rit contron. inter dom. & agn.* Natta *cons. 118. num. 9.*
Præterea potest esse quòd Episcopi Catanenses, de
illo tempore essēt absentes, vel legitimè impediti, ita
9 vt non potuerint interesse Synodis. Vltra quod † isti
actus non suffragantur sine scientia, & voluntate Pa-
pæ, vt supra dictum fuit, quem in hoc casu non pro-
batur.

10 Nō obstat quòd † pro validitate subiectionis erat
necessaria citatio, & cōsensus Capituli, & Cleri. Quia
ista obiectio concernit nullitatem tituli subiectionis,
& non præscriptionem, de qua hodie agitur: & Do-
11 minis non fuit visa digna consideratione: quia in †
hac materia, quæ ex sui natura est præiudicialis, &
conceditur ex gratia à Sede Apostolica; non requiri-
tur citatio, & consensus. Egid. *in cap. inter quatuor num.
3.* & *ibi* tradunt etiam alij *de maior. & obed.* Et cessat
12 omnis difficultas; quia † cum gratia sit concessa in
Concistorio, & concurrant tot actus positiui cum an-
tiquitate tanti temporis; ista inducunt præsumptio-
nem scientiæ, & consensus Capituli, & Cleri.

Non obstat fundamentum, quod fit super cogni-
tione Causarum in secunda instantia. Quia iste fuit
abusus ex quo non infertur ad ius Metropoliticum,
neque, quòd Episcopi fuerint potius immediate su-
biecti Sedis Apostolicæ, quàm Suffraganei Archiepi-
scopi; quoniam non potuissent cognoscere Causas
appellationum interpositas à Vicario Generali, etiā
si fuissent immediate subiecti Sedi Apostolicæ.

Non obstant alia multa, quæ deducuntur per in-
formantes: Quia inferunt ad exclusionem subiectio-
nis ab initio, & ad non ius Archiepiscopi, & non ad
13 præscriptionem † libertatis, quæ præsupponit su-
biectionem, & tolluntur ex decisionibus iam factis,
& ex his, quæ deducuntur per informantes in respon
sionibus.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS DE TVDELA.

Veneris 14. Nouembris 1603.

ARGVMENTVM.

De actibus compatibilibus vel incompatibilibus cū sententia. Vide Decis. 385.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio est de lege iurisdictionis.*
2 *Dispensatio est preambulum necessarium, sine quo non po
test perueniri ad collationem ordinum.*
3 *Archiepiscopus non potest dispensare, cum subditis sui
Suffraganei.*
4 *Dispensatio exerceri nequit cum non subdito.*
5 *Facultas conferendi ordines, & dispensandi cum illegiti-
mo, competit soli Episcopo.*
6 *Licentia abeundi ab Ecclesia, debet necessario obtineri ab
Episcopo.*

DECISIO CCCCII.

PRosequendo disputationem cœptam, fuit dubita-
tū, An duo actus de anno 1365. & de anno 1368.
sint incompatibiles cum sententia. Et Domini con-
corditer concluserunt non esse incompatibiles.

Quantum ad primum actum fundamentum reso-
lutionis fuit: quia quamuis in sententia tribuatur om
1 nimoda iurisdictio Decano, & † dispensatio sit de le-
ge iurisdictionis, vt per Doct. *in cap. at si Clerici, §. si
de adulterio de iudic.* tamen cum iste actus, contineat
collationem primæ tonsuræ in persona illegitimi, qui
eget dispensatione pro validitate Clericatus; in hoc
casu particulari Episcopus ad quem spectat collatio
ordinum, poterat dispensare super defectu natalium,
2 quamuis iurisdictio spectet ad Decanum: quia † dis-
spen-

ſpenſatio eſt præambulum neceſſarium, ſine quo non poteſt perueniri ad collationem ordinum. Et pro iſta opinione placebat Dominis dictum Felin. *in cap.*
3 *Paſtoralis, ſub num. 7. de offic. ord.* quòd licet † Archiepiſcopus non poſſit diſpenſare cùm ſubditis ſui ſuf-
4 fraganei, quia † diſpenſatio exerceri non poteſt cùm non ſubdito: tamen in illis caſibus, in quibus Archiepiſcopus habet facultatem iudicandi, ei competit etiam facultas diſpenſandi.

Non obſtat quòd Decanus poteſt concedere literas dimiſſoriales. Quia facultas conferendi Ordines non prætenditur à Decano, neque continetur in ſen-
5 tentia; & † competit ſoli Epiſcopo: & ex iſta facultate oritur in neceſſarium antecedens facultas diſpenſandi cùm illegitimato pro validitate collationis.

Circa ſecundum actum, ratio potiſſima deciſionis
6 fuit: quia licentia † neceſſario debebat obtineri ab Epiſcopo, ſaltim ratione Canonicatus, quem Lupus obtinebat in Eccleſia Cathedrali: & tanto magis, quia reſidendo in ea vti Eccleſia majori percipiebat etiam fructus Cantoriæ Abb. *in cap. extirpandæ, §. quia vero, numer. 5. de præbend.* Et verba licentiæ non ſunt omnino clara, quod in abſentia concedantur fructus Cantoriæ, cùm illa verba *Cantori, &c.* poſſint intelligi demonſtratiuè; & propterea iſte actus eſt turbidus. Et tanto magis, quia neque eſt clarum, quòd concedantur aliqui fructus in abſentia: quia licet petitio fructuum contineatur in ſupplicatione, tamen in conceſſione, quæ attenditur, non fit aliqua mentio de fructibus. Et ceſſat ſecundum Dominos omnis difficultas: quia non probatur ſcientia Decani iſtius licentiæ; nec conſtat, quòd Lupus ea vſus fuerit eundo ad ſtudium, & percipiendo fructus in abſentia: & ſine ſcientia Decani, & effectuatione, non poteſt dari incompatibilitas.

OSCEN. INDVLTI.

Mercurij 19. Nouembris 1603.

ARGVMENTVM.

Epiſcopus Oſcenſis an poſſit abſque concurſu examinare, & approbare Lectorem, & Pœnitentiarium.

SVMMARIVM.

1 *Concurſus examinis in Lectore, & Pœnitentiario, non eſt neceſſarius.*

2 *Concilium Tridentinum expreſſit caſus, in quibus voluit fieri concurſus examinis.*

3 *Quando eſt eligendus ad aliquam Dignitatem magis nobilis, vel magis graduatus, non eſt neceſſarius concurſus formalis: ſed ſufficit quòd Epiſcopus per ſe ipſum ſe informet de iſtis qualitatibus.*

DECISIO CCCCIII.

POſt plures reſolutiones factas in hac Cauſa, dubitaui, An Epiſcopus Oſcen. poſſit in prouiſione, quæ continetur in literis ſanctæ mem. Pij Quinti abſque examine in concurſu examinare, & approbare Lectorem, & Pœnitentiarium. Et Domini fuerunt concordes, quòd Epiſcopus poſſit ſine concurſu examinare, & approbare Lectorem, & Pœnitentiarium.

Mouebantur potiſſimum: quia in dictis literis Pij Quinti habetur relatio ad decreta Sacri Concilij Tri-
1 dentini, & ad literas fel. record. Sixti Quarti, & † huiuſmodi concurſus non eſt neceſſarius neq; iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij, neque iuxta formam Literarum Sixti Quarti.

Quantum ad Concilium, illius diſpoſitio eſt clara: quia *in cap. 1. ſeſſ. 5. & in cap. 8. ſeſſ. 24.* in huiuſmodi prouiſione remittitur nominatio, & examen iudicio
2 ſolius Epiſcopi: & † Sancta Synodus in illis caſibus, in quibus voluit quod fieret concurſus, hoc expreſſit; vt *in cap. 18. ſeſſ. 24.*

In Bulla vero Sixti Quarti, nihil dicitur de concurſu; & iuxta interpretationem datam à Sacra Congregatione, & à Rota, Mens ſanctæ mem. Pij Quinti non fuit per ſuam relationem tollere Epiſcopo facultatem nominandi contra decreta Concilij; quæ facultas tolleretur, ſi eſſet neceſſarius concurſus formalis: ſed intellexit ſolum, quòd ſeruarentur Literæ Sixti Quarti, quo ad alias qualitates gradus, & nobilitatis. Et quamuis in ea contineatur, quòd inter nobiles eligatur magis nobilis, & inter graduatos magis
3 graduatus; tamen ad iſtum effectum † non eſt neceſſarius concurſus formalis; ſed ſufficit, quòd Epiſcopus de iſtis qualitatibus ſe informet ex ſe ipſo, & ſuſcipiat probationes ſine concurſu. Et in hoc placuit deciſio noſtra *8. de probat. in nou.* quæ allegatur per informantes.

Non obſtat, quòd Literæ Sixti Quarti fuerunt extenſæ per Leonem X. ad Regna Granatæ, & Nauarræ, & iuxta formam Literarum Leonis, debet fieri prouiſio per cõcurſum. Quia in Bulla Pij Quinti non habetur relatio ad Bullam Leonis, ſed ad Bullam Sixti Quarti, in qua nihil dicitur de concurſu, ſed præferuat ſolum qualitates gradus, & nobilitatis.

Non obſtat deciſio *in Cauſa Burgen. de Riuaredonda.* Quia in illo caſu erat neceſſarius concurſus, propter formam Conſtitutionis Synodalis.

ROMANA DOTIS, ET LEGATI.

Veneris 28. Nouembris 1603.

ARGVMENTVM.

Legatum dotis in quo caſu extinguatur in totum.

SVMMARIVM.

1 *Legatum dotis, regulariter, non extinguitur in totum, ſed tantum pro concurrenti quantitate; ſi teſtator in vita collocat nuptui filiam, & ei dat partem dotis legatæ.*

2 *Contrarium quando ex coniecturis conſtaret de contraria mente teſtatoris.*

3 *Verba, & non aliud, in promiſſione dotis, important; quòd nil aliud filia petere poſſit occaſione dotis legatæ.*

4 *Dilectio teſtatoris, & cohabitatio cum filia, & ſuperuiuentia ſine mutatione teſtamenti; ſunt ſigna æquiuoca, & non probant concludenter mutationem prioris voluntatis. Tanto magis, ſi teſtator obijt morte repentina, ita vt non potuerit mutare teſtamentum, & num. 5.*

DECISIO CCCCIV.

FVit per Dominos reſolutum, reſiduum legati non deberi. Potiſſimum fundamentum reſolutionis
1 fuit: quia quamuis regulariter † legatum dotis non extinguatur in totum, ſed ſolum pro concurrenti quãtitate, quando teſtator in vita collocat nuptui filiam; & ei dat partem dotis ipſius legatæ, *l. de filia legatorum,*

&

& *ibi* Bald. Cuman. Iaſ. & alij, *Cod. de. legat.* Soc. Iun.
in conſ. 79. num. 1 12 *lib.* 3. Couar. *in cap. offitij num.* 10.
de teſtam. & fuit late deductum *in Cauſa Romana de*
Maſtinis 5. Iulij 1599. coram R. P. D. meo Iuſto: Tamen
2 iſta opinio † non habet locum, quando conſtat, ex
coniecturis de contraria voluntate teſtatoris, à qua
pendet tota iſta materia vltimarum voluntatum, *leg.*
cum ipſius, & ibi Bald. & alij, *Cod. famil. hercif.* Illuſtriſ-
ſimus Cardinalis Mantica, *de coniect. vlt. volunt. lib.* 12.
titul. 1. *num.* 23.

Videbatur autem Dominis in hoc caſu non poſſe
dubitari, quòd teſtator receſſerat a priori illa volun-
tate: quia reſtrinxit promiſſionem dotis, ad ſcuta
3 3500. & non aliud: quæ verba, *& non aliud*, ſunt †
appoſita ad iſtum effectum, vt nihil amplius petere
poſſet occaſione legati. Et hoc eo magis dicendum
eſt: quia Franciſcus ſe cautelauit cum ampliſſima
renunciatione, vt filia non poſſet habere regreſſum
ad eius bona, vltra iſtam dotem; & voluit vt in hac
ſumma imputarentur legatum ſcutorum mille auri,
& fructus; ad effectum, vt filia neque etiam poſſet exi
gere ſibi debitum aliunde, quàm ex ſubſtantia pater
na. Quæ etiam oſtendunt clarè, quòd Franciſcus
tempore dotationis nolebat quòd filia haberet ali-
quid amplius ex ſua hæreditate, & propterea, cùm
habeamus eius voluntatem claram tempore dotatio
nis recedendi à Legato, neceſſarium eſſet oſtendere
per contrariam probationem, vel ſaltim per conie-
cturas concludentes, quòd poſtea receſſerit ab iſta
mutatione prioris voluntatis, & quòd voluerit quòd
Lauinia haberet, & reſiduum legati. Et iſtæ conie-
4 cturę ſecundum Dominos non adſunt: quia † dilectio
teſtatoris, & cohabitatio cum filia, & ſuperuiuentia
ſiné mutatione teſtamenti, ſunt ſigna æquiuoca, &
non probant concludenter mutationem prioris vo-
luntatis; vt fuit reſolutum coram me *in Cauſa Montis*
Faliſci Dotis 19. Ianuarij 1601. Et tanto magis, quia
5 Franciſcus obijt morte repentina: itaut non potue-
rit mutare teſtamentum. Cagnol. *in auth. ex cauſa*,
num. 149. Cod. de lib. præter.

Non obſtant Doctores, qui allegantur per infor-
mantes. Quia non tangunt iſtam difficultatem, quan
do teſtator tempore dotationis, receſſerat à priori
voluntate reſpectu reſidui; & poſtea deceſſit cum
teſtamento.

ROMANA DE MARGANIS.

Lunæ 1. Decembris 1603.

ARGVMENTVM.

De probatione aditionis hæreditatis cum beneficio
legis, & inuentarij.

SVMMARIVM.

1 *Coniecturæ plures, ex quibus probatur identitas rei.*
2 *Hæredem quem eſſe concludenter, probatur per venditio-*
nem ab ipſo factam bonorum hæreditariorum.
3 *Prætendens ſe eſſe hæredem cum beneficio legis, & inuen*
tarij, tenetur hoc probare plene, & concludenter.
4 *Fideicommiſſarius debet accipere poſſeſſionem, vel de*
manu hæredis, vel auctoritate Iudicis.

DECISIO CCCCV.

FVit dubitatum, An probetur, quòd D. Fabius ad-
iuerit hæreditatem Baptiſtæ eius patrui: Et præ-
ſuppoſito quòd ſic, An illam adiuerit cum benefi-
cio legis, & inuentarij. Pro cuius Dubij reſolutione
Domini firmarunt aliquas concluſiones.

Et primò, quòd ſatis verificatur, quòd Vinea, &
platea in foro piſcium, venditæ à Fabio, fuerunt poſ-
ſeſſa à Baptiſta, Hoc enim probatur, ex depoſitio-
nibus teſtium; & coadiuuatur, quantum ad Vineam,
ex quietantijs Baptiſtæ de anno 1569. & ex eo quòd
venditio fuit facta à Fabio hærede Baptiſtæ.

Secundò fuit firmatum, conſtare de identitate,
quòd iſta Vinea, & Platea, ſunt illæ, quæ poſſideban-
tur à Baptiſta: Quia de Vinea non dubitatur, &
quantum ad plateam, identitas probatur, ex pluri-
1 bus coniecturis: quia † eſt in foro piſcium, & fami-
liæ de Marganis; & non conſtat, quòd Baptiſta, vel
alij de Marganis, habuerint alias plateas in eodem
loco, Soc. Iun. *conſ. 127. num. 29. lib.* 3. & fuit reſolu-
tum *in Cauſa Ciuitatis Caſtelli bonorum 5. Martij 1597.*
coram R. P. D. meo Decano.

Tertiò, & vltimo loco firmarunt, nō probari quòd
fuerint relicta in bonis Iacobi, qui fecit fideicommiſ-
ſum. Quia reſpectu plateæ, nulla adeſt probatio: &
circa Vineam, datur ſolum depoſitio duorum teſtiū;
quorum vnus deponit de auditu, in materia non an-
tiqua; & in contrarium multum facit inuentarium
bonorum Iacobi, in quo non reperitur deſcripta iſta
Vinea. Et ex iſtis concluſionibus, Domini infere-
bant, quòd cùm ſocietas probet concludenter, quòd
2 Fabius † fuit hæres Baptiſtæ, per venditionem iſto-
rum bonorum, Put. *deciſ. 447. lib.* 1. Si Fabius præten-
3 dit † ſe eſſe hæredem cum beneficio legis, & inuenta-
rij, ei incumbit onus probandi plenè; & conciuden-
ter. Et iſta probatio non adeſt: quia enunciatiuæ, in
quibus fit fundamentum ad iſtum effectum, non
ſuffragantur; cùm ſocietas non fundet intentionem
ſuam in illis Iuribus, in quibus continentur enuncia-
tiuæ: Et tanto magis, cùm enunciatiuæ non ſint anti-
quæ, & ſoleant apponi pro cautela à procuratori-
bus, & facile poſſit oſtendi inuentarium, ſi fuit fa-
ctum.

Non obſtat, quod Fabius exiſtimauit, quòd iſta
bona eſſent Iacobi fideicommittentis, & quòd non
intellexit illa poſſidere vti bona Baptiſtæ. Quia in
hoc non ſtatur ſuæ aſſertioni: & tanto magis, quia
vigore fideicommiſſi non potuit poſſidere, niſi oſten
4 dat quòd † acceperit poſſeſſionem de manu hęredis,
vel cùm auctoritate Iudicis. Rom. *conſ.* 247. & fuit
reſolutum coram me *in Cauſis Romana Caſalis, & A-*
nagnina Legati.

ROMANA PIGNORVM.

Lunæ 1. Decembris 1603.

Vide Argumentum Deciſionis. 327.

SVMMARIVM.

1 *Capitula facultatum conceſſarum Hebræis mutuandi cum*
vſura; non omnia ſunt inter ſe correſpectiua.

DECISIO CCCCVI.

DOmini dixerunt, quòd disputando Dubium in abstracto, omnia capitula non sunt inter se correspectiua: quia multa ex eis continent diuersa fa-
1 cta, quorum vnum non venit ad determinationem alterius; & multa nihil commune habent cum illis capitulis, in quibus datur forma circa constitutionem pignoris. Et hoc etiam admittunt informantes pro Christianis, & materia nullam habuit difficultatem apud Dominos.

PARMEN. STATVS.

Veneris 5. Decembris 1603.

ARGVMENTVM.

De exceptionibus contra testes.

SVMMARIVM.

1 *Habitatio est potissima causa subiectionis, & iurisdictionis actiua, & passiua.*

2 *Ratione habitationis quis efficitur subditus, licet non præstiterit iuramentum fidelitatis.*

3 *Terribilitas quomodo probetur.*

4 *Delicta plura habentia tractum successiuum, non solent committi, neque venire ad notitiam eodem tempore.*

5 *Probatio in specie prævalet probationi in genere.*

6 *Instructio testium, licèt nihil mali contineat, ostendit tamen affectionem instruentis erga eum, ad cuius instantiam testes examinari debeat.*

7 *Subditus non repellitur, regulariter, à testificando, ratione tantum iurisdictionis. Limita vt num. 8.*

9 *Contrarietates nonnullæ recensentur in dictis testium.*

DECISIO CCCCVII.

IN Dubio per me proposito in hac Causa, an Cæsar della Vella sit testis idoneus, & quæ fides illi sit adhibenda; quia per informantes hinc inde plures excitabãtur difficultates; Domini firmarunt aliquas conclusiones.

Et primò, quòd satis verificatur, quòd Cæsar tempore examinis erat subditus Comitis Ludouici; quia ex eius depositione constat, quòd fuit natus, & educatus in Castro Tibelli; & quod tempore examinis habitabat in Castro Rocchæ Blanchæ, quod tenebat
1 Comes Ludouicus: & † habitatio est potissima causa subiectionis, & iurisdictionis passiuæ. Bal. *in rub. C. si à non compet. iudic.* & late deducit Rol. à Valle *in consil.* 53. *num.* 2. *&* 3. *lib.* 2. Et quamuis haberet etiam domum in Ciuitate Parmæ, in qua sumpserat tempore Paschatis sanctissimã Eucharistiam; tamen ista non excludunt subiectionem tempore examinis: quia ipse clarè affirmat, quod est habitator Rocchæ Blanchæ: neque in hoc casu ad istum effectum suffragantur Statutum Ciuitatis Parmæ, & exemptio felic. rec. Clementis Septimi: quia non probatur, quòd Cæsar esset ciuis vel incola Ciuitatis Parmæ.

Non obstat quòd Cæsar non præstitit iuramentum
2 fidelitatis. Quia hoc † argumentum non concludit, quòd interim ratione habitationis, non esset subditus.

3 Secundo fuit firmatum † constare de terribilitate Comitis Ludouici, & quod timebatur à subditis; quia Raymundus de Pizzo, testis Rangonorum, examinatus de anno 1532. deponit quòd venit ad testificandum ob timorem, quem habet de Comite Ludouico: & Peregrinus de Ferrarijs, alius testis Rangonorum, deponit, quòd si non esset sub dominio, & potestate Comitis Ludouici, non testificaretur in hac Causa: & iuxta interrogationẽ deponit: *El non è zà troppo bon Signore per noi, nè discretione vsa con noi*, & subdit, quòd cùm se excusaret ad effectum vt non subijceretur examini, quia pauca sciebat in hac Causa; Comes Ludouicus ei dixit: *Eghe ti farò andar ben mi.* Et ista probatio multum coadiuuatur ex Commissione obtenta de anno 1535. ad instantiam procuratoris fiscalis Cameræ Apostolicæ, in qua narrantur multæ graues imputationes, & diuersa delicta Comitis Ludouici; & illius vigore fuit monitus ad personaliter comparendum: & postea de anno 1536. Sanctæ mem. Paulus Tertius ne incolæ Castri Tibelli indebitè grauarentur, per suum Breue commisit, vt nomine Sedis Apostolicæ auocaretur possessio illius Castri à Comite Ludouico, quia plura damna intulerat subditis, & alia multa, & diuersa pessimi exempli commiserat. Et istud Breue fuit habitum in magna cõsideratione à Dominis: quia est fundatũ in excessibus Comitis Ludouici: &, si causæ in eo expressæ, non fuissent veræ, & notoriæ, Papa eum non priuasset sine causa possessione Castri. Et quamuis ista non percutiant tempus examinis, sed quatuor, vel quinque annos post examen; tamen inferunt retro ad tempus examinis: quia tot delicta habent tractum suc-
4 cessiuum, & † non solent committi, neque venire ad notitiam eodem tempore; nec in tam breui spatio est verisimilis tanta mutatio vitæ.

Non obstat, quòd alij testes affirment Comitem Ludouicum esse bonum dominum, discretum, & liberalem, & quod non habent timorem Comitis Ludo-
5 uici. Quia † prævalet contraria probatio in specie, quæ deducitur ex depositione propriorum testium Rangonorum; & coadiuuatur ex Commissione, & Breui de anno 1535. & 1536. & ex facto illius Bini; de quo deponit presbyter, Baptista examinatus ad instantiam Rangonorum.

Non obstat quòd aliàs terribilitas Comitis Ludouici non fuerit habita pro probata. Put. *dec.* 380. *lib.* 3. Quia tunc non fuerunt ista omnia deducta; nec apparet quod fuerit habita consideratio istorum testium, ex quorum depositione deducitur terribilitas.

Tertio firmarunt Domini, quòd Cæsar non erat bene affectus erga Pallauicinos: Quia Vincentius Mantuanus deponit de visu, & auditu in Castro Tibelli, quòd Cæsar erat inimicus capitalis Pallauicini, & maximo odio eum & fratres prosequebatur: quia Pallauicinus armatus armis offensiuis eum insecutus fuerat animo verberandi. Et idem Cæsar deponit, quod Bernardinus ei dederat aliqua verbera. Et ista comprobantur, ex effectu subsequuto: quia postea reliquit seruitutem Pallauicinorum: & probatur ex depositione Vincentij de publica voce, & fama, & Baptistæ de auditu ab ipso Cæsare, quòd instruebat te-
6 stes: quæ † instructio, etiam quod nihil mali contineret, tamen ostendit eius affectionem erga Rangonos, ad quorum instantiam testes debebant examinari contra Pallauicinos.

Et ex istis conclusionibus, Domini resoluerunt, huic

huic testi non esse adhibendam fidem aliquam: Quia
7 Quamuis regulariter † subditus non repellatur à te-
stimonio ratione iurisdictionis, Bart. Alberic. Bald.
Salic. Fulgos. & alij *in leg. eos Cod. de testib.* tamen cùm
8 vltra † subiectionem concurrat etiam qualitas perso-
næ Comitis Ludouici, & quòd iste testis non erat be-
ne affectus erga Pallauicinos, in hoc casu testis sub-
ditus repellitur in totum. Abb. *in cap. insuper num. 16.*
de testibus, Roman. *cons. 382. num. 5.* Præsertim in cau-
sa grauissima. Paul. de Monte Pico *cons. 5. num. 24.* Et
hoc eo magis dicendum est, quia Vincentius Man-
tuanus deponit, quòd Cæsar erat familiaris de tem-
pore examinis Comitis Ludouici: & confirmatur,
eius depositio à Baptista, qui dicit quòd Cæsar viue-
bat expensis Comitis Ludouici, quando commora-
batur in Castro Rocchę Blanchæ, in quo de illo tem-
pore commorabatur; & quòd stabat in domo Comi
tis Ludouici, quando examinabantur testes.

Mouebantur etiam Domini propter contrarieta-
9 tes: quia † negat se subditum; & de contrario constat
ex eius depositione. Et ista falsitas concernit substan-
tiam: quia subditus concurrentibus alijs exceptioni-
bus repellitur à testimonio vt dictum fuit.

Item deponit, quòd post raptum Catherinæ, qui
fuit de nocte, die sequenti de mane Ioan. Petrus eius
maritus accessit ad Io. Franciscum patrem Bernardi-
ni, & cùm eo fuit conquestus de raptu: & tamen Ga-
leatius de Nardo, quem ipse allegat in consocium
raptus, deponit quòd Io: Franciscus tempore raptus
erat Mediolani, Et conciliatio, quæ datur, quòd
Io: Franciscus licet tempore raptus non fuisset in Ca
stro Tibelli, tamen redierat de mane, est contra de-
positionem Galeatij, qui dicit quod tempore raptus
erat Mediolani. Et propter magnam distantiam
inter Ciuitatem Mediolani, & Castrum Tibelli, im-
possibile est quòd Ioannes. Franciscus post raptum
discesserit à Ciuitate Mediolani, & de mane esset in
Castro Tibelli: & præsertim, cùm raptus secutus fue-
rit de nocte. Et excusationes circa alias contrarieta-
tes patiuntur etiam, secundum Dominos, difficulta-
tem. Et propterea ex istis omnibus simul iunctis, in
hac Causa grauissima, in qua sunt necessarij testes
idonei, Domini concluserunt huic testi non esse ad-
hibendam aliquam fidem.

BONONIEN. SVCCESSIONIS, ET LEGATI.

Veneris 12. Decembris 1603.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Statutũ Bononiæ* de alimentis præstandis mulieri, &c.
locum habet non solum quando dos restitui debet, sed
etiam ante quàm dos sit constituta.

DECISIO CCCCVIII.

DOmini dixerunt, alimenta deberi Lucretiæ, iux-
1 ta summam taxatam à Statuto, quod † locum
habet non solum quando est factus locus restitutio-
ni dotis, sed etiam antea quam dos sit constituta.
Quãtum ad expensas litis, noluerunt taxare aliquam
certam summam: & dixerunt, quòd de illis prouide
bitur in disputatione Dubiorum.

CAMERINEN. CENSVS.

Veneris 12. Decembris 1603.

ARGVMENTVM.

De confirmatione Statutorum cum clausula, *Quate-*
nus sint in vsu, &c.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio Statutorum cum clausula*, Quatenus sint in
vsu, *non suffragatur, nisi probetur vsus.*
2 *Statutum Matelicæ non disponit, quod in contractibus mu-*
lierum, &c. loco consanguineorum adhibeantur vicini.
3 *Constitutio Marchiæ in contractibus mulierum, &c. requi-*
rit vltra consanguineos, decretum Iudicis.

DECISIO CCCCIX.

DOmini perstiterunt in decisis. Quia confirma-
tiones Statutorum patiuntur difficultatem; quo
niam. Prima est facta à solo Raynutio sine consensu
aliorum Dominorum: & aliæ duæ felic. record. Pij V.
& Gregorij XIII. habent clausulas, *quatenus sint in vsu.*
1 & † ideo nõ suffragãtur, nisi probetur vsus; vt fuit la-
te deductum *in Causa Amerina Successionũ 24. Martij,*
1593. coram R.P.D. Penia. Et si confirmatio non suf-
fragatur, ratificatio Census est inualida: quia non
fuerunt seruatæ Constitutiones Marchię, quæ in hoc
casu erant seruandæ.

Mouit etiam Dominos Decretum de anno 1571.
quod reformentur Statuta, & interim obseruentur.
Constitutiones Marchiæ. Quia cùm de illo tempo-
re non probetur quòd essent necessariæ duæ partes,
ex tribus, illud fuit Decretum Concilij.

Non obstat quòd Vsus Statuti probatur ex 14. in-
2 strumentis. Quia † Statutum Terræ Matelicæ, non
dat istam formam, vt loco consanguineorum adhi-
beantur Vicini, & ideo non possumus dicere, quòd
ex instrumentis ita conceptis probetur vsus, confor-
mis Statuto, & hoc eo magis dicendum est, quia in
omnibus instrumentis, interuenit Decretum Com-
missarij, & datur fides Commissarij, quòd sui ante-
cessores interuenerunt etiam in contractibus, in qui-
bus fuerunt adhibiti consanguinei. Et ista obseruan-
3 tia est conformis Constitutioni Marchiæ, quæ † requi
rit vltra consanguineos Decretum Iudicis; & non
Statutum Mathelicæ, secundùm, quod sufficit solus
interuentus, & consensus consanguineorum.

Non obstat fides, quæ datur. Quia simplex fides
ad istum effectum non sufficit; & tanto magis cum
concurrat in contrarium fides Commissarij de præ-
senti, & interuentus aliorum Commissariorum in tot
instrumentis, iuxta formam Constitutionis Marchię.
Vltra quod ex illa fidẽ, non apparet, de quo Statuto
fuerit intellectum; & de quo tempore fuerint initi
illi contractus, neque quas solemnitates haberent.

TRIDENTINA CANONICATVS.

Lunæ 15. Decembris 1603.

ARGVMENTVM.

Capitulum Ecclesiæ Tridentinæ potest conferre
Canonicatus sine interuentu Episcopi.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio sufficit ad validitatem electionis, quando agitur incidenter de facultate conferendi.*

2 *Quando omnes Canonici sunt capitulariter congregati ad eligendum; & aliqui ex eis discedunt à Capitulo; facultas eligendi existit penes eos, qui remanserunt.*

3 *Decanus Canonicorum habet duo vota.*

4 *Regula reseruatoria excipit collationes factas vigore Concordatorum Germaniæ.*

5 *Tridenti Ciuitas comprahenditur in Concordatis Germaniæ.*

6 *Defectus ætatis est probandus ab eo allegante.*

DECISIO CCCCX.

DOmini, vna tantum parte informante, concluserunt electionem factam à Capitulo suffragani Horatio. Mouebantur: Quia de potestate Capitulsi in conferendo Canonicatus sine interuentu Episcopi constat ex narratiua in gratia Octauij, ex fide Episcopi,& ex Bulla Clementis, in qua non fit aliqua mentio de Episcopo. Et cessat secundum Dominos omnis difficultas: quia dantur etiam collationes factæ à Capitulo, quæ habuerunt effectum; vt bene deducunt informantes: & cùm in hoc casu agatur inci-
1 denter de facultate conferendi, ad effectum † validitatis electionis, sufficit quasi possessio, *capit. querelam, de elect. cap. consultationibus, de iur. patron.*

Quòd autem electio fuerit valida, non potest dubitari: Quia quamuis aliqui Canonici recessserint de Capitulo; tamen cum omnes fuissent capitulariter congregati ad effectum faciendi electionem, facultas
2 † eligendi remansit penes eos, qui elegerunt Horatium, *cap. cum nobis de elect.* Roman, *consf. 352. num. 15.* & consequenter electio fuit valida. Et hoc eo magis dicendum est: quia computatis etiam votis eorum, qui discesserunt, fuit electus à maiori parte; cum De-
3 canus, qui est etiam Canonicus, habeat † duo vota; vt probatur ex attestatione Episcopi, Capituli, & Cancellarij: & ex alia electione, in qua interuenerunt nouem Canonici, & fuerunt enumerata decem vota: & hoc etiam fatetur Octauius in sua gratia, cùm narret quòd minor pars contradixit electioni Horatij.

Non obstat quòd Canonicatus vacauerit de men
4 se Februarij reseruato: Quia † regula excipit collationes factas vigore Concordatorum cùm natione
5 Germanica, in qua † comprahenditur etiam Ciuitas Tridentina; vt bene deducunt informantes.

Non obstat defectus ætatis Horatij. Quia de eo
6 non constat: & † onus probandi, secundum Dominos, spectat ad Octauium. Et tanto magis, cùm detur magnus fumus ex testibus examinatis ad perpetuam rei memoriam, ante obtentam gratiam ab Octauio, & motam litem, quod habet ætatem sufficientem.

ELNEN. TRANSACTIONIS.

Lunæ 15. Decembris 1603.

Vide Argumentum Decisionis 384.

SVMMARIVM.

1 *Oblationes Missarum, & charitates panis, si sint incertæ, & offerantur dietim; debentur solis Beneficiatis Ecclesiæ inseruientibus. Si verò sint antiquæ, & certæ; de istis Capitulum participare debet.*

DECISIO CCCCXI.

POst resolutionem factam in hac Causa, sub die 6. Iunij, pro parte Capituli fuerunt dati articuli, & examinati plures testes in Curia: & propterea proposui iterum idem Dubium alias propositum & resolutum, informante solum Capitulo. Et Domini dixerunt, quòd quantum ad oblationes Missarum, & charitates panis, quæ sunt incertæ, & offeruntur dietim, & quo ad anniuersaria, si quæ adsunt propria Beneficiatorum, materia nullam habet difficultatẽ; & in his est retardata executio.

1 Quo vero ad Charitates panis, & oblationes, quæ fuerunt antiquitus institutæ, & sunt certæ, vt deponunt testes; de istis Capitulum dicitur participare; quia verba translationis sunt multum ampla: & in hoc casu cessant rationes decisionis, quòd istæ sunt propriæ illorum, qui inseruiunt in illa Ecclesia, in qua oblationes offeruntur.

Quo vero ad distributiones prouenientes, ex anniuersarijs, Domini dixerunt, inter illa anniuersaria, quæ fuerunt relicta pro suffragijs defunctorum, qui in illa Ecclesia sunt sepulti; & de istis non debet participare Capitulum, vt dictum fuit.

IACEN. PORTIONIS.

Lunæ 12. Ianuarij 1604.

ARGVMENTVM.

Scripturæ quando dicantur, non esse in forma probanti.

SVMMARIVM.

1 *Defectus recognitionis iurium potest opponi in Curia, etiamsi non fuerit oppositus in partibus.*

2 *Innocentiana habet locum, quando scripturæ sunt benè compulsatæ, & recognitæ.*

3 *Notariorum assertioni statur, iuxta stilum Rotæ, circa eorum facultates.*

4 *Nuncius Apostolicus non habet facultatem committendi Causas beneficiales.*

5 *Nullitas processus non efficit vt iura producta formiter in prima instantia, non sint in forma probanti, licèt fuerint in eo inserta.*

6 *Nullitas iurisdictionis non habet locum quando Notarius secundæ instantiæ fuit etiam Notarius tertiæ, in qua fuit productus, & publicatus processus primæ, & secundæ instantiæ.*

DECISIO CCCCXII.

DOmini concluserunt Iura non esse in forma probanti, ex eo potissimum fundamento, quòd nõ
1 sunt recognita: Quia † de defectu recognitionis Iurium potest opponi in Curia etiam, quod non fuerit oppositum in partibus, vt fuit resolutum coram Paleotto *in Causa Cremonen. Prioratus 30. Octobris 1561.*

Et Innocentiana secundum Dominos ad istum ef-
2 fectum non suffragatur: quia † habet locum quando scripturæ sunt bene compulsatæ, & recognitæ, & non dubitatur de veritate, & fide scripturarum, quæ sunt insertæ in alio processu. Caputaq. *decis. 351. lib. 2. in impressis, & 256. lib. 1. in manuscr.*

Alia,

Alia, quæ apponuntur, non placuerunt Dominis, Quia de facultate Notariorum non potest dubitari;
3 cùm in hoc stetur † eorum assertioni, Iuxta stilum Rotæ; nec adest alius defectus considerabilis: quia quamuis in Curia non adsit processus primæ Instantiæ, tamen sufficit quod adsit secundus processus coram Archiepiscopo Cæsaraugustano, in quo est Insertus ille primus cùm citatione partis. Et licet iste secundus processus sit nullus ex defectu iurisdictio-
4 nis, eo quia † Nuntius non habet facultatem committendi causas beneficiales, vt pluries fuit resolutum: & prorogatio Iurisdictionis in hoc casu nō suffragatur, cùm Archiepiscopus processerit vti Iudex
5 delegatus à Nuncio: nihilominus † nullitas processus non facit, quòd illa Iura, quæ fuerunt formiter producta in prima Instantia, non sint in forma probanti, quamuis fuerint in eo Inserta.
6 Et cessat in hoc casu omnis difficultas: quia † Notarius secundæ Instantiæ fuit etiam Notarius tertiæ, in qua fuit productus processus, tam primæ quam secundæ Instantiæ, & ab eo processus fuit publicatus vti à Notario tertiæ Instantiæ, & propterea non potest opponi de defectu Iurisdictionis Archiepiscopi Cæsaraugustani Iudicis secundæ Instantiæ.

ELNEN. DISMEMBRATIONIS.

Lunæ 12. Ianuarij 1604.

ARGVMENTVM.

Recensetur casus, in quo successor non tenetur pro facto prædecessoris.

SVMMARIVM.

1 *Dismembratio si est nulla, & cessat necessitas, & vtilitas Ecclesiæ, successor non tenetur pro facto prædecessoris, & num. 2. Etiamsi ille successerit in spolijs prædecessoris, & num. 5.*

3 *Mensa Episcopalis non tenetur nisi in subsidium prouidere Rectoribus Ecclesiarum.*

4 *Quando onus est reale, successor tenetur factis diligentijs contra prædecessorem.*

DECISIO CCCCXIII.

Domini in hac disputatione præsupponebant nullitatem dismembrationis: quia multa quæ deducuntur per Informantes, consistunt in facto, quod non iustificatur: Et, citeum scripto illo facto, eis placebant fundamenta decisionum, super nullitate dismembrationis: & cùm isto præsupposito concluserunt, Modernum Archiepiscopum non teneri.

Fundamentum resolutionis fuit idem, quo moti fuerunt in alia positione: Quia Modernus Archiepiscopus neque fecit dismembrationem, neque fuit in
1 causa: & propterea † cum dismembratio fuerit nulla, & cesset necessitas, & vtilitas Ecclesiæ, in hac casu successor non tenetur pro facto prædecessoris, *cap. 1. de solut. cum alys allegat.*

Non obstant quæ deducuntur in contrarium. Et primò, quòd onus prouidendi Rectoribus spectabat
2 ad Archiepiscopum. Quia cum † dismembratio fuerit nulla, successor nō tenetur pro facto nullo sui prædecessoris. Rot. *decis. 1. locat. in nou.* Et tanto magis, quia Istis Rectoribus debebat prouideri aliunde, quàm ex proprijs redditibus mensę Episcopalis, cùm
3 † illa non teneatur nisi in subsidium. Abb. *in capit. ad audientiam num. 7. de Eccles. ædific.*

Non obstat, quòd factis diligentijs contra prędecessorem, tenetur successor. Quia in hoc casu onus
4 non est reale, in quibus terminis procedit simile pensionis, quod allegatur, & propterea successor non tenetur.

Non obstat, quòd Modernus Archiep. successit in spolijs sui antecessoris. Quia etiam, si hoc verum
5 esset, cùm † dismembratio fuerit nulla, & cesset necessitas, & vtilitas Ecclesiæ, successor non potest conueniri. Rot. *decis. 41. de probat. in antiq.*

Quantum vero ad hæredes Archiepiscopi prędefuncti Domini existimabant illos teneri, si successerunt in eius bonis, veladiuetunt hæreditatem sine beneficio legis, & Inuentarij: sed cùm sententiæ sint contra eos exequendæ, volunt quod prius citentur.

BRVNDVSINA ARCHIDIACONATVS.

Veneris 16. Ianuarij 1604.

ARGVMENTVM.

Regula xxxj. *De impetrantibus Beneficia vacantia per obitum familiarum Cardinalium*, an compræhendat vacationes Dignitatis maioris post Pontificalem, reseruatæ in reg. tertia.

SVMMARIVM.

1 *Archidiaconatus in Ecclesia Brundusina est maior Dignitas post Pontificalem.*

2 *In regula tertia reseruantur quæcunque Beneficia familiarum Cardinalium, & consequenter etiam primæ Dignitates in Cathedralibus, & num. 9. & 10.*

3 *Reseruatio regulæ tertiæ fuit inducta, vt Papa de omnibus Beneficijs vacantibus per obitum familiarium Cardinalium, disponat cum consensu ipsorum Cardinalium.*

4 *Regula tertia Cancellariæ est præparatoria Regulæ xxxj.*

5 *Regula xxxj. emanauit in fauorem, & honorem Cardinalium, & propter expensas, quas sustinent in alendis suis familiaribus.*

6 *In reg. xxxj. verba indefinita æquipollent vniuersalibus, quando materia admittit latam interpretationem.*

7 *Priuilegium reg. xxxj. est concessum omnibus Cardinalibus per viam regulæ.*

8 *Regulæ xxxj. Cancellariæ excipit Beneficia Officialium.*

11 *Clausula generalis non refertur ad specificata. Intellige, vt num. 12.*

13 *Non valet illatio à verbis generalibus ad vniuersalia.*

14 *Non est nouum, neque inconueniens, idem Beneficium esse reseruatum pluribus reseruationibus.*

15 *Reseruatio primarum Dignitatum in reg. tertia est concepta verbis prægnantibus, & compræhendit etiam Beneficia reseruata in regula prima.*

16 *Declaratur decis. 9. Cassadori*, de præben.

17 *In Beneficijs litigiosis est seruanda regula*, De subrogando.

DECISIO CCCCXIV.

Vacante Archidiaconatu Ecclesiæ Cathedralis Brundusinæ, qui in illa † Ecclesia est maior dignitas post Pontificalem per obitum Francisci Manassi familiaris Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Cesij, fuit dubitatum an regula 31. *de Impetrantibus Beneficia vacantia per obitum familiarium Car-*

dinalium, habeat locum quando vacat per obitum eorundem familiarium maior dignitas post Pontificalem in Ecclesia Cathedrali, quæ est reseruata in regula 3. Et Dubio hac die per me in Rota proposito, Domini concluserunt etiam in huiusmodi vacatione esse necessarium consensum Cardinalium, & habere locum regulam,

2 Mouebantur primo, quia in † regula 3. reseruantur quæcunque Beneficia familiarium Cardinalium; quæ verba sine difficultate compræhendunt primas dignitates in Cathedralibus. Rot. *decis. 2. de fil. presb. in nou.* Cresc. *decis.* 32. & fuit late deductum *in Causa Iacen. Pensionis 14. Aprilis 1578. coram S. D. N.* & co-
3 ram me, *in Causa Bononien.* † *Translationis pensionis*. Et ista reseruatio regulæ tertiæ, fuit inducta ad istum effectum, vt Papa de omnibus illis beneficijs vacantibus per obitum familiarium Cardinalium disponat cum consensu Cardinalium, Achill. *decis.* 34. Accoramb. *decis.* 11 *lib.* 2. Et propterea cùm Papa non intellexerit reseruare ad suam liberam, & absolutam dispositionem aliqua ex illis beneficijs familiarium, sed solum vt de illis prouideat cum consensu Cardinalium, verba regul. 31. recipiunt interpretationem, & declarationem à reseruatione dictæ regulæ tertiæ,
4 quæ † est illius præparatoria; vt tam in maioribus dignitatibus, quàm in omnibus alijs beneficijs reseruatis per obitum eorundem familiarium in dicta regula tertia debeat interuenire consensus Cardinalium, Quod tanto facilius admittẽdum est, quia licèt alias fuerit dubitatum, an ista regula sit fauorabilis, vel odiosa, Ægid. *decis.* 631. Cassad. *decis.* 33. *de præb.* tamen postea Rota, quando non agitur de præiuditio tertij, habuit illam pro fauorabili; & quod sit late
5 interpretanda, cum † emanauerit in fauorem, & honorem Cardinalium, & propter expensas, quas sustinent in alendis suis familiaribus. Achil. *dict. decis.* 34. Accoramb. *dict. decis.* 11. Sarn. *super hac regula quæst.* 1.
6 *& quæst.* 15. Et ideo † cùm ista materia admittat latam interpretationem, in hoc casu verba reg. 31. licet sint indefinita æquipollent vniuersalibus. Abb. Card. & alij *in cap. quia circa, de priuil.* Ias. *cons.* 104. *nu.* 12 *lib.* 4. Paris. *in leg.* 1. *num.* 6. *ff. de leg.* 1. Et tanto ma-
7 gis, cùm † hac priuilegium sit concessum omnibus Cardinalibus per viam regulæ. Anton. de Butr. *in cap. olim tibi sibi circa finem de verbor. significat.* Natt. *consil.* 1. *num.* 3.

8 Secundo mouebantur, quia † in hac regula excipiuntur beneficia officialium, in quibus viget maior ratio illa excludendi ab hoc priuilegio indulto Cardinalib. & ista exceptio casus magis dubitabilis esset sine effectu operandi, & nõ retineret naturam suam, si omnia beneficia reseruata, non esset compræhensa sub regula,

9 Tertio, & vltimo mouebantur: Quia † eadem difficultas aliàs contingit *in Causa Valentina Abbatiæ de Trugillos* coram Vortio: & Rota amplexa fuit eandem opinionem affirmatiuam, prout attestatur Sarnen. *in dict. quæst.* 15. qui refert rationes decisionis: & ante hanc decisionem refert Cassad. *in dict. dec.* 33. *in fin. de præben.* Quod Alphonsus Contreras procurator affirmabat, fuisse iudicatum pro eadem opinione; licèt ipse nihil firmet. Et istam opinionem sequuntur Anton. August. *in Epitom. super hac regula* §. 1. Sar. *in dict. quæst.* 15. & recentiores *super eadem regula in quæst.* 14. & sentit antiquus Glos. Hispalensis qui di-
10 cit † quod regula loquitur indistinctè, & debet indistinctè intelligi, & quòd ita practicatur in Curia: & pro ista opinione multum facit *dict. decis.* Achill. 34. in qua dicitur, quòd in principio istius regulæ compræhenduntur omnia beneficia. Et propterea cum habeamus vltra rationes authoritatem Rotæ comprobatã auctoritate tot Doctorũ, non est ab ea recedendum propter solam auctoritatem Rebuffi; præsertim cùm non nitatur aliqua concludenti ratione.

Non obstant quæ deducuntur in contrarium per Informantes. Et primò non obstat, quòd regula tertia in illa parte, in qua reseruantur beneficia vacan-
11 tia per obitum familiarium Cardinalium, non † compræhendit primas dignitates, quæ iam erant reseruatæ in principio illius regulæ, *leg. doli clausula, ff. de verbor. oblig.* Quia reseruatio beneficiorum familiarium est de per se principaliter posita in clausula separata,
12 & non habet aliquam connexitatem vel dependentiam à reseruatione contenta in prima parte; & ideo non applicatur materia illius legis. Alexan. *cons.* 117. *num.* 1. *& 2 lib.* 1. Et tanto magis, quia reseruatio non est concepta verbis generalibus, sed verbis vniuersalibus prægnantibus, quæ omnia includunt; & propterea non est inferendum à verbis generalibus, ad
13 verba vniuersalia. Dec. *in cap. sedes num.* 36. *& 37. de rescript.* & bene deducitur *in dicta decis. Ianuen.* Et ita in terminis limitatur dict. leg. *doli clausula* à Purpur. in *cons.* 548. *num.* 136.

Non obstat, quòd cùm primæ dignitates essent reseruatæ in prima parte regulæ, non egebant noua re-
14 seruatione. Quia non est † nouum neque inconueniẽs, quòd idem beneficium sit reseruatum pluribus reseruationibus Æneas de Falcon. *de reseru.* a 2. *effect. num.* 2. Cassad. *decis.* 9. *de præben.* Sarn. *dict. quæst.* 15. Quamuis in hoc casu non exprimatur in literis, nisi vnica reseruatio magis principalis dispositiuæ, vt sunt plura notabilia Cancellariæ. Et materia eo mi-
15 nus habet difficultatis secundum Dominos: quia † illa reseruatio est concepta verbis prægnantibus, & compræhendit etiam beneficia antea reseruata in regula prima. Et saltim respectu Cardinalium illa noua reseruatio non est sine effectu operandi, quia remouit istam difficultatem, an sit locus reseruationi ad eorum fauorem, quo ad illa beneficia, quæ sunt reseruata in prima parte.

Non obstat argumentum, quòd deducitur a prælatione reseruationis ad fauorem Papæ, & ab ordine literæ: Quia non habet locum in hoc casu, in quo regula loquitur de quibuscunque beneficijs; & appare de mente Papæ, quòd voluit omnia concedere præter beneficia officialium exceptuata, vt supra dictum fuit.

Nob obstat *decis.* 9. Cassad. *de præb.* & alia decisio *in Causa Beneuent in. Abbatiæ coram Reuerendissimo Pa-*
16 *triarcha Alexandrino*. Quia illa † est alia quæstio, quando concurrit vtraque reseruatio, ex eodem Capite familiaritatis ad fauorem Papæ, & ad fauorem Cardinalis; & non applicatur in illis terminis.

17 Non obstat, quòd † in beneficijs litigiosis debet reseruari regula de subrogando, & non ista. Quia illud dictum habet particulares rationes diuersitatis, & agitur de præiudicio collitigantis, cui est acquisitum ius per regulam.

FER-

FERRARIEN. BONORVM.

Veneris 23. Ianuarij 1604.

ARGVMENTVM.

Cui incumbat onus probandi extinctionem lineæ inuestitæ.

SVMMARIVM.

1 *Onus probandi lineam inuestitam fuisse extinctam, incumbit agenti ad recuperationem bonorum emphyteoticorum, & numer. 3.*

2 *Actio spolij ante finitam emphyteusim, non competit ei, qui facto suo cecidit à possessione.*

4 *Defectus lineæ præsumitur, nisi contrarium probetur. Contrarium, quando fuit semel probata existentia lineæ, & num. 5.*

DECISIO CCCCXV.

DOmini concluserunt non esse locum immissioni ad fauorem Ecclesiæ. Mouebantur: quia de alienatione facta ab Ecclesia, non dubitatur, nec de illius validitate, propter lapsum tanti temporis cum obseruantia: & propterea, aut Ecclesia agit rei ven-
1 dicatione; & in hoc casu onus † probandi lineam inuestitorum fuisse finitam, incumbit agenti ad recuperationem, vt fuit resolutum *in Causa Vicaria feudi coram Illustrissimo D. meo Patriarcha Alexandrino*, & tradit etiam Bero. *in cons.* 129. *num.* 7. & 8. *lib.* 1. Aut
2 agit spolio; & cùm † ceciderit à possessione facto suo, actio spolij ei non competit antequam emphyteusis sit finita; & ideo, si dicit quod sibi competit actio spo-
3 lij, quia emphyteusis sit finita, † tenetur probare defectum lineæ, tanquam fundamentum suæ intentiotionis, vt fuit resolutum *in Causa Romana Deuolutionis domus 26. Iunij 1574. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.*

4. Non obstat quòd † præsumitur defectus lineæ, nisi contrarium probetur, *leg. ex facto, §. si quis autem, in fin. ff. ad Trebell.* & *ibi* notant Bart. Ang. Alexand. & alij. Quia in inuestitura fit mentio nepotum Iaco-
5 bi: & ideo cùm semel † probetur existentia lineæ, onus probandi defectum spectat ad Ecclesiam. Put. *dec.* 45. *lib.* 1.

NVLLIVS, SEV CRYPTÆ FERRATÆ.

Lunæ 26. Ianuarij 1604.

ARGVMENTVM.

Prohibitio nè homines alicuius loci plantent, & colant vineas, & agros aliorum, an sit valida.

SVMMARIVM.

1 *Prohibitio ne quis plantet, & colat agros aliorum, comprehendit etiam terras Ecclesiæ; & ideo non ligat.*

2 *Et est contra libertatem Ecclesiam: licet sit limitata, videlicet, Donec terræ dominorum loci non fuerint cultæ, & num. 3.*

4 *Præiudicium in bonis Ecclesiæ est inseparabile à præiudicio colonorum.*

DECISIO CCCCXVI.

PRoposui Dubium in hac causa, vna tantum parte informante, An Domini Castri Marini possint facere prohibitiones, ne homines, & habitatores illius loci eant ad plantandum Vineas, & colendum terras aliorum, comprehendendo in hac prohibitione expresse vel tacite terras Abbatiæ, Et Domini fuerunt concordes quod ista prohibitio sit inualida.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia quamuis
1 liger solum laicos subditos, tamen † in ea in effectu comprehenduntur bona Ecclesiæ, & tollitur illa libertas absoluta, quam habebat prius homines illius loci accedendi ad colendum terras Ecclesiæ, antequam colerent terras Domini: & propterea illa prohibitio non tenet, vt late consuluit Collegium Bononiense inter Cons. Ancar. *cons.* 13. & *ibidem* Cald. *cons.* 12. Idem Ancar. *consil.* 155. & *in repet. cap. Canonum Statuta, num.* 168. *de constit.* Alex. *cons.* 211. *num.* 10. *lib.* 2. Soccin. *cons.* 272. *num.* 8. *lib.* 2. Boer. *decis.* 125. *num.* 2. Ial. *in leg. quominus num.* 155. *ff. de flumin.* Purpur. *cons.* 594. *num.* 8. *lib.* 2. Et quicquid visi fuerint tenere Idem Cald. Bald. Aim, & alij; ista opinio est communis, prout testatur Ias. & Purpur. *in locis supracitatis*, & inter recentiores multos cumulat, Surd. *in consil.* 301. Et eam vti communem alias Rota amplexa fuit *in Causa Massafranen. Furni 21. Iunij 1591. coram Reu. P. D. meo Decano.* Et pro hac opinione est textus clarus *in cap. vltimo de immun. Eccles. num.* 6. in quo propter violationem libertatis Ecclesiasticæ excommunicantur Domini temporales, qui prohibent suis subditis, ne personis Ecclesiasticis bladum molant, coquãt panem, aut alia obsequia exhibeant. Et commu
2 nis intellectus illius constitutionis est, quòd † prohibitio in illa specie, dicitur contra libertatem Ecclesiasticam: quia priuatur Ecclesia sua antiqua libertate, & aufertur liberum commercium, quod ante prohibitionem de Iure communi liberè competebat. Lap. *alleg.* 92. *num.* 3. & post Butr. Imol. Felin. & alios bene deducit Couar. *in reg. possessor.* 2. *par.* §. 4. *num.* 7. *de reg. Iur. in* 6. Purpur. *dict. cons.* 594. Paul. de Montepico *cons.* 18. *num.* 9. & notat Gemin. *in dict. cap. vltimo, num.* 2.

Et quamuis prohibitio sit limitata, donec terræ ipsorum Dominorum non fuerint laboratæ; nihilo-
3 minus † militant eædem rationes, quòd prohibitio est inualida ex defectu potestatis, cùm in ea includantur bona Ecclesiæ, & quia illa restrictio commercij lędit libertatem, & est præiudicialis Ecclesiæ. Et hoc eo magis dicendum est, quia istæ terræ Abbatiæ locantur hominibus Marini, vt in eis plantent Vineas, & respondeant quartam Ecclesiæ; &, si non possunt plantare, & colere, propter istam prohibitionem, eo quia detinentur in seruitio Dominorum, Abbatia amittit suam responsionem. Et propterea cum in hac
4 prohibitione ligentur coloni partiarij Ecclesiæ, & † præiudicium Abbatiæ sit clarum, & inseparabile à præiudicio Colonorum, in hoc casu prohibitio est, quoque nulla ex hoc capite, vt per informantes, & late deducit Surd. *dict. cons.* 301.

ROMANA SOCIETATIS OFFICII.

Mercurij 28. Ianuarij 1604.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Per venditionem vnius Officij societas non censetur dissoluta,*

luta, si alterum Officium, quod remanet, est capax totius summæ.

2 *Si verò non est capax totius summæ, societas sustinetur pro rata. Nec habet locum in hoc casu ratio indiuiduitatis, & num. 3.*

DECISIO CCCCXVII.

Domini concluserunt, quòd si officium, quod remansit, erat capax totius summæ, per † venditionem alterius officij societas non fuit dissoluta: & in hoc casu materia est clara, quia hanc opinionem sæpius secuta fuit Rota *in Causa Romana de Lucchinis coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, in Causa Romana de Ferris coram Reuerendissimo D. meo Patriarcha Alexandrino, & coram me. In Causa Romana Census* 30. *Octobris* 1602. Si verò officium † non est capax totius summæ, censuerunt societatem sustineri pro rata, cuius est capax: quia illa pars quæ remanet, affert eandem vtilitatem in parte, quàm affert totum respectu totius. Et propterea cessat in hoc casu, † ratio Indiuiduitatis, in qua se fundant informantes. Barto. *in leg. stipulationes non diuiduntur in tertia quæstione, sub num.* 25. *ff. de verb. oblig.* Aim. *cons.* 239. *num.* 6. & fuit late deductum in dictis decisionibus.

VARMIEN. CANONICATVS.

Mercurij 4. Februarij 1604.

Non indiget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Vacatio in mense reseruato est probanda plenè, & concludenter; & non sufficit fama.*

DECISIO CCCCXVIII.

Fuit resolutum, Gratiam Laurentij esse iustificatam quantum ad vacationem per obitum Reschij, valorem Canonicatus, & habilitatem Laurentij; quòd esset Presbyter oriundus, ex diœcesi Varmien. & alumnus Collegij Germanici: Quia ista omnia benè probantur per testes, & per literas dimissorias sui Ordinarij, & alias literas susceptionis ordinis Presbyteratus.

Remansit solum difficultas quoad obitum in mense reseruato: quia in hoc casu † requiritur probatio plena, & concludens, & non sufficit fama: & propterea Domini dixerunt, quod coadiuuetur probatio. Verùm, quia postea fuerunt de nouo examinati testes in Curia, qui benè concludunt de obitu in mense Aprilis; Domini, visa eorum depositione, dixerunt obitum in mense esse sufficienter iustificatum.

PARMEN. STATVS.

Mercurij 11. Februarij 1604.

ARGVMENTVM.

Terribilitas ex quibus excludatur.

SVMMARIVM.

1 *Terribilitas, ad effectum repellendi testes, debet clarè, & concludenter probari, & non sufficit terribilitas in genere, sed requiritur in specie quòd sit talis, & testes timeant ab ea damnum ex causa examinis, & num. 2.*

3 *Timor reuerentialis non probat terribilitatem, nec inducit iustam causam timoris in testibus.*

4 *Verba æquiuoca, debent in dubio referri ad intellectum Iuris.*

5 *Verba, Non è troppo buon Signore per noi, nè vsa discretione, non inferunt necessariò terribilitatem.*

6 *Fama non probat in materia de recenti.*

7 *Narratiua fisci in Commissione, nisi iustificetur, nihil probat.*

8 *Terribilitas non infertur ex actibus contra inimicos.*

DECISIO CCCCXIX.

Quoniam in alia positione huius Causæ, sub die 5. Decembris præteriti inter alias conclusiones fuerat firmatum, probari quòd Comes Ludouicus erat homo terribilis, & quòd timebatur à suis subditis; ex qua conclusione resultabat maximus effectus contra omnes testes eius subditos, & aliàs non fuerat habita à Rota pro probata, vt in *decisione* Put. 280. *lib.* 3. Propterea dedi Dubium particulare restrictum ad huiusmodi difficultatem: & hodie in Rota proposito, Domini recesserunt à resolutis, & concluserunt non constare de terribilitate, Comitis Ludouici.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia ista exceptio opponitur à Pallauicinis ad effectum repellendi

1 testes subditos Rangonorum; & propterea † debet ab eis clare, & concludenter probari: & non sufficit

2 ad istum effectum sola terribilitas in genere, sed † requiritur in specie, quòd dominus sit talis conditionis & naturæ quòd eius subditi dicendo contra eum veritatem, verisimiliter debeant timere, ex hac Causa offensionem in persona, vel in rebus Bal. *in leg. eos in fin. Cod. de testib.* Abb. *in cap. Insuper, circa fin. de testibus.* Aret. *in cap. in literis sub num.* 13. *Et ibi* Felin. *sub num.* 3. *eod. tit.* Alex. *cons.* 88. *sub num.* 16. *lib.* 5. Ruin. *cons.* 53. *lib.* 4. Gabr. *de testib. conclus.* 10. *num.* 22.

Et in hoc casu non adest probatio concludens terribilitatis, neq; in genere, neque in specie; & plures testes illam excludunt quoad vtrumque caput: quia in responsione ad Interrogatoria Pallauicinorum, deponunt quòd Comes Ludouicus est bonus Dominus, & discretus, & quòd non est crudelis, nec timent ab eo damnum ex causa huius examinis in persona, vel in rebus.

Non obstant quæ deducuntur in contrarium per informantes pro Pallauicinis. Quia respondendo breuiter singulis, non obstat primo dictum Raymundini, quòd venit ad testificandum ob timorem Comitis Ludouici; Quia non dicit simpliciter, & absolute quòd accessit ad testificandum propter timorem Comitis; sed solùm deponit, quòd si non habitasset in dominio Comitis, & non esset eius subditus, non venisset ad testificandum, nisi habito præcepto à Iudice; & quòd non timet iram, & ruinam Comitis in dicendo veritatem; & quod solum timebat, si recusasset, vt non haberetur pro in obediente. Et propterea cùm iste timor, non sit fundatus in terribilitate, & qualitate personæ Comitis, sed solum in eo, vt non haberetur à Domino pro inobediente in expectando

3 iussionem Iudicis; iste erat potius timor † reuerentialis in accedendo ad ferendum testimonium; qui non probat terribilitatem neque inducit iustam causam timoris in testibus. Et hoc eo magis dicendum est: quia iste testis non coarctat causam timoris, ad solam

solam personam Comitis, sed deponit copulatiuè, quod venit ad testificandum ob timorem Comitis, Barbaræ, & Theodoræ. Et ideo cùm respectu illarum mulierum depositio huius testis non possit intelligi, nisi de timore reuerentiali, quia non cadit in eis suspicio terribilitatis neque prætenditur: ita etiam eius dictum est intelligendum, respectu personæ Comitis de eodem timore reuerentiali.

Non obstat secundò dictum Peregrini. Quia illa verba Comitis quæ ipse refert, *E ghe ti farò andar ben*
4 *mi*, sunt æquiuoca, & in † dubio debent referri ad intellectum Iuris, mediante præcepto Iudicis. Bal. *consf.* 98. *num.* 5. *lib.* 1. Alex. *cons.* 188. *num.* 7. *lib.* 7. & alia
5 verba, † *non è troppo buon' Signore per noi, ne usa discretione*, non inferunt necessario ad terribilitatem Comitis, & ad timorem ipsius testis, si dicebat veritatem contra voluntatem ipsius Comitis; & potius arguunt seueritatem in administranda Iustitia, non faciendo gratias subditis. Et tanto magis, quia super 14. Interrogatorio deponit, quòd non credit se aliquam iniuriam vel ruinam recepturum, quia intendit dicere veritatem. Et super 15. subdit, quòd desiderat victoriam Pallauicinorum. Et propterea, si illa verba essent dubia, deberent recipere declarationem ab illis, ex quibus clare apparet quòd Peregrinus nô habebat Comitem pro homine terribili, quia non timebat offensionem si dicebat veritatem; non ostendisset se partialem Pallauicinorum, si Comes fuisset homo terribilis.

Non obstat tertiò fama, quòd testes deposuerunt falsum per vim, & metum Comitis. Quia testes non deponunt, vnde habuerit originem; & est multum verisimile quòd sumpserit originem, ex reuocatione
6 depositionis de anno 1536. Præterea, fama † non probat in materia de recenti; & tanto magis, cùm ista fama eludatur per testes deponentes, quòd Comes non erat homo terribilis.

Non obstat quartò dictum Galeatij, quòd Comes eum requisiuit, si volebat secum ire ad terram Rocchæ blanchæ, habitando in eius domo suis expensis. Quia ex hoc non infertur ad terribilitatem: & tanto magis, cum non constet, quòd Comes accessetit ad Villam Suspetis propter hanc causam, & ipse testis dicit, quòd non deponit propter timorem Comitis, sed propter veritatem, quam testificaretur pro qualibet persona, & quod veritatem dicendo neminem timet.

Non obstat quinto, depositio Vincentij de plantatione furcarum in Castro Tibelli. Quia non deponit ex qua causa fuerint erectæ; & est multum verisimile, quòd non permitteret subditos exire, ob timorem, quem habebat ne Pallauicini occuparent Castrum Zibelli: & ideo hoc non concludit necessario terribilitatem.

Non obstat sextò dictum Baptistæ de Ferratijs de auditu à Bino, quòd fuerat carceratus ad instantiam Comitis, & quòd fecerat ei dari ignem pedibus, & quòd postea obijt. Quia iste testis est vnicus de auditu à Bino, qui reputabat se male tractatum à Comite, & propterea non probat. Et hoc maxime dicendum est, quia Binus fuerat requisitus, vt interficeret D. Ioannem de Rangonibus: & ideo potest esse quòd Comes, præcedentibus indicijs, processerit contra eum vti subditum, ex hac Causa.

Non obstat septimò, Commissio obtenta ad instantiam fiscalis. Quia in ea continetur narratiua
7 fisci: † quæ si non iustificatur, nihil probat.

Non obstat octauo, Breue felic. record. Pauli III. Quia neque delicta Comitis in eo narrata iustificantur; & cùm Castrum fuerit ei restitutum, resultat vehemens coniectura, quòd delicta non fuerint verificata. Vltra quod neque istud Breue, neque Commissio obtenta à fiscali, percutiunt tempus examinis: & ideo, etiamsi probaretur quòd Comes post perfectum examen male se gereret erga subditos, non potest inferri à probatione huius temporis, ad terribilitatem de tempore examinis.

Non obstat vltimò, quòd Franciscus Maria Angosciola fuit carceratus, ex eo quòd ad instantiam Comitis Ludouici conduxerat æquos ad effectum interficiendi quendam bannitum; & quòd imputabatur, quòd istos æquos conduxerat ad effectum interficiendi Episcopum Papiensem. Quia etiam si hoc verum
8 esset, ex actibus † contra inimicos non infertur ad terribilitatem Domini erga Vassallos.

TRIDENTINA CANONICATVS.

Veneris 13. Februarij 1604.

Vide Argumentum Decisionis 210.

SVMMARIVM.

1 *Canonici quando sunt capitulariter congregati ad eligendum, & aliqui ex ijs recedant, facultas eligendi remanet penes eos, qui elegerunt.*
2 *Decanus in Ecclesia Tridentina habet duo vota.*
3 *Vota conditionalia in electione subducuntur de medio, & nulli accrescunt.*
4 *Defectus ætatis est probandus ab eum allegante.*
5 *Gratia inferioris non eget iustificatione: & dicens eam nullam, debet probare nullitatem.*
6 *Secunda electio non valet, non cassata prima; nisi prima electio fuerit nulla, & num. 8.*
7 *Electio conditionalis est ipso iure nulla.*
9 *Discussione pendente super interpretatione Indulti, non potest procedi ad electionem.*
10 *Absens potest eligi: & multò magis, quando est notus, & num. 11.*
12 *Regula reseruatoria excipit collationes in vim Concordatorum cum Natione Germanica.*

DECISIO CCCCXX.

Propositui iterum vtraque parte informante idem Dubium alias propositum, & resolutum. Et Domini primo loco firmarunt, satis constare, quòd facultas eligendi, seu conferendi Canonicatus, spectat ad Capitulum sine interuentu Episcopi. Hec enim concludenter probatur ex narratiua Gratiæ Octauij, ex fide ipsius Episcopi, & ex pluribus collationibus effectuatis.

Secundò firmarunt aliam conclusionem, quòd Horatius fuit electus a maiori parte Capituli. Quia quamuis aliqui Canonici recessetint de Capitulo;
1 tamen † cùm omnes fuissent capitulariter congregati facultas eligendi remansit penes eos, qui elegerunt Horatium, *cap. cum nobis, de elect.* Roman. *consil.* 352. *num.* 15. Vltra quod, computratis etiam votis eorum, qui discesserunt, Horatius fuit electus à maiori parte;
cùm

2 cùm Decanus in † ista Ecclesia habeat duo vota,
prout fuit firmatum in alia positione. Et propterea
cùm Horatius fuerit electus à maiori parte Capituli
habente facultatem conferendi, non potest dubitari
de validitate electionis.

Non obstant quæ deducuntur in contrarium, per
informantes pro Octauio. Et primò non obstat quòd
vota cõditionalia in fauorem Manicordij accrescunt
Octauio, & propterea eius electio fuit valida. Quia
3 vota † conditionalia subducuntur de medio, & non
accrescunt alteri, *cap. 2. de elect. in 6.* Et ideo cùm O-
ctauius, & Manicordius fuerint pares in votis, quia
quilibet ex eis habuit duo vota pura, cessat funda-
mentum, quod fit super maiori parte votorum; in
quibus terminis procedit *cons.* Rom. 483. & ita dice-
bant Domini fuisse alias resolutum coram Illustrissi-
mo Cardinali Blanchetto, *in Causa Calagurritana Iuris
votandi 3. Ianuarij* 1587.

Non obstat secundo, quòd electio fuit nulla prop-
ter defectum ætatis Horatij: Quia iste defectus æta-
tis non probatur; cùm non constet quòd iste Cano-
nicatus habeat annexum ordinem Sacerdotalem; &
4 onus † probandi spectat ad Octauium. Felin. *in cap. in
præsentia, num.* 28. & *ibi* Dec. *num.* 166. *de probat.* Rip.
resp. 6. num. 2. de elect. Et hoc eo magis dicendum est,
5 quia versamur in gratia inferioris, quæ † non eget iu-
stificatione: & propterea si Octauius dicit eam esse
nullam ex hoc capite defectus ætatis, ei incumbit o-
nus probandi, vt fuit resolutum *in Causa Placentina
Canonicatus 17. Decembris 1598. & 14. Ianuarij 1599.
coram R. P. D. Lancellotto.* Et cessat secundum Domi-
nos omnis difficultas: quia in gratia Octauij expri-
mitur iste defectus, & ideo ipse tenetur iustificare.

6 Non obstat tertiò, quòd † secunda electio non va-
let, non cassata prima, *cap. consideramus, & capit. au-
ditis, de elect.* Quia ista præcedens electio non iustifi-
7 catur in facto, & si iustificaretur, illa † vti conditio-
nalis, fuit ipso Iure nulla, *dict. cap. 2. de elect.* & prop-
8 terea † in hoc casu non erat opus cassatione, *cap. cum
terra, de elect.* Anton. de Butr. *in dict. cap. auditis nu.* 11.
& 17. Rip. *resp. 7. de elect.*

9 Non obstat quartò, quòd † pendente discussione
super interpretatione Indulti coram S.D.N. non po-
terat procedi ad electionem. Quia neque hoc iusti-
ficatur, quòd penderet adhuc discussio negotij, & in
electione Horatij clare legitur, quòd Capitulo fuerat
iam significata mens suæ Sanctitatis.

Non obstat quintò, alia nullitas electionis, prop-
ter absentiam Horatij tempore electionis, arguendo
10 à præsentatione ad electionem. Quia † absens po-
test eligi, *cap. quia propter, & cap. quia innotuit, de elect.*
11 Et tanto † magis, quando est notus Abb. & alij *in
cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælat. sin. cons.*

Non obstat quòd vacatio istius Canonicatus suc-
12 cessit in mense reseruato. Quia regula excipit col-
lationes in vim concordatorum cum Natione Ger-
manica, in qua comprehenditur Ciuitas Tridentina;
vt etiam fatetur Octauius in sua gratia.

ROMANA ADMINISTRATIONIS TVTELÆ.

Lunæ 16. Februarij 1604.

ARGVMENTVM.

De reddenda ratione administrationis tutelæ.

SVMMARIVM.

1 *Administrationis ratio semel reddita, non est amplius red-
denda; nisi probetur non fuisse redditum plenè, & suffi-
cienter.*

DECISIO CCCCXXI.

Domini cõcluserunt sententiam A.C. esse iustam,
& propterea cõfirmandam. Moti fuerunt. Quia
ratio administrationis, fuit semel reddita ab Anto-
1 nio, & ideo nõ est amplius locus redditioni, nisi pro-
betur quòd non fuerit plene, & sufficienter reddita.
Io: Andr. Io: Monach. Ancar. Franch. & alij *in cap. 1.
de Cleric. ægrot. in 6.* Ancar. *cons. 330. num. 4.* & fuit la-
tè deductum *in Causa Meliten. Reuisionis Computorum,
30. Octobris 1595. coram Reu. P. D. meo Decano.* Hoc
autem non probatur: Quia quamuis in redditione
rationis, fuerit habita relatio ad bilancium, in quo
non continentur duæ partitæ talearum positæ in In-
uentario; tamen cum ante redditionem rationis ha-
beretur notitia de Inuentario, & verba liberationis
sint amplissima, & apta comprehendere istas taleas;
relatio ad inuentariũ non probat concludenter hanc
negatiuam, quòd non fuit de eis habita ratio in ge-
nerali redditione rationis.

Mouebantur etiam: quia testes non concludunt,
quòd creditum istarum talearum, tempore obitus
Virgilij non esset exactum, vel quòd posset exigi, ita
vt tutori possit imputari negligentia in non exigen-
do; & ex tenore istarum partitatum apparet, quòd
non erant alicuius considerationis, quia sunt annota-
tæ his verbis, *Da 30. taglie in circa di diuersi crediti, del-
li quali non si hà vera notitia; Item vna Cappaccia di ra-
scia nera dentro vn fascio di diuerse taglie.* Et propterea,
si de eis non fuit habita ratio in redditione rationis,
est multum verisimile, quòd hoc prouenerit ex eo,
quòd hæredes Virgilij agnouerint bonã fidem, quòd
illud creditum esset exactum vel inexigibile. Et hoc
eo magis dicendum est, quia constat vxorem Virgilij
in computum sui legati recepisse diuersas taleas.

PRÆNESTINA MOLENDINI.

Lunæ 16. Februarij 1604.

ARGVMENTVM.

Agitur de iniustitia sententiæ: & de probatione,
quam facit Catastum.

SVMMARIVM.

1 *Iudex procedens ritè, & rectè in sententia, priuat possessio-
ne eum, contra quem pronunciat.*
2 *Si verò non ritè, & rectè processit, sententia non priuat
possessione ciuili: Et in tali casu mandatum de manute-
nendo datur ijs, qui prius possidebant, & non habuerunt
se per spoliatis, & num. 3.*
4 *Vt sit locus caducitati, & rei vendicationi, requiritur pro-
batio plena, & concludens dominij.*
5 *Catastum de per se non probat dominium, sine consensu
possessorum, de quorum præiudicio agitur: Etiamsi do-
ceatur de obseruantia Catasti, & num. 6.*
7 *Solutiones canonum, & alia adminicula, non suffragan-
tur ad effectum caducitatis.*

DECISIO CCCCXXII.

FVit dubitatum, An mandatum de manutenendo
in possessione Molendini sit dandum D. Marchio-
ni, vel Gentilitijs. Cuius Dubij resolutio pendet à va-
liditate, & iustitia sententiæ latæ extra Rotam in fa-
1 uorem Marchionis; Quia si Iudex † ritè, & rectè pro
cessit, Gentilitij amiserunt suam possessionem, & iux-
ta doctr. Angeli *in leg. qui vniuersas, ff. de acquir. poss.*
mandatum de manutenendo dandum esset Marchio-
ni. Si vero Iudex non processit ritè vel rectè, in hoc
2 casu sententia † eos non priuauit possessione cinili; vt
fuit resolutum *in Causa Romana Domus ad Imaginem*
Pontis coram bon. mem. Cardinali Lancellotto: & prop-
3 terea † mandatum de manutenendo dandum esset ip
sis, qui prius erant in possessione, & non habuerunt
se pro spoliatis. Put. *decis.* 198. *lib.* 1. *& decis.* 418 *lib.* 2.
Et Domini resoluerunt, sententiam esse insultam;
4 Quia ad istum effectum, vt † sit locus caducitati, &
rei vendicationi, requiritur probatio plena, & con-
cludens Dominij, vt fuit resolutum coram me *in Cau*
5 *sa Romana Domus*. Et ista probatio cessat: quia † Ca-
tastrum de per se non probat dominium, sine consen-
su possessorum, de quorum præiudicio agitur. Bald,
in leg. solemnibus, Cod. de rei vendic. & fuit resolutum
coram Sant. D. N. *in Causa Tudertina confinium de anno*
1584. Et quamuis testes deponant, de obseruantia
6 Catastri; tamen † illa obseruantia, non tribuit maius
robur, ampliando effectum probationis; neque infert
ad dominium. Et hoc eo magis dicendum est, quia
illa partita, secundum Dominos, est æquiuoca; cum
possit intelligi de quarta parte Molendini: Solutiones
7 † verò Canonum, & alia adminicula, & ad illum ef-
fectum caducitatis, non suffragantur. Caputaq. *decis.*
180. *par.* 1. Et propterea cum sententia non iustifice-
tur ex actis, Domini concluserunt mandatum de ma-
nutenendo dandum esse Gentilitijs.

ROMANA VIGINTIMILLIVM.

Veneris 20. Februarij 1604.

ARGVMENTVM.

Adimplementum extra tempus conuentum, an suf-
fragetur.

SVMMARIVM.

1 *Promissio dandi calculum in tempore præstituto, non cen-*
setur facta ad effectum perimendi obligationem soluen-
di; si calculus non datur intra illud tempus; sed ad effe-
ctum differendi solutionem, ita vt, ante illud tempus non
possit peti executio obligationis, & num. 2. & 3. Ideo-
que sufficit quòd adimplementum quandocunque super-
uenerit, & num. 4.

5 *Calculus subscriptus ab habente specialem facultatem so-*
lidandi, perinde est ac si sit subscriptus ab ipsomet prin-
cipali.

DECISIO CCCCXXIII.

POst resolutionem factam in hac Causa, quòd ex-
ceptio correspectiuitatis non obstabat Bonsijs, vt
non possint agere contra Illustrissimum Cardinalem;
Proposui Dubium, An eis obstet exceptio non adim-
plementi. Et Domini distinguebant materiam in
duas difficultates principales. Prima difficultas fuit,
An Bonsij adimpleuerint suam obligationem in dan-
do calculum, quamuis illum dederint extra tempus
conuentum. Secunda difficultas fuit; Presupposito,
quod adimpleuerint, An iste calculus sit legitimus,
& sufficiens.

Quantum ad primam difficultatem, Domini fue-
runt concordes, quòd Bonsij adimpleuerunt formam
suæ obligationis, quamuis dederint calculum extra
tempus: Quia eorum promissio dandi calculum per
totum mensem Septembris non fuit facta ad effectum
limitandi, & perimendi obligationem Illustrissimi
1 Cardinalis, ita vt non teneatur vlterius, non sequu-
to hoc adimplemento in tempore, cùm eius obligatio
soluendi summam scutorum 50000. sit pura: sed est
adiecta ad effectum differendi solutionem, vt antea
Bonsij non possent petere executionem, etiam quod
esset lapsus annus, quem habebat Cardinalis ad sol-
uendum; iuxta Doctrinam Bartol. quam communi-
ter sequuntur Doct. *in leg. cum, §. qui ita, ff. de verbor.*
obligat. & late deducunt informantes.

Et cùm ista materia potissimum pendeat, ex con-
iecturis, iste intellectus, secundum Dominos, clare
probatur: quoniam ista promissio dandi calculum,
fuit facta, quia non erant solidata computa inter Co-
mitem Pitiliani, & Bonsios; & expediebat Cardina-
li, quòd præcederet solidatio, vt Comes non posset
opponere, quòd non remanebat debitor Bonsiorum
in tanta summa; & quòd ipse male soluerat: & ideo
ista prouisio, quòd daretur calculus, solum fuit facta
ad effectum sciendi quantitatem crediti Bonsiorum,
& summæ, quæ debebat solui à Cardinali, & non ad
effectum, vt Cardinalis non teneretur, si non dabatur
calculus in tempore. Et hoc eo magis dicendum est,
quia Bonsij, qui erant securi de satisfactione sui cre-
diti per retentionem affictus, non fecissent cessionem
simplicem in fauorem Cardinalis, recipiendo ab eo,
promissionem conditionalem, exponendo se litibus,
& periculo amittendi hanc summam, si non conue-
niebant cùm Comite in calculo, vel illum non dabant
in tempore. Considerabant etiam Domini, quod
Cardinalis non intererat de illo tempore, quòd cal-
culus daretur in tempore: quia ipse poterat exigere
incontinenti à Comitissa; & interim, donec Bonsij da
bant calculum, poterat retinere in manibus hãc sum-
mam: & propterea non debebat esse solicitus ab ini-
tio, quòd Bonsij omnino tenerentur dare calculum
in tempore præsliruto.

Non obstat quòd Cardinalis emit cessionem à Bõ-
sijs, ob regressum, quem habebat super pretio Castri
venditi Comitissæ; & quòd ex illo pretio non potest
amplius consequi satisfactionem, ob Commissiones,
quæ superuenerunt ad fauorem creditorum, Status
Ecclesiastici: quia promissio Cardinalis respectu Bõ-
2 siorum est simplex, & pura, neque habet relationem
& correspectiuitatem ad satisfactionem pretij; ita
vt noluerit teneri, si non poterat consequi satisfactio
nem ex pretio; vt fuit resolutum; & similiter obliga-
tio Bonsiorum dandi calculum in certo tempore, non
fuit facta ad effectum limitandi, & perimendi obliga-
tionem si calculus non dabatur in illo tempore, vt di
ctum fuit: & propterea istud impedimentum, quod
postea superuenit, non liberat Cardinalem. Et tanto
magis, quia ista dilatio Bonsiorum, non præstitit ali-
quod impedimentum Cardinali; quoniam poterat se
ponere

ponere in toto, exigendo ab initio totam summã scutorum 50000. à Comitissa qua non poterat opponenere aliquam exceptionem; quòd creditum Bonsiorum non erat in tanta summa; quia hoc solum erat firmandum inter Bonsios, & Comitem; Et ideo totum hoc damnum prouenit propter non adhibitam diligentiam in procuranda satisfactione à Comitissa.

Non obstat, quòd Bonsij, non dando calculum in tempore, propter Iuramentum ceciderunt à commodo contractus, & ideo non possunt agere pro adimplemento, iuxta notab. 50. *Matthesil*. Quia adim-
3 plementum Bonsiorum in hoc casu erat solum necessarium ad effectum vt ipsi non possent habere executionem contractus; & ideo sufficit quod adimplemẽ-
4 tum quandocunque superuenerit, vt fuit resolutum *in Causa Perusina Executionis 11. Maij 1572. coram Reuerendiss. D. meo Patriarcha Alexandrino*. Vltra quod illa materia requirit dolum, de quo non docetur.

Circa secundam difficultatem Domini concluserunt calculum, esse legitimum, & validum, quia fuit subscriptum à D. Bertoldo habente specialem facultatem à Comite solidandi; & ideo perinde est ac si calculus fuisset subscriptus ab ipso Comite. Cassad. *decis. 3. de rescr.* Et fuit resolutum *in Causa Maioricen. Beneficij Sancti Clementis 16. Octob. 1573. coram Sanctiss. D.N.* Et quamuis opponatur, quòd cambia non sunt mera, & realia, & non sunt iustificata, tamen ista exceptio non spectat ad Cardinalem: quia calculus debebat fieri cùm Comite, & non cùm Cardinali, qui in hoc non habet vllum interesse: Et ideo sufficit solidatio, & confessio procuratoris ipsius Comitis: Et tanto magis, cùm Comes non contradicat, & in Instrumento enuncietur notabilis summa cambiorum.

Non obstant illa verba, *Pro rata veri crediti*. Quia eorum sensus est clarissimus; & hoc solum importãt, quòd si ex calculo inter Comitem, & Bonsios, appareret ipsos non esse creditores in tanta summa, cessio intelligatur facta pro rata veri crediti: Et ideo sufficit quod constet de vero credito per solidationem factam cum Comite, cum quo debebat fieri.

PLACENTINA FRVCTVVM.

Lunæ 15. Martij 1604.

ARGVMENTVM.

Capitulum an impedito residere teneatur restituere distributiones, & illos fructus, qui non dantur nisi residentibus, & interessentibus.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum non tenetur restituere distributiones, quæ dantur solum residentibus, & interessentibus, quando impedimentum residentiæ non prouenit ex facto Capituli, sed ex facto Iudicis valido, & iusto.*
2 *De Iure communi Canonicus non residens non potest petere distributiones.*
3 *Declaratur Constitutio Pij V.* De Distributionibus.
4 *Distributiones regulariter non veniunt appellatione fructuum, & emolumentorum Canonicatus.*
5 *Capitulum ob iustam causam excusatur à restitutione distributionum.*

DECISIO CCCCXXIV.

Domini distinxerunt duo tempora. Primum tempus fuit à die relaxationis sequestri, vsque ad diem concordiæ, quòd sequestrum non impediret residentiam Ioannis, & illius Interessentiam in Diuinis. Secundum tempus fuit post notificationem, factam Capitulo huius concordiæ, & instantiam factam pro parte Ioannis, quòd illum admitteret ad residentiam & interessentiam in diuinis.

Circa primum tempus, Domini sine difficultate fuerunt concordes, Capitulum non teneri ad restitutionem distributionum, & illorum fructuum, qui non dantur nisi residentibus, & interessentibus.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia impedimen-
1 tum † residentiæ nõ prouenit ex facto Capituli, quod non fuit in lite; sed prouenit ex facto Iudicis valido, & iusto, cum sequestrum fuerit relaxatum vigore Clementinæ: Et propterea cùm Ioannes fuerit iustè impeditus interesse in diuinis sine culpa Capituli; in hoc casu impedimentum ei non suffragatur, ad effectum recuperandi distributiones à Capitulo, vt fuit resolutum *in Causa Carthaginen. Distributionum 15. Nouembris 1596. coram Reu. P. D. meo Penia*. Et, circumscripto impedimento, materia de Iure communi nul-
2 lam habet difficultatem: quia † Ioanni obstat exceptio non residentiæ, & interessentiæ in Diuinis, vt nõ possit petere distributiones, *cap. de cetero, de Cler. non resid. cap. licet, de praben. cap. vnic. de Cler. non resid. in* 6.
3 Constitutio † vero Sanctæ memo. Pij V. non procedit in distributionibus, quæ iuxta terminos Iuris communis diuiduntur inter præsentes, & interessentes, per ius non decrescendi, vt fuit resolutum *in Causa Carthaginen. Sequestri 20. Nouembris 1599. coram Reu. P. D. meo Lancellotto*.

Non obstat, quòd sequestrum fuit intimatum, & acceptatum à Capitulo. Quia in sequestro, ad quod habetur relatio in intimatione mandati executoris,
4 non fit aliqua mentio de distributionibus; & † regulariter non veniunt appellatione fructuum, & emolumentorum Canonicatus, *dict. cap. licet de preben*. Oldrad. *consil. 118. num. 1.* & fuit late deductum *in Causa Hispalen. Pensionis 29. Nouembris 1574. coram bon. me. Cæsare de Grassis*. Et propterea acceptatio Capituli, secundum Dominos, debet recipere declarationem, & restrictionem à sequestro; vt liget solum iuxta illius terminos. Et hoc eo magis dicendum est: quia cùm materia sit dubia, saltim Capitulum habebat iustam causam credendi quod in sequestro non comprætenderentur distributiones Et in ista dubietate, videbatur Dominis multum inuerisimile, quòd fuerit de intentione Capituli, velle se priuare distributionibus, quæ non debebantur Ioanni, sed debebant diuidi inter ipsos.

Quo vero ad secundum tempus Domini pariter concluserunt, Ioanni non deberi distributiones. Quia licèt fuerit intimatus Capitulo consensus collitigantis, quòd Ioannes resideret, & inseruiret Ecclesiæ; tamen cùm præcederet intimatio sequestri, & illius acceptatio facta à Capitulo, non poterat Capitulum illum dimittere sine reuocatione sequestri: & ideo Capitulum habuit iustam causam illum non admitten-
5. di: propter † quam iustam causam excusatur à restitutione distributionum; vt fuit resolutum *in Causa*

Oscen.

Oſcen. Canonicatus 4. Martij 1575. coram bon. memor. Orioleu. & in Cauſa Oriolen. Attentatorum 20. Maij 1585. coram Illuſtriſſimo Cardinali Blanchetto.

Et ceſſat in hoc caſu omnis difficultas: quia neq; circa iſtud ſecundum tempus probatur impedimentum præſtitum pro parte Capituli: Quamuis enim reſponderit intimationi cōſenſus, *Audite*; tamē iſtud verbum, *Audire*, non infert neceſſario denegationem & reiectionem: & ideo Ioannes debebat experiri, & facere debitam diligentiam ex ſua parte; &, ſi fuiſſet impeditus, tunc potuiſſet imputari Capitulo, quòd illum noluiſſet admittere.

ILLERDEN. IVRIS BAPTIZANDI.

Veneris 19. Martij 1604.

ARGVMENTVM.

De nullitate ſententiæ, ex defectu citationis.

SVMMARIVM.

1 *Citatio generalis ad omnes actus ſufficit, quando adeſt contumacia citati in non comparendo. Multo magis, ſi adſit comminatio, quòd procedetur in Cauſa, contumacia non obſtante, & num. 2.*

3 *Contra Communitatem indefenſam non poteſt procedi in contumaciam, non dato ei curatore.*

4 *Aequalitas priuilegij non ſuffragatur Eccleſiæ contra Communitatem, quando Communitas remanet indefenſa, & per ſententiam ad fauorem Eccleſiæ, infertur præiudicium Communitati.*

5 *Epiſcopus in quo caſu teneatur ſumere partes Iudicis, & ſit mixtus executor.*

DECISIO CCCCXXV.

FVit per Dominos reſolutum, ſententiam Canonici Oſcenſis eſſe reuocandam ex capite nullitatis, propter defectum citationis. Quia quamuis præceſ-
1 ſerit citatio generalis ad omnes actus, quæ † ſufficit quando adeſt contumacia citati, in non comparendo. Rot. *deciſ. 7. in fin. de re iud. in nou.* Gabr. *concluſ. 1.*
2 *num. 401. de citat.* & tanto magis, cùm in hoc † caſu in citatione adſit comminatio, quòd procedetur in Cauſa non obſtante contumacia: nihilominus non conſtat quòd illi, contra quos fuit executa illa citatio, eſſent partiarij, & quòd haberent legitimam facultatem comparendi pro communitate, contra quā fuit lata ſententia.

Et ceſſat ſecundum Dominos, omnis difficultas: quia cum iſti partiarij non comparuerint in cauſa,
3 non † potuit procedi contra Communitatem indefenſam, in cōtumaciam, non dato ei Curatore. Creſc. *deciſ. 307. lib. 1.* & ſæpius fuit reſolutum. Et quamuis in hoc caſu ſententia ſit lata ad fauorem Eccleſiæ, ni-
4 hilominus cùm † Communitas remaneat indefenſa, & per hanc ſententiam ei inferatur damnum, & præiudicium, *leg. non eo minus, Cod. de procurat.* æqualitas priuilegij non ſuffragatur Eccleſiæ, *leg. vlt. ff. ex quib. cauſ. maior.* Bald. *in auth. quas actiones, num. 1. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.*

Aliud fundamentum nullitatis, quòd ſententia Epiſcopi Illerden. fuit valida, cùm eſſet merus executor, & nihilominus fuit reuocata, ex capite nullitatis; non placuit Dominis: quia cùm Eccleſia Cathedralis, eſſet in poſſeſſione immemorabili baptizandi infantes priuatiuè, quoad alios; & pro parte Capi-
tuli fuerit proteſtatum, quòd † nihil fieret, niſi ipſo 5
audito; & petierit copiam Breuis; in hoc caſu Epiſcopus tenebatur aſſumere partes Iudicis, & erat mixtus executor. Felin. *in cap. vltimo, num. 24. de præſumpt.* Achill. *deciſ. 6. ſuper regul. de triennal.* & propterea non poterat procedere extraiudicialiter, & vti merus executor.

Non obſtat quòd Papa intellexit ius Capituli, & quòd tam in Breui, quàm in ſententia Epiſcopi, præſeruantur iura debita Eccleſiæ Cathedrali. Quia intereſſe Capituli verſabatur in oſtendendo, quòd narratiua in gratia, ex qua Papa motus fuit, non erat vera; & ideo gratia non debebat habere effectum; & in hoc debebat audiri.

VARMIEN. CANONICATVS.

Veneris 7. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

Concordata Germaniæ quando obſtent prouiſioni Apoſtolicæ. Eccleſia Varmienſis an ſit comprehenſa ſub Concordatis Germaniæ.

SVMMARIVM.

1 *Concordata obſtāt prouiſioni Apoſtolicæ, quando Gratia non ſuſtinetur in vim præuentionis.*

2 *Eccleſia Varmienſis eſt comprehenſa, ſub Concordatis Germaniæ.*

3 *Papæ aſſertioni ſtatur non ſolùm in illa parte, quæ concernit partim factum proprium ipſius, & partim factum in præſentia ipſius; ſed etiam in parte concernente factum alienum, & num. 4.*

5 *Simplex narratiua Papæ probat, quando Gratia, vel eius reuocatio, eſt fundata in illa narratiua.*

6 *Non eſt credibile, quòd idem Papa, qui conceſſit Gratiam, voluerit illam reuocare, ſi fundamentum reuocationis, non eſſet verum.*

7 *Clauſula in collatione*, Dummodo diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, *eſt restrictiua, & oſtendit mentem Papæ, quod noluit præuenire. Contra deciſionem* in Cauſa Meten. Canonicatus, *coram de Rubeis, & numer. 8.*

9 *Concordata Germaniæ excipiunt familiares Papæ.*

10 *Intellige de familiaribus veris, & non de fictis, & per priuilegium.*

DECISIO CCCCXXVI.

PRopoſui Dubium in hac cauſa, An concordata Germaniæ obſtent prouiſioni Apoſtolicæ, in fauorem Laurentij. Cuius Dubij reſolutio pendet, ex eo, An Eccleſia Varmien. ſit comprehenſa ſub Con-
1 cordatis: quia ſi eſt comprehenſa, Concordata † obſtant prouiſioni Apoſtolicæ, quando Gratia non ſubſtinetur in vim præuentionis. Caputaqu. *deciſ. 87. lib. 3.* Mohed. *deciſ. 23. de præben.* Creſcen. *deciſ. 55.* Simonett. *deciſ. 6.* Et Domini cùm præſuppoſito, quòd
2 iura ſint in forma probanti, reſoluerunt † Eccleſiam Varmien. eſſe comprehenſam ſub Concordatis, & illa obſtare Gratiæ Laurentij.

Monebantur: Quia fel. record. Innocentius Octauus conceſſerat Caſimiro Regi Poloniæ facultatem nominandi perſonas idoneas ad beneficia vacantia in multis Eccleſijs: quæ poſtea, quantum ad Eccleſiam Varmienſem, fuit reuocata per Breue obtentum

ad instantiam Episcopi,& Capituli; eo quia hæc Ecclesia erat compræhensa sub Concordatis Germaniæ. Et quia succedente vacatione Ecclesiæ, Rex conquerebatur, quòd à Sede Apostolica fuerat confirmatus electus:Papa in alio breui scripto ad Regem attestatur, quòd Causa in duobus Consistorijs proposita,& diligentissimè inspectis iuribus Regis, matura omnium discussione compertum est, aliter fieri non potuisse,quàm quod factum erat; cùm nulli dubium esset, quin beneficio Concordatorum illa Ecclesia gaudere deberet; idq; aliquot confirmationibus per eius prædecessores ipsis electis declaratum esse pluribusque argumentis Ecclesiasticis comprobatum:Et hortatur Regem,vt huic iustissimæ,& necessariæ deliberationi acquiescat. Et propterea,

3 cùm stetur † assertioni Papæ non solum in illa parte, quæ concernit partim factum proprium ipsius Papæ, & partim factum in præsentia ipsius quod causa fue-

4 rat discussa, & resoluta in Consistorio; sed † etiam in ea parte,quæ concernit factum alienum secum gestū, quòd Oratores Regis fuerant auditi, vt fuit resolutum *in Causa Salamantina Iurisdictionis* 17. *Maij* 1577. *coram Illustrissimo Cardinali Seraphino*, & *in Causa Legionen. Iurisdictionis de Saldagno*,23. *Iunij* 1589.*coram Illustrissimo Cardinali Plato*; non potest negari, quòd ista Ecclesia non sit compræhensa sub Concordatis: quia non versamur in simplici narratiua Papæ, etiam

5 in hoc casu probaret, cùm † reuocatio gratiæ prius concessæ Regi sit fundata in illa narratiua; vt per Doct. *in Clement.* 1. *de probat,* Gabr.*de probat. conclus.*2, *num.*49. Et tanto magis, cùm sit multum adminiculata: sed vltra assertionem Papæ habemus resolutionem claram totius Consistorij, quòd ista Ecclesia sit compræhensa sub Concordatis, factam in Iudicio contradictorio cùm Oratoribus Regis,post iteratam Causæ propositionem,& post longam discussionem huius negotij per duos menses,& exactam Causæ cognitionem. Et hoc eo magis dicendum est, quia, vt apparet ex illis verbis Breuis, *Cùm nulli dubium esset quin illa Ecclesia beneficio Concordatorum, gaudere deberet*,& ex toto tenore ipsius, res fuit habita pro clara & indubitata in Consistorio,quòd ista Ecclesia esset compræhensa sub Concordatis.

Et hoc etiam Domini confirmabant: quia gratia fuit concessa Regi, qui plurimum instabat quòd haberet effectum, & quòd ideo non est verisimile quòd

6 † idem Papa,qui concesserat, voluisset illam reuocare,si fundamentum reuocationis,quod ista Ecclesia erat compræhensa sub Concordatis, non fuisset verum,Alexan.*consl.*15.*num.* 2.*lib.*5. & fuit resolutum coram me *in Causa Portuen. Beneficij* 27. *Martij* 1596. & tanto magis,cùm reuocatio sit facta solum limitatè quoad hanc Ecclesiam.

Non obstat, quòd Papa potuit præuenire, non obstantibus Concordatis. Quia non est quæstio de potestate,sed de voluntate;& in hoc casu est clarum, quòd noluit præuenire; quia collatio est facta vti de reseruato,& cùm clausula, *Dummodo dispositio ad Nos*

7 *hac vice pertineat*; quæ est † restrictiua, & ostendit clarè mentem Papæ, quod noluit præuenire, vt fuit resolutum *in Causa Ianuen. Canonicatus* 14.*Octob.* 1569. coram bon.mem.Oradino, & *in Causa Romana Clericatus* coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio, & *in alia Salamantina* coram bon. mem. Gipsio: quicquid dictum fuerit in contrarium *in Causa Meten. Canoni-*

8 *catus* coram Rubeis: Quia † ratio illius decisionis, quòd ista clausula satis verificatur, cùm collatio spectet in omnibus mensibus ad Papam,vti Ordinarium Ordinariorum, non fuit visa Dominis digna consideratione: quoniam ista clausula restrictiua secundum illum intellectum nihil operaretur, & collatio Papæ semper substineretur in vim præuentionis.

9 Non obstat quòd Concordata † Germaniæ excipiunt familiares Papæ. Quia exceptio intelligitur de familiaribus veris, & continuis Commensalibus, & non de familiaribus fictis,& per priuilegium, prout erat Reschia,Simonet. *decis.*28.*lib.* 3. Ant. August. *in tit.de Concord.* §. 5.

S. SEVERINI BONORVM.

Lunæ 10. *Maij* 1604.

ARGVMENTVM.

Filius adoptiuus an, & quādo excludat substitutum.

SVMMARIVM.

1 *Filius adoptiuus excludit substitutum sub conditione, si decesserit sine legitimo hærede.*

2 *Adoptari nequit qui est effectus sui iuris; sed est necessaria arrogatio.*

3 *Transactio, si non est concepta verbis claris, & prægnantibus, intelligitur de portione spectante ad cohæredem ante purificatum fideicommissum; non autem post illud purificatum: & recipit declarationem banc à modicitate summæ soluta renuncianti, & num.* 4.

DECISIO CCCCXXVII.

Domini resoluerunt, portionem Balthassaris, in qua fuit substitutus Federicus, post eius mortem à Mattheo,spectare ad Riccabellam:Quia substitutio post mortem Balthassaris sine filijs ad fauorem Federici eius patris,est clara;& illi fuit factus locus, quia Balthasar decessit sine filijs.

Non obstat, quòd Balthasar reliquit Catherinam

1 filiam adoptiuam, quæ † excludit substitutum sub conditione, si Balthasar decessisset sine legitimo hærede. Quia ex actu,qui datur in summario, constat

2 quòd pater Catherinæ erat mortuus, & ipsa erat † effecta sui iuris. Et propterea non poterat adoptari,sed erat necessaria arrogatio,*leg.* 1. *&* 2. *ff. de adopt.* §. 1. *Inst. eod. tit.* Et in hoc casu non fuit processum via arrogationis; nec concurrunt illius requisita de quibus late actum fuit *in causa Perusina de Vbaldis* 4. *Iulij* 1586. *coram bon. mem. Orano.*

Non obstat transactio. Quia verba non sunt ita clara, & prægnantia, quòd non possint intelligi de portione,quæ spectabat ad Federicum ante purifica-

3 tum fideicommissum. Ex causa de præsenti:& ideo † renunciatio non comprehendit illum casum; vt per Doct. *in leg. qui Romæ*, §. *duo fratres*, *ff. de verb. oblig.* Et hoc eo magis dicendum est, quia transactio recipit declarationem a modicitate summæ, quæ fuit soluta Federico;& à lite,quæ pendebat solum super portione debita de illo tempore Federico.

Non obstat cessio facta à Riccabella: Quia adest retrocessio ad eius fauorem. Reseruarunt autem Domini,vt particulariter videatur, An Riccabellæ competat ius super alia portione,quæ erat propria ipsius Federici.

MON-

MONTIS REGALIS, SEV CATANEN. IVRISDICTIONIS.

Veneris 14. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

De remissoriæ denegatione ob præsumptionem calumniæ.

SVMMARIVM.

1 *Articuli censentur calumniosi, quando continent negatiuam eius, cuius contrarium probatur per testes, & scripturas.*

2 *Probatio affirmatiua per scripturas reddit materiam articulatam in contrarium, calumniosam, vt valde suspectam.*

DECISIO CCCCXXVIII.

Domini censuerunt, Capitulo non esse concedendam remissoriam, propter vehementem præsumptionem calumniæ, quòd petatur solum ad effectum differendi expeditionem Causæ. Quia articuli nō solum præseferunt magnam inuerisimilitudinem, vt bene deducunt informantes, sed ferè omnes continent negatiuam eius, cuius contrarium probatur per scripturas, & testes; vt in decisionibus in hac
2 Causa factis fuit late deductum. Et ista † probatio affirmatiua per scripturas, reddit materiam calumniosam, & multum suspectam, vt per Ægid. *decis.9.*

FOROLIVIEN. CENSVS.

Lunæ 17. Maij 1604.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Quando moneta, puta, libra, est in obligatione, & paulus in solutione; tunc, si libra non reperiatur, & paulus non sit diminutus; sed solum alteratio succedat propter deteriorationem monetæ inferioris, puta, quadrantis, quæ non est in obligatione, neque in solutione; tunc solutio est facienda iuxta æstimationem temporis contractus.*

2 *Deterioratio monetæ inferioris, non cedit damno creditoris.*

DECISIO CCCCXXIX.

Fvit per Dominos concorditer resolutum, esse soluendas 378. libras in tot paulis, iuxta valorem de tempore contractus.

1 Mouebantur. Quia libra † est in obligatione, & paulus in solutione; & propterea cùm libra non reperiatur, & paulus non sit diminutus, & remaneat in suo antiquo esse, sed solum alteratio successit propter deteriorationem monetæ inferioris, quæ non est in obligatione, nec in solutione: in hoc casu secundum communem opinionem Doctorum, solutio est facienda iuxta æstimationem temporis contractus; vt fuit resolutum *in Causa Cesenaten. Pecuniaria*, coram Reu. P.D. Penia; & sæpius fuit tentum in alijs. Et ideo licet hodie plures quadrantes requirantur ad constituendum bononenorū, & iuliū, propter deterioratio
2 nem ipsorum quadrantium; tamen † ista, deterioratio monetæ inferioris non cedit damno creditoris, & consequenter soluendi sunt tot pauli, qui conficiant libram 20. bononenorum ad rationem septem quadrantium pro singulo bononeno; prout valet libra, quæ est in obligatione Put. *decis.* 149. *num.* 7. *lib.*2. & inter recentiores bene deducunt Aim. *cons.*47. *nu.*76. Beto. *cons.* 143. *num.*27. & 28. *lib.*1. & Purpur. *consil.* 523.

ROMANA PIGNORVM.

Lunæ 17. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

Excluditur correspectiuitas.

SVMMARIVM.

1 *Capitula si sint separata, posita in clausulis separatis, & tendunt ad diuersa; nec vnum tendit ad determinationem alterius: cessat correspectiuitas.*

DECISIO CCCCXXX.

IN hac materia sunt duæ difficultates separatæ; Prima est, an adsit talis correspectiuitas inter cap. 10.14. & 15. & cap. 13. vt propter defectum formæ dict. cap. 13. liber Missanorum non faciat fidem, & non probet constitutionem pignoris, quia si liber nō probat pignus, cessat fundamentum Missanorum, quod consistit in pignore, & vsuris.

Alia difficultas est, Præsupposito quòd liber probet, quia fuerit seruata forma requisita pro essentia, & perfectione libri, quæ continetur in dictis cap. 10. 14. & 15. An Christiani possint dicere: Nos non controuertimus quòd liber non probet pignus, sed habemus cap. 13. separatum, quod inducit formam; & propterea Missanis nō suffragatur constitutio pignoris, cum non fuerit seruata forma requisita pro validitate constitutionis pignoris, cum qua receperunt facultatem mutuandi sub vsuris.

Dubium est restrictum ad primam difficultatem; informantes aggrediuntur vtranque, & confundunt disputationem. Agendo igitur strictè de correspectiuitate ad effectum, vt liber probet, vel non probet constitutionem pignoris; Domini resoluerunt non
1 adesse correspectiuitatem: Quia † capitula sunt separata, & posita in clausulis separatis, & de per se; & tendunt ad diuersa; nec vnum venit ad determinationem alterius: & propterea cessat correspectiuitas. Et hoc eo magis dicendum est, quia tota ista materia pendet à mente: &, si concurrunt requisita pro perfectione libri, nō est verisimile quòd fuerit intellectum velle adimere fidem libro, & non probet constitutionem pignoris, si non obseruatur forma in descriptione qualitatum pignoris: Et tanto magis, quia hoc potest esse vtile Christianis: quoniam si amittunt bullittinum, prout multoties succedit, haberent difficultatem probandi aliunde.

Non obstat forma data in approbatione libri: Quia non facit Capitula correspectiua, & non alterat illorum dispositionem, inducendo correctionem, & adimendo fidem libro, si Capitula non adimunt: sed solum potest seruire, pro declaratione mentis, quòd obseruentur contenta in Capitulis, & quod sine ista obseruantia non suffragetur Hebræis facultas mutuandi.

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS.

Veneris 21. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

Agitur de probanda obſeruantia à ſententiæ.

SVMMARIVM.

1 *Scientia, & patientia Epiſcopi, ad effectum obſeruantiæ ſententiæ, deducitur ex multiplicitate actuum, cum lapſu longi temporis.*
2 *Ex actibus æquiuocis non probatur obſeruantia ſententiæ.*
3 *Per ſuperuenientiam noui tituli, ſine alia declaratione, cenſetur noua Cauſa cumulata poſſeſſioni præcedenti, & num. 4.*

DECISIO CCCCXXXI.

IN alia propoſitione huius Dubij ſub die ſeptima Aprilis Domini ſine difficultate erant concordes, quòd ex actibus, qui dantur, probatur obſeruantia ſententiæ; & quòd in hoc caſu non erat neceſſaria ſcientia, & patientia Epiſcopi, propter titulum ſententiæ præcedentem; Et quod ſi erat neceſſaria, illa
1 † ſatis probatur, ex quaſi poſſeſſione Decani ante ſententiam, & ex multiplicitate actuum cum lapſu tanti temporis. Innoc. *in cap. bonæ eius Imtij. 2. de poſtulat. Prælat.* Abb. *in cap. cum Eccleſia Sutrina num. 25. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & fuit reſolutum *in Cauſa Hoſtien. Littoris maris coram bon. mem.* Rubeo: præſertim cum concurrant duo actus de anno 1346. & 1365. qui ſecundum aliquos ex Dominis multum faciunt pro probatione ſcientiæ, & patientiæ Epiſcopi.

Maior difficultas fuit inter Dominos, An iſti actus ſuffragêtur Decano. Quia cum concurrat eius quaſi poſſeſſio ante ſententiam, tenebant aliqui, quòd iſti actus poſteriores redduntur æquiuoci, cùm poſſint eſſe quòd fuerunt facti non in vim ſententiæ, ſed in vim quaſi poſſeſſionis præcedentis, illam continuan-
2 do: & propterea † ex illis non probatur obſeruantia ſententiæ. Abb. *in cap. 2. in fin. de cenſ.* Ruin. *conſ. 104. ſub num. 15. lib. 5.* & fuit alias reſolutum *in hac Cauſa.* Et Cauſa ſuper hac difficultate hac die propoſita, Domini cenſuerunt, ex iſtis actibus probati obſeruantiam ſententiæ.

Fundamentum reſolutionis fuit: Quia licèt Decanus eſſet in poſſeſſione ante ſententiam, tamen ceſſat æquiuocatio: quia iuxta illam opinionem, quàm
3 Rota ſequitur, per † ſuperuenientiam huius noui tituli ſine alia declaratione, cenſetur accumulata iſta noua cauſa poſſeſſioni præcedenti, ita, vt iſti actus poſteriores dicantur, facti etiam in vim ſententiæ. Put. *deciſ. 446. lib. 1.* Achill. *deciſ. 4. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Creſc. *deciſ. 5. de reſtit. ſpol.* Peregr. *deciſ. 256. lib. 2.* Caputaq. *deciſ. 74. lib. 2.* Et hoc eo magis dicen-
4 dum eſt, cùm iſta † ſecunda cauſa veniat in corroborationem, & augmentum primæ, & eſſet magis proficuum Decano poſſidere, ex vtraque cauſa, cùm per ſententiam canonizetur immemorabilis; vt per Creſc. *dict. deciſ. 5.*

FARFEN. TERRITORII.

Lunæ 31. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

Inſtrumenta quando dicantur eſſe in forma probanti.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumenta vltra centum annos, ex Rotæ ſtilo non recognoſcuntur; ſed ſufficit quòd ex ſui inſpectione appareant in forma probanti, & præſeferant antiquitatem.*
2 *Enunciatiuæ factæ in diuerſis temporibus, inter diuerſas perſonas, & à diuerſis Notarijs, comprobant veritatem Inſtrumentorum; & vnum coadiuuat aliud.*
3 *Notarius quis eſſe probatur per plura Inſtrumenta rogata ab eo, vti Notario.*
4 *Monachus poteſt publicare Inſtrumenta rogata ante ingreſſum in Religionem. Multò magis, ſi concurrat licentia Abbatis: circa quam creditur aſſertioni eiuſdem Monachi, & num. 5.*
6 *Monachus poteſt eſſe notarius, ſolum Inſtrumentorum ſuæ Abbatiæ, quæ priuatim expediuntur.*
7 *Induſtria Notarij non eligitur, vt ſcribat, ſed vt per ſubſcriptionem præſtet fidem geſtis.*
8 *Defectus ſigni Notarij in Inſtrumento, non vitiat, quando ſignum adeſt in protocollo.*
9 *Signum, ſecundùm opinionem Rotæ non eſt de ſubſtantia Inſtrumenti.*

DECISIO CCCCXXXII.

FVit per Dominos reſolutum, Inſtrumenta, de quibus in Dubio, eſſe in forma probanti.

Mouebantur: Quia Inſtrumentum de anno 1390. eſt antiquiſſimum; & ſecundùm obſeruantiam Rotæ,
1 Inſtrumenta † vltra centum annos non recognoſcuntur; & ſufficit quod ex ſui Inſpectione appareant in forma probanti, & præſe ferant antiquitatem; vt fuit reſolutum *in Cauſa Romana fideicommiſſi de Valle 4. Maij 1562. coram Oradino,* & *in Cauſa Ferrarien. Palatij coram me.* Et ceſſat in hoc caſu omnis difficultas: quia in Inſtrumento de anno 1467. refertur tenor iſtius Inſtrumenti, & exprimitur nomen Abbatis inueſtientis, & nomen, & cognomen Notarij qui enunciatur tunc fuiſſe Notarius Abbatiæ. Et videbatur Dominis non poſſe dubitari de fide huius Inſtrumenti rogati de anno 1467. quia ſi Abbatia non fuit in lite de anno 1562. ſed ſolum de anno 1587. reſpectu Abbatiæ inſtrumentum eſt antiquiſſimum, & non eget recognitione: Et ſupponendo etiam ſine veri præiudicio, quòd Abbatia fuiſſet antea in lite, nihilominus Domini idem ſentiebant, quòd hoc Inſtrumentum eſſet in forma probanti tam reſpectu Abbatiæ, quàm reſpectu Communitatis Mõtis Opuli: quia cum antiquitate 94. vel 95. annorum, & qualitate Inſtrumenti, quæ excludit omnem ſuſpitionem, concurrunt plura adminicula.

Primò, quia in tertio Inſtrumento vnionis de anno 1489. Et in Inſtrumento de anno 1535. fit mentio ſaltim implicitè huius Inſtrumenti de anno 1467. cùm in vnione de anno 1489. exprimatur quòd præcedebant duæ vniones, habendo relationem ad primam de anno 1390. & ad ſecundam de anno 1467. Et ſimiliter in Inſtrumento de anno 1535. exprimitur

tut quòd fuerant factæ tres vniones, compræhenden-
2 do etiam tertiam de anno 1489. Et istæ † enunciatiuæ factæ in diuersis temporibus inter diuersas personas, & à diuersis Notarijs, comprobant veritatem istorum Instrumentorum, & vnum alterum coadiuuat.

Secundò, in Instrumento de anno 1467. & in subsequenti de anno 1489. promittitur Abbati vna libra ceræ pro censu in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis, & singulis annis dantur plures solutiones factæ à Communitate Montisopuli Abbati; quæ correspondent formæ horum Instrumentorum, & probant illorum obseruantiam, & effectuationem; quia fuit soluta pluribus annis libra ceræ Abbatiæ; pro censu.

Tertiò, & vltimò, concurrit adiacentia situs conformis Instrumentis. Et ex istis omnibus simul iunctis videbatur Dominis materia carere difficultate, etiam quoad tertium Instrumentum de anno 1489. quia cum habeat antiquitatem 72. annorum, & vltra, & concomitantiam tot vrgentium adminiculorum, non potest reuocari in dubium eius fides, etiam si Abbatia fuisset in lite de anno 1562. & esset detrahendum ad illum effectum tempus litis: quæ difficultas ad huc est sub Iudice.

Maior difficultas fuit quo ad alia duo Instrumenta de anno 1535. & 1536. rogata à Ioanne Antonio de Oddis. Et Domini censuerunt, etiam ista esse in forma probanti: quia habent omnia requisita publici instrumenti, & reperiuntur etiam in eius protocollo, quod conseruatur in Archiuio Abbatiæ. Et circa Notariatum ipsius, & recognitionem manus nulla fuit difficultas: quia ex multitudine tot Instrumentorum, quæ sunt in protocollis; & ex depositionibus testium, qui sunt eius consanguinei, & bene informati; probatur Notariatus, & quod ista Instrumenta sunt subscripta eius manu. Et cessat omnis difficultas; cùm ista duo Instrumenta sint etiam scripta in eius protocollo. Et quamuis testes non probent concludenter quòd Io: Antonius esset Notarius de anno
3 1535. & 1536. tamen sufficit ad istum effectum, † quòd ostendantur plura Instrumenta ab eo rogata, vti Notario, ante annum 1535. vt per Lanfranch. de Oriano *in cap. quoniam contra capit. 9. numer. 10. de probat.*

Non obstat quod Io: Antonius erat Monachus. Quia non constat quòd de anno 1535. & 1536. esset
4 Monachus; & † Monachus potest publicare instrumenta rogata ante ingressum Religionis. Ias. *in leg. 1. § huius studij, num. 8. vers. 2 limit. ff. de iust. & iur.* Coua. *pract. 99. cap. 19. num. 8. in fin.* Et tanto magis, concur-
5 rente licentia Abbatis, circa quam creditur eius assertioni; vt in similib. terminis fuit resolutum: *in Causa Casalen. de Carrettis coram bon. mem. Gipsio. & in dict. causa Ferrarien. coram me.* Et quamuis enuncietur antea fuisse presbyter; tamen non probatur quòd esset presbyter de anno 1535. & 1536. Vltra quod ista obiectio non placuit Dominis, propter multitudi-
6 nem instrumentorum, & quia erat † Notarius solum Instrumentorũ Abbatiæ, quæ priuatim expediuntur, vt per Couar. *dict. cap. 18. numer. 8. vers. 2. conclusio, & vers. quod si Sacerdos.*

Non obstat quòd ista Instrumenta sint solum sub-
7 scripta à Io. Antonio. Quia industria † Notarij non eligitur, vt scribat, sed vt præstet fidem gestis; quàm satis pręstat per suam subscriptionem. Abb. *in capit. inter dilectus, num. 7. ad fin.* & ibi Felin. *num. 27. eod. titu.* & fuit resolutum *in dict. Causa Ferrarien.*

Non obstat quòd in Instrumento de anno 1535.
8 deficiat signum. Quia † sufficit quod signum ad sit in protocollo. Et tanto magis, cùm ex inspectione huius instrumenti appareat, quòd signum in eo fuit appositũ, licet postea fuerit incisum. Et cessat omnis difficultas quia secundum illam opinionem, quam
9 Rota sequitur, † signum non est de substantia, vt per Chisanen. *decis. 71.* & sæpius fuit resolutum.

ROMANA DE CINCIIS.

Veneris 4. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

De constitutione dotis facta à tutore.

SVMMARIVM.

1 *Onus dotandi spectat ad fratres, non ad matrem, quando dos fuit relicta in testamento à patre, cuius ipsi sunt hæredes.*

2 *Constitutio, & promissio dotis facta à tutore habente facultatem à testatore dotandi filiam suo arbitrio, censetur facta nomine pupillorum, & de eius bonis.*

3 *Tutor non censetur velle dotare de proprio, licèt sit patruus, quando promisit dotem vti tutor, & curator, & in libris tutelæ creant pupillos debitores summæ promissę.*

Intellige, non habere locum in dote excessiua; ita vt in excessu teneatur de suo, & num. 6.

4 *Tutor se obligans nomine proprio in constitutione dotis, censetur se obligaße vti fideiussor, pro maiori cautela.*

5 *Frater non tenetur dotare sororem vltra valorem portionis ei debitæ ab intestato: multoque minus vltra valorem totius patrimonij.*

Contrarium num. 9.

7 *Mater de Iure communi tenetur dotare filias in concursu cum fratribus, quando non adsunt bona paterna.*

8 *Legatum dotis relictum arbitrio tutoris intelligitur de dote congrua.*

10 *De Iure communi, quando portio non sufficit pro dote sororis, fratres tenentur illam honorificè dotare de proprio.*

11 *Patrimonium totum potest assignari pro dote, si qualitas personæ hoc suadeat.*

12 *Summa dotis taxata à Statuto Vrbis, inter Nobiles non habetur pro congrua.*

DECISIO CCCCXXXIII.

FVit dubitatum, An Reuerendissimus D. Episcopus potuerit constituere dotes scutorũ 16000. duabus neptibus, ita vt integra summa, vel saltim pars, sit ponenda in computis in debitum nepotum ad creditum ipsius: In cuius Dubij propositione Do-
1 mini non dubitabant, quòd † in hoc casu onus dotandi spectabat ad fratres, & non ad matrem: quia dos fuit relicta à patre in testamento, cuius ipsi sunt hæredes: & ideo onus dotandi spectat ad eos: nec minus aderat inter eos aliqua difficultas, quòd Episcopus in constitutione dotium nõ intellexit velle illas constituere, & soluere de proprio: quia cum administraret bona istorum fratrum, quorum erat Tu-

tor, & Curator; & haberet facultatem à Balthassare eorum patre constituendi dotes filijs feminis suo ar-
2 bitrio; constitutio, † & promissio dotium censetur facta nomine nepotum, ad quos spectabat onus dotandi: & de eorum bonis, ratione officij; & vigore facultatis sibi tributæ ab eorum patre. Bart. *in leg. cum post mortem, §. 1, sub nu. 2. ff. de admin. tutor.* Corn. *cons.* 124. *lib.* 1. Put. *decis.* 183. *lib.* 1. & fuit resolutum *in Causis Bononien. fideicommissi, & Interamnen. Dotis coram bon. mem. Gipsio*, quæ allegantur per informantes. Et hoc eo magis dicendum est: quia summa est ma-
3 gna, & Episcopus in promissione † expressit nomen officij Tutoris, & Curatoris; & postea in libris tutelæ creauit nepotes debitores huius summę. Et cum hæc sit materia coniecturalis, istæ circumstantię facti reddunt eam claram, quod Episcopus non habuit intentionem dotandi de proprio, & donandi, etiam si dotes essent excessiuæ.

Nec placuit Dominis coniectura, quæ deducitur per informantes, quòd Episcopus se obligauerit nomine proprio soluere D. Carolo Gabriellio, & releuauerit matrem pupillorum, quæ etiam se obligauerat eidem. Quia hoc non inducit præsumptionem
4 donationis. Cùm enim negotium † spectaret ad pupillas, censetur se obligasse vti fideiussor, pro maiori cautela Caroli, qui volebat esse securus, & nolebat stare simplici promissioni factæ nomine pupillorum, Corn. *dict. cons.* 124. *num.* 1. *&* 2.

Difficultas solum maxima fuit inter Dominos, circa quantitatem dotis, An Episcopus potuerit eis constituere tantam summam. In qua difficultate aliqui tenebant, dotem fuisse excessiuam. Cum enim iuxta calculum, qui datur pro parte nepotum, tota hæreditas patris, detracto ære alieno, non ascendat ad tan
5 tam summam, fratres † non tenebantur dotare sorores vltra valorem portionis eis debitæ ab intestato, ad quam se offerebant illas admittere; Et multo minus vltra valorem totius patrimonij. Gabr. *cons.* 20. *num.* 77. *&* 78. *lib.* 2. Et propterea, secundum istos
6 Dominos, dos fuit † excessiua; & saltim in eo, quod excedit portionem eis debitam, Episcopus non potuit obligare istos minores, & consequenter tenetur de suo, *leg. cum post mortem, §. 1. ff. de adm. tut.* Bald. Nouell. *in tract. de dot. priuil.* 41. Et in hanc sententiam eo facilius veniebant: quia si non poterat assignari dos congrua ex bonis patris, onus supplendi residuum
7 spectabat ad matrem, quæ † de iure communi tenetur dotare filias in concursu cum fratribus, quando non adsunt bona paterna; vt fuit resolutum *in Causa Bononien. Pecuniaria* 28. *Iunij* 1602. *coram R. P. D. meo Coccino*: & tanto magis, cùm isti fratres non sint admodum diuites.

Alij autem contrarium sentiebant, & mouebantur
8 tur: Quia legatum † dotis relictum à patre arbitrio Episcopi, intelligitur de dote congrua, Alex. *cons.* 69. *num.* 2. *lib.* 1. Et cum isti fratres sint hæredes patris sine beneficio legis, & Inuentarij Episcopus potuit eos obligare ad istam dotem; quæ attenta nobilitate familiæ, & qualitate maritorum, & consuetudine, quæ currit inter nobiles, est potius moderata, quàm excessiua: Et tantò magis cum altera filia fuerit effecta Monialis. Et in hoc casu non placebat istis Dominis
9 opinio Gabr. *in dict. cons.* 20. quòd † Episcopus non debuit excedere valorem portionis hereditariæ: quia Statutum procedit, quando pater decessit ab intesta-
10 to: & de iure communi, quando † portio non est sufficiens pro dote sororis, fratres tenentur illam honorificè dotare de proprio. Abb. *cons.* 12. *in* 7. *dubbio lib.* 1. Thesaur. *decis.* 192. *num.* 7. Et Albert. Brun. *in tract. quod stantibus masculis feminæ non succedant, art.* 9. *nu.* 9.
11 dicit, quòd † etiam totum patrimonium potest assignari pro dote, si qualitas personarum hoc suadeat. Et videbatur istis Dominis quòd Episcopus ceperit bonum consilium, etiam pro nepotibus: quia cùm in hoc casu mater non teneatur, propter legatum patris, attenta quantitate dotium, quæ currit, cùm minori dote non poterant collocari matrimonio, nisi personis ignobilibus; ex quo resultabat dedecus familiæ, & damnum istis nepotibus, qui sine difficultate non reperijssent vxorem similis conditionis cum dote ampla, si sorores fuissent nuptæ personis ignobilibus.

Causa igitur septem vicibus proposita super ista difficultate, tandem hodie pro maiori parte fuerunt concordes, Episcopum potuisse constituere dotem vsque ad summam scutorum 12000.

Fundamentum resolutionis fuit: Quia cùm ista materia plurimum pendeat ab arbitrio Iudicis, videbatur Dominis consideratis omnibus circumstantijs, quòd saltim in hac summa non adsit excessus. Et multum eos mouebat, quòd Episcopus idem fecerit, quod facturi fuissent isti fratres, si ipsi fuissent in ætate eos Collocandi in matrimonium; quia minor dos non poterat eis constitui, non obstante dispositione Statuti taxantis dotes in minori summa: quia ei fuit
12 derogatum, & passim derogatur, cùm illa † summa inter nobiles non habeatur pro congrua.

PARMEN. STATVS.

Veneris 4. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Iudex remissorialis, an possit alterare formam remissoriæ.

SVMMARIVM.

1 *Omissio Interrogatoriorum non reddit, iuxta Rotæ stilum, nullum examen; licèt non soleat adhiberi fides testibus taliter examinatis, nisi repetantur.*

2 *Iudex remissorialis, saltem sine consensu alterius Partis, non potest alterare formam remissoriæ.*

3 *Clausula, Et alias iuxta discretionem vestram, posita in remissoria, intelligitur vltra expressa.*

4 *Et habet locum, si in partibus non dantur Interrogatoria; vel quando Iudex vult aliquid supplere, quod est ei permissum de Iure communi.*

5 *Nec tribuit facultatem Iudici alterandi, pro suo arbitrio formam sibi præscriptam.*

6 *Et ponitur de stilo, etiam quando Interrogatoria sunt data in Curia, & transmittuntur in rotulo remissoriæ.*

7 *Iudex remissorialis potest resecare Interrogatoria superflua, & irreleuantia.*

8 *Interrogatorium super Confessione, & Communione, est releuans.*

9 *Testis, qui per annum non fuit confessus sua peccata, nec suscepit Eucharistiam, iuxta Rotam, repellitur à testimonio ferendo.*

10 *Interrogatorium Confessionis, & Communionis est solitum*

tum

sum fieri; & de stilo Curiæ admittitur in quolibet examine testium.

DECISIO CCCCXXXIV.

FVit iterum dubitatum, An Carlinus examinatus de anno 1532. Cremonæ ad instantiam Dominorum de Rangonibus, sit testis idoneus. Et Dubio proposito sub die 29. Martij, & postea sub die 10. Maij, non potuit capi resolutio propter diuersitatem opinionum. Tandem hodie causa iterum proposita, Domini resoluerunt Carlinum non esse testem idoneum.

Fundamentum principale factum fuit super omissione plurium Interrogatoriorum, & in specie in omissione Interrogatorij super Confessione, & Communione. Quia quamuis sit magna controuersia inter Doctores, An omissio Interrogatoriorum reddat nullum examen? in qua difficultate Rota solita

1 est tenere † quòd examen sit validum, licet non soleat talibus testibus fidem adhibere, nisi ipsis repetitis. Peregr. *decis.* 84. Put. *decis.* 427. *lib.* 1. Anto. Augusti. *in Epitom. in titul. de testibus*, §. 6. & fuit resolutum *in Causa Tullen. Matrimonij* 8. *Februarij* 1574. *coram Santis. D. N.* Nihilominus, cùm in remissoria fuerit data certa forma Iudici remissoriali, vt examinaret testes super interrogatorijs; & Pallauicini fuerint protestati de nullitate, si testes non examinabantur super interrogatorijs; in hoc casu redditur nullum examen,

2 defectu potestatis: quia Iudex remissorialis, saltem † sine consensu alterius partis, nõ habebat facultatem alterandi formam sibi præscriptam. Ægid. *in cap. per tuas, num.* 13. *de testib.* Rimin. *cons.* 385. *num.* 35. *lib.* 2. Accoramb. *decis.* 49. Et fuit resolutum *in hac Causa coram bon. mem. Oriolen. & coram me*; & *in Causa Syracusana Quarta, coram bon. memor. Gipsio*, quæ allegatur per informantes. Et hoc eo magis dicendum est, quia Iudex inceperat obseruare illam formam ad vnguem, examinando tres testes super omnibus interrogatorijs: & ideo multo minus poterat resecare interrogatoria, recedendo à forma sibi præscripta; quia antea facto ipso declarauerat quòd erant pertinentia, examinando super illis testes, non obstante oppositione Rangonorum. Et in hanc sententiam aliqui ex Dominis, eo facilius venerūt, quia Carlinus deponit, quòd non cogitauit super examine, nisi de præsenti, dum interrogatur; & quod non recordatur de aliquibus, quæ dixerit in alio examine in Ciuitate Parmæ, & quòd vidit actus impudicos Bernardini in præsentia aliorum testium. Quæ omnia videntur multum inuerisimilia; præsertim, cùm antea sciret quòd debebat deponere in hac Causa, & recenseat facta antiqua.

Non obstat quòd forma data in remissoria non est præcisa, cùm sit adiecta clausula. *Et aliàs iuxta discre-*

3 *tionem vestram.* Quia † ista clausula intelligitur vltra expressa, vt sæpius fuit resolutum in Rota; & recipit interpretationem à iure communi, vt habeat lo

4 cum, † si in partibus non dantur interrogatoria; vel quando Iudex vult aliquid supplere, quod ei est permissum de iure communi. Innoc. *in cap. cum Bertoldus, num.* 4. *de sent. & re iudic.* Put. *decis.* 8. *de testib.* Et ideo

5 non † tribuit facultatem Iudici alterandi suo arbitrio formam sibi datam; saltim quando interrogatoria non sunt omnino superflua, & impertinentia in quibus terminis procedit decisio facta in hac Causa coram Oriolen. Et iste intellectus comprobatur: quia

6 ista † clausula apponitur de stilo, etiam quando inter rogatoria sunt data in Curia, & transmittuntur ad Iudicem remissorialem inclusa in rotulo remissoriæ: in quo casu, propter Causæ cognitionem adhibitam in Curia, & approbationem Auditoris, cessat omnis difficultas, quòd Iudex non potest alterare formam sibi præscriptam. Et ideo necessario dicendum est, quòd ista clausula non apponitur ad istum effectum, vt Iudex in partibus possit suo arbitrio resecare interrogatoria.

7 Non obstat, quòd, etiam † circumscripta hac clausula, Iudex remissorialis potest resecare interrogato-

8 ria superflua, & irreleuantia. Quia † saltim interrogatorium super Confessione, & Communione, erat releuans: quoniam si testis respondebat, quòd in illo anno non fuerat confessus sua peccata, neque receperat Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, secun-

9 dum eam † opinionem quam Rota sequitur, repellebatur à testimonio, vt fuit resolutum *in Causa Vrbeuetana Tenutarum* 21. *Iunij* 1575. *coram bon. mem. Cesare de Grassis*: Et ideo Iudex remissorialis non poterat contra formam remissoriæ, illud resecare ex se, non certiorato, & consulto Auditore in Curia. Et tanto

10 magis, cum istud † interrogatorium sit ordinarium, & solitum fieri, & de stilo in Curia ad mittatur in quolibet examine testium; & idem Iudex remissorialis iudicauerit illud admissibile in alijs testibus, qui fuerunt super eo interrogati.

Non obstat quòd testis non tenebatur respondere huic interrogatorio. Quia etiam si hoc verum esset, debebat interrogari: quoniam poterat esse quòd vellet respondere, & quòd ex sua responsione appareret, quòd erat repellendus; & multum verisimile est quod testis respondisset propter stilum ordinarium, euacuando istud interrogatorium.

Non obstat quòd interrogatoria sint etiam omissa in examine aliorum testium. Quia hoc non infert ad validitatem examinis.

Non obstat, quòd Pallauicini non opposuerunt hanc nullitatem. Quia nihil impedit, quòd hodie durante lite, non possint illam opponere, cum non approbauerint examen.

Non obstat quòd Pallauicini per Commissionem ab eis obtentam, quod adhiberetur fides testibus examinatis cum interrogatorijs arbitrio Iudicum, renunciarunt huic exceptioni. Quia ista Commissio præsupponit examen cum interrogatorijs, & supplet alios defectus: & ideo non suffragatur Dominis de Rangonibus ad istum effectum. Vltra quod propter clausulam *arbitrio*, est necessaria declaratio Iudicum, quod eis sit adhibenda fides, de qua non apparet.

VENETIARVM PECVNIARIA.

Mercurij 9. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Excluditur error calculi, ad effectum, vt non sit reddenda ratio de nouo.

SVMMARIVM.

1 *Post solidationem computorum prætendens errorem in computis, debet docere concludenter de errore, qui sit considerabilis, & proueniat ex dolo, ad effectum, vt altera pars teneatur iterum reddere rationem.*

2 *Ver-*

2 *Verba* Portò in contanti, *iuxta stilum Mercatorum exponuntur*, Habuit à bancho.

3 *Partita erronea tantum in causa solutionis, si non sit duplicata, non continet dolum, neque errorem præiudicialem.*

4 *Error Copistæ in annotatione anni partitarum, non inducit falsitatem.*

DECISIO CCCCXXXV.

POst resolutiones factas in Causa, pro parte Illustrissimi D. Rodulphi Pij opponebatur de errore calculi, & ad effectum docendi de errore, fuit exhibitus quidam calculus extraiudicialis Petri Francisci Vannelli: propterea deputaui Petrum Ciaium computistam Reu. Cameræ Apostolicæ; qui auditis partibus, fecit suam relationem in actis: postea dedi Dubium, An constet de tali errore, vt Domini de Domo teneantur iterum reddere rationem Illustrissimo D. Rodulpho? Et Dubio hac die proposito, Domini fuerunt concordes non constare de errore; & propterea Dominos de Domo, non posse cogi ad reddendam iterum rationem.

Mouebantur: Quia propter solidationem computorum, & approbationem, & ratificationem D. Rodulphi, ipsi liberantur à iustificatione partitarum; 1 ideo necessarium est † quòd D. Rodulphus doceat concludenter de errore, qui sit considerabilis, & prouenia ex dolo; vt fuit late deductum *in Causa Meliten. Reuisionis Computorum* 30. *Octobrii* 1595. *coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio*. Hoc autem secundum Dominos non probatur. Quia tres partitæ, 4. 5. & 6. sunt positæ in debitum, & non in creditum D. Ro- 2 dulphi. Sensus enim † illorum verborum. *Il Signor Ridolfo portò in contanti, secundum stilum mercatorum est*, quòd D. Rodulphus habuit illas summas à banco. Partita vero scutorum 393. rectè fuit posita in debitum D. Rodulphi: quia ista summa fuit soluta Florentiæ de mandato Excellentissimi D. Io: Francisci Aldobrandini Ioanni Somaio creditori D. Rodulphi ad instantiam Antonij. Alia autem partita scutorum 16. pro extractu, continet solum errorem in causa solutionis: quia verè fuerunt soluta pro alio extractu in Causa vertēte inter D. Rodulphum, & eius 3 matrem: & ideo cùm ista † partita non sit duplicata, non adest dolus neque error, saltim præiudicialis. Et similiter partita soluta oculato, fuit etiam aliàs deducta, & non fuit habita in consideratione: quia promissio scutorum trium auri in auro quolibet mense, & quietantia huius summę, non excludunt quòd propter superuenientiam plurium litium, non habuerit residuum vsque ad summam scutorum quinque monetæ, pro recognitione suorum laborum, prout ipse attestatur habuisse. Partita quoque exacta à DD. de Comeis tempore redditæ rationis, erat solū scutorū 967. In qua summa fuit creatus creditor D. Rodulphus: & partitæ postea exactę non inferunt ad errorem computorum de tempore solidationis.

Postremò falsitas, quæ deducitur ex annotatione partitarum de anno 1601. non fuit visa Dominis di- 4 gna consideratione. Quia † ex partitis præcedentibus, & subsequentibus, & ex relatione periti, apparet quòd iste fuit error Copistæ, qui pro anno 1600. annotauit annum 1601.

Quare ex his, & ex latius deductis per informantes, & ex relatione periti, & ex decisionibus factis in Causa, Domini censuerunt non constare de sufficienti errore, non obstante relatione Vannelli, qui non fuit informatus à partibus, & falsò præsupponit in sua relatione, quòd fratres de Domo teneantur iustificare suas partitas, ostendendo ordines D. Rodulphi circa expensas factas pro eo, & quietantias illorum, quibus fuit solutum.

ROMANA PECVNIARIA.

Mercurij 9. Iunij 1604.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *In promissione soluendi totam summam, in qua quis, factis computis, debitor remanebit, censetur solum dilata solutio totius summæ post terminationem litis.*

2 *Quando in Commissione est præfixus terminus ad expediendam Causam; &, eo elapso, Causa non fuit expedita; remanet sublatum obstaculum dilationis.*

3 *Commissio non continens derogationem regulæ*, De iure quæsito non tollendo, *non præiudicat creditoribus.*

4 *Conditio habetur, secundùm Ius commune, pro adimpleta, quando non stat per implere debentem.*

DECISIO CCCCXXXVI.

DOmini concluserunt, D. Leonem posse petere executionem Instrumenti. Mouebantur. Quia in eo continentur duæ clausulæ diuersæ, & separatæ. In prima Alexander obligat, & hypothecat, & cedit Leoni omnia iura sibi competentia contra hæredes Iordani Vrsini: & ista hypotheca, & cessio, secundum Dominos, est pura, & simplex, & sine aliqua conditione, & limitatione. In secunda verò promittit soluere totam summam, in qua factis computis debitor remanebit, postea quam lis pendens coram Illustrissimo Cardinali Arigonio fuerit terminata: & in hac 1 † clausula est solum dilata solutio totius summę post terminationem litis; vt in his terminis fuit resolutum *in Causa Salamantina Pensionis* 16. *Februarij* 1582. *coram bon. me. Bubalo, & in Causa Ilerden. Canonicatus* 20. *Octobris* 1593. *coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio*. Et propterea cùm hodie petatur executio super Casali, quod erat Iordani, super quo adest hypotheca, & cessio pura, non potest retardari executio, respectu totius summæ.

Mouebantur etiam: quia ista dilatio executionis debet haberi pro impleta, propter Commissionem S. D. N. qui mandauit, quòd præfixo termino ad expediendam Causam, & eo elapso, & Causa non terminata, procedatur ad executionem Instrumenti. Et 2 cùm terminus † fuerit præfixus, & Causa non fuerit terminata, remanet sublatum obstaculum dilationis; & perinde est ac si Instrumentum esset putum, & non contineret dilationem ad soluendum.

Non obstat quòd Causa non fuit terminata facto Iudicis, qui Causam remisit ad Cancellariam. Quia hoc impedimentum non excusat Alexandrum: debebat enim facere debitam diligentiam pro expeditione Causæ in termino præfixo, &, si non potuisset illam obtinere, debebat petere prorogationem termini; quæ sine difficultate fuisset concessa; & sibi prouidere per nouam Commissionem Causæ. Et eo minus secundum Dominos venit excusandus, quia eò magis

diffe-

differebatur executio respectu solutionis totius summæ; & ideo eius multum intererat quòd Causa non expediretur; & ob hanc causam fuit negligens in procurando expeditionem Causæ, non solum in hoc termino, sed antea per longum spatium temporis.

3 Non obstat quòd † Commissio non contineat derogationem regulæ *de non tollendo iure quæsito*; & ideo non præiudicat creditoribus. Quia per hanc commissionem non infertur præiudicium creditoribus. Cùm enim hypotheca in bonis Iordani sit pura, vt dictum fuit: aut creditores sunt anteriores; & eis nullum infertur præiudicium: aut sunt posteriores; & præiudicium nascitur ex anterioritate hypothecæ, & non ex gratia Papæ. Cessat etiam præiudicium ex alio capite; quia cum Alexander fuisset negligens, in tribus annis, & vltra, in procurando expeditionem Causæ, ista Commissio præfixionis termini, in quo Causa deberet expediri, est conformis iuri communi, secun-

4 dū quod † conditio habetur pro impleta, quando nō stat per implere debentem; & omnis æquitas, & ratio repugnat, quòd deberet esse in potestate ipsius, non faciendo instantiam pro expeditione Causæ, eludere suam obligationem in præiudicium Leonis.

Non obstat pactum resolutiuum in euētum, quòd Alexander iuraretur suspectus de fuga, vel contra eum criminaliter ageretur. Quia non fuit processum hoc via; & istæ cautelę fuerunt appositæ ad effectum euitandi executionem personalem, & non realem, quæ solum petitur.

RECANATEN. PRÆDII.

Lunæ 14. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Clausula *refectis expensis*, apposita in Commissione, quid operetur.

SVMMARIVM.

1 *Clausula*, Refectis expensis, *operatur vt quis non possit agere sine refectione expensarum.*

2 *Depositum, super quo fuerunt illatæ molestiæ, non potest amoueri, nisi sublatis molestijs, vel præstita cautione de euictione, vel liberationis à molestijs.*

3 *Depositum acceptatum à creditore, si iste obtineat decretum de consignando, data cautione de restituendo, & ab eo præstita, habet vim solutionis, & inducit liberationem.*

4 *Acceptans depositum non potest amplius variare, sed debet instare pro consecutione illius.*

DECISIO CCCCXXXVII.

Domini resoluerunt, hæredes Sebastiani nō posse cogi ad solutionem residui pretij. Mouebantur propter formam Commissionis cum clausula, re-

1 *fectis expensis*, quæ † operatur vt Alexander non possit agere ante refectionem expensarum. Paris. *consil. 108. num. 15. lib. 4.* Nec in hoc casu expensæ possunt solui ex pecunijs depositatis: Quia cùm depositum

2 fuerit factum pro pretio predij, & super eo † fuerint illatæ molestiæ, quæ etiam hodie durant; non potest inde amoueri, nisi sublatis molestijs, vel præstita cautione de euictione, vel liberationis à molestijs, *leg. si post perfectam, Cod. de euict.*

Mouebantur etiam: quia, circumscripta hac clausula, & solutis expensis, non competit actio Alexandro contra emptorem, vel eius hæredes, pro residuo pretij: Quoniam cùm Sebastianus esset molestatus à Donis, non poterat aliud facere, quàm deponere: &

3 cum † istud depositum fuerit acceptatum ab Alexādro, qui, citatis Donis, institit pro illius consignatione, & obtinuit decretum ad sui fauorem, data cautione de restituendo; quæ postea fuit ab eo præstita; habet vim solutionis, & inducit liberationem, vt per

4 Doctores *in leg. acceptam, Cod. de vsur.* Et propterea † Alexander non potest amplius variare, agendo de nouo contra emptorem pro solutione pretij; sed debet dirigere suas actiones pro consecutione depositi; vt fuit resolutum in hac causa coram Reuerendissimo D. Pacen.

Non obstat quòd depositum fuit factum sine citatione Alexandri, & quòd instantia pro illius consignatione fuit facta à procuratore generali non habente hanc facultatem. Quia cessat omnis difficultas, cùm adsit approbatio huius depositi; & ratificatio expressa ipsius Alexandri, qui in executionem decreti obtenti ab eius procuratore super consignatione depositi, præstita cautione in fauorem creditorum, dedit cautionem de restituendo depositum sibi consignandum.

VARMIEN. CANONICATVS.

Lunæ 14. Iunij 1604.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Iura extracta ex Archiuio Ecclesiæ non probant contra non subditum.*

2 *Sola antiquitas non sufficit, vt scripturis non authenticis adhibeatur fides.*

3 *Sola Data non probat antiquitatem.*

DECISIO CCCCXXXVIII.

Domini resoluerunt, Iura non esse in forma probanti: Quia sunt exemplum exempli, extracta

1 ex Archiuio Ecclesiæ, quòd † non probat contra non subditum Caputaq. *decis. 42. par. 2.*

2 Non obstat antiquitas. Quia sola † antiquitas de per se non est sufficiens, vt scripturis non authenticis fides adhibeatur; vt fuit resolutum *in Causa Burgen. de Caranza 27. Octobris 1589. coram bon. memor.*

3 *Bubalo.* Vltra quod † sola Data non probat antiquitatem, vt sæpe fuit resolutum.

Non obstat obseruantia: Quia de illa non constat.

FERRARIEN. PRÆDII.

Lunæ 21. Iunij 1604.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Inuestituræ antiquissimæ, concurrentibus adminiculis, probant dominium.*

2 *Pro identitate bonorum, satis est quòd concurrant duæ demonstrationes; licèt alia non concurrant.*

DE-

DECISIO CCCCXXXIX.

Domini resoluerunt pro informante, constare de dominio Abbatiæ Sancti Bartholi, respectu prędij, de quo agitur. Quia concurrunt duæ inuestituræ antiquissimæ, quæ † concurrentibus adminiculis probant dominium; vt fuit resolutum coram me *in Causa Papien. Bouarum.* Et in hoc casu videbatur Dominis adesse adminicula sufficientia: quia inuestituræ sunt plures, & adest solutio vigesimę, & canonum.

Quantum ad identitatem, Domini censuerunt de 2 ea constare: Quia sufficit † quod concurrant duæ demonstrationes, licèt aliæ non concurrant, vt sæpius fuit resolutum: & tanto magis concurrente antiquitate tanti temporis. Et propterea non fuit habita in consideratione diuersitas nominis Villæ: quia nihilominus, ex illis duabus demonstrationibus probatur identitas. Et res minorem habuit difficultatem apud Dominos: quia istæ villæ sunt vicinæ, & contiguæ; & ideo potest esse quòd antiquitus fuerit vnica tantum Villa Casaliæ; & quòd postea fuerit diuisa in duas, quando fuit factum canale blanchum.

CORDUBEN. CAPELLANIÆ.

Veneris 25. Iunij 1604.

Ponitur hæc Decisio pro continuatione Causæ.

DECISIO CCCCXL.

Domini præstiterunt in decisis, quòd sit locus regulæ *de Triennali* ad eius fauorem; ex duobus vltimis fundamentis deductis in decisione, quæ consistunt in facto; & nihil contra ea deducitur pro parte Petri, qui noluit informare, licèt sæpius fuerit citatus.

PORTUGALLEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 28. Iunij 1604.

Non eget Argumento.

SUMMARIUM.

1 *Præsentationes modernæ non probant Iuspatronatus.*

2 *Quasi possessio non sufficit pro exclusione reseruationis.*

DECISIO CCCCXLI.

Domini concluserunt pro informante, non con-1 stare de iure patronatus: Quia † præsentationes sunt modernæ; & quia agitur de excludendo prouisum Apostolicum vigore resignationis in manibus 2 Papæ in quo casu, ad effectum † excludendi reseruationem, non sufficit quasi possessio. Caputaq. *deci. 29. lib. 1. in manuscr.*

PERUSINA DE ORDIS.

Lunæ 28. Iunij 1604.

ARGUMENTUM.

De clausulis, *Quatenus sint in vsu, &c, Quatenus sint iusta, & rationabilia*, appositis in confirmatione Statutorum.

SUMMARIUM.

1 *Clausula,* Quatenus sint in vsu, *refertur ad priuilegia & non ad Statuta.*

2 *Statuta ad fauorem agnationis, habentur pro iustis, & rationabilibus.*

DECISIO CCCCXLII.

Fuit resolutum, constare de confirmatione Statuti. Quia de illius existentia de anno 1511. secundum Dominos non potest dubitari; quoniam in Indice rubricarum Statutorum, qui fuit factus de illo anno à Notario publico, reperitur annotatum hoc Statutum sub rubrica 146. quod etiam hodie reperitur in libro Statutorum sub eadem rubrica 146. Et hoc eo magis dicendum est, propter adminicula, & coniecturas, quæ bene deducuntur per informantes: & firmata existentia Statuti de illo tempore, materia est clara, quia vltra aliàs confirmationes posteriores, adest confirmatio felic. record. Clementis Septimi de anno 1524.

Non obstat quòd habet clausulam, *Quatenus sint in vsu*. Quia iuxta resolutiones factas *in Causa Asculana dotis*, coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, & *in Causa Amerina Successionis*, coram R. P. D. Deca-1 no, illa clausula † refertur ad priuilegia, quæ etiam confirmantur; & non ad Statuta. Quoniam cùm ante confirmationem Statuta sint inualida, gratia confirmationis non potest esse fundata in isto abusu de facto sine auctoritate Sedis Apostolicæ, qui potius est causa denegandi, quàm concedendi confirmationem.

Non obstat alia clausula, *Quatenus sint iusta, & ra-2 tionabilia*. Quoniam † similia Statuta, propter fauorem agnationis, cui prouident, habentur pro iustis, & rationabilibus; vt fuit resolutum *in Causa Urbeuetana Castrorum coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, & in Causa Nucerina Successionis 29. Martij 1602. coram Reu. P. D. Sacrato, & in dicta Causa Amerina*. Et tanto magis, cùm istud Statutum prouideat solum in casum obitus filiarum sine filijs.

CIUITATIS CASTELLI FIDEICOMMISSI.

Lunæ 28. Iunij 1604.

ARGUMENTUM.

De intellectu clausulæ, *Et, si omnes quandocunque decesserint sine filijs legitimis, & naturalibus.*

SUMMARIUM.

1 *Clausula,* Et, si omnes quandocunque decesserint sine filijs legitimis, & naturalibus, *posita immediatè post reciprocam inter hæredes institutos, intelligitur de eisdem filijs, de quibus fit mentio in clausula præcedenti: & tollit facultatem disponendi suis filijs decedentibus sine filijs, & num. 4.*

2 *Verba substitutionis in dubio sunt referenda ad personas expressè, & principaliter vocatas, & non ad enunciatiuè expressas, & positas in conditione ad diuersum effectum inducendi substitutionem ad fauorem vnius ex filijs in casum obitus alterius sine filijs.*

3 *In dubio non debet extendi grauamen ad filios filiorum positos in conditione.*

5 *Dictio,* Omnes; *est distributiua plurium, & non verificatur in duobus.*

6 *Clausula,* Et, si omnes quandocunque, &c. *non comprehendit filios filiorum positos in conditione, quando concurrit verisimilis mens testatoris.*

7 *Vo-*

7 *Vocatio descendentium, cum clausula*, Omni meliori modo, *& prohibitio Trebellianicæ, sunt restrictæ ad casus, & personas expressas, & non ampliant fideicommissum.*

8 *Filius mente captus, maximè si dementia superuenit post obitum patris, facit deficere conditionem, si decesserit sine filijs, &c.*

DECISIO CCCCXLIII.

PRoposui Dubium in hac Causa pendente coram Reuerendissimo D. meo Episcopo Ciuitatis Castelli, An Andreas, & fratres de Christianis sint vocati ad fideicommissum à Nicolao de Rubeis in casum obitus filiorum ex filijs ipsius Nicolai. Cuius Dubij resolutio potissimum pendet ab intellectu illius clausulæ, *Et si omnes*, in qua vocantur Magdalena, & Elisabetha, & eorum filij; An illa verba, *Et si omnes*; sint referenda solum ad filios testatoris institutos, & reciprocè substitutos, sine filijs decesserint; vel etiam ad filios filiorum testatoris positos in conditione in substitutione reciproca inter ipsos filios. Quia si testator intellexit vocare Magdalenam, & Elisabetam, & eorum filios, non solum in casum obitus filiorum sine filijs, sed etiam in casum obitus filiorum ex filijs decedentium sine filijs; fideicommissum est clarum, cum Io: Franciscus, & Cæsar filij testatoris, & postea Nicolaus vnicus filius Cęsaris, decesserint sine filijs; & isti fratres sint filij Elisabethæ, & habeant cessionē à filijs Magdalenæ, qui omnes in illa clausula sunt expresse vocati. Si vero testator per illa verba, *& si omnes*, non intellexit de filijs filiorum positis in conditione, sed solum de filijs proprijs; in hoc casu non adesset fideicommissum: quia cum istæ feminæ, & eorum filij; sint solum vocati in casum obitus filiorum, sine filijs, fideicommissum expirauit per obitum filiorum, cum filio, licet postea filius decesserit sine filijs; vt per Oldrad. *cons.* 21. cuius opinio est communiter recepta à Doctoribus, & in Rota fuit sæpius canonizata. Domini concorditer censuerunt, sub illis verbis, *Et si omnes*, non esse compræhensos filios filiorum positos in conditione, & consequenter per obitum filij cum filio fideicommissum expirasse.

Mouebantur; Quia in clausula immediate præcedenti, continetur solum substitutio, reciproca inter proprios filios testatoris, quandocunque decesserint sine filijs legitimis, & naturalibus: & ideo illa verba immediate consecutiua, *Et si omnes quandocunque decesserint sine filijs legitimis, & naturalibus*, debent intelligi retentis eisdem terminis clausulæ præcedentis, non addendo nouam substitutionem diuersam à prima grauando filios filiorum, si decesserint sine filijs; sed solum vocando feminas, & eorum filios, si proprij filij decesserint sine filijs.

Et pro isto intellectu, secundum Dominos, omnes
1 regulæ concurrunt. Primo, quia cùm † ista verba sint posita immediate post clausulam præcedentem, recipiunt ab ea interpretationem, & restrictionem; vt intelligantur de eisdem filijs, de quibus fit mentio in clausula præcedenti; vt bene deducunt informantes.
2 Secundò, quia verba † in dubio sunt referenda ad personas expresse, & principaliter vocatas, & non ad personas enunciatiuè expressas, & positas in conditione ad diuersum effectum inducendi substitutionem ad fauorem vnius ex filijs in casum obitus alterius sine filijs. Ruin. *cons.* 136. *num.* 9. *lib.* 3. & fuit resolutum *in Causa Romana Domus, & viridarij* 27. *Ianua.* 1597. *&* 15. *Nouemb.* 1599. *coram D. Episc. Pacen.*

3 Tertiò, & vltimo: quia sufficit ad istum effectum, quòd verba non sint omnino clara: quia in dubio † non debet extendi grauamen ad filios filiorum positos in conditione. Et tanto magis, cùm ista clausula
4 multum operetur, tollendo † facultatem disponendi suis filijs decedentibus sine filijs. Grat. *resp.* 68. *num.* 7. *lib.* 1.

Mouebantur etiam, quia in clausula sequenti prohibetur alienatio dictis eius filijs; & illa relatio clare ostendit, quòd in clausula præcedente testator solum locutus fuerat de filijs: & cum in hac clausula subiungatur prohibitio restricta ad filios, nulla ratio suadet quòd testator voluerit solum prohibere filijs alienationem, & non nepotibus, si fideicommissum non debebat expirare per obitum filiorum sine filijs.

Non obstat, quòd cùm testator non haberet nisi
5 duos filios, illa dictio *omnes*, secundum † rationem recti sermonis, est distributiua plurium, & non verificatur in duobus. Bald. *in leg. in testamento in* 7. *quæst. num.* 11. *Cod. de testam. mil.* Anchar. *cons.* 68. *num.* 3. cùm alijs allegatis per informantes: Et propterea necessario dicendum est, quòd sint compræhensi sub illis verbis filijs filiorum positi in conditione: Quia
6 Dominis in hoc casu, in quo † concurrit pro hac parte verisimilis mens testatoris, à qua pendet tota ista materia, placuit contraria opinio, quam contra opinionem Anchatani defendit Bero. *in cons.* 70. *numer.* 11. *lib.* 2.

Non obstant coniecturæ, quæ deducuntur ad effectum inducendi vocationem positorum in conditione, quòd sint substituti descendentes, adiecta clausula, *omni meliori modo*, & prohibita detractio Trebellianicæ. Quia istæ coniecturæ in similibus terminis fuerunt reiectæ *in Causa Tudertina de Corradis, Bononien. fideicommissi de Sancto Petro*, & alias sæpius: Quo
7 niam † vocatio descendentium, cùm clausula, *omni meliori modo*, & prohibitio Trebellianicæ, sunt restrictæ ad casus, & personas expressas, & non ampliant fideicommissum.

Non obstat, quòd Cęsar decessit relicto filio mente capto. Quia nihilominus, secundum aliquos, ex
8 Dominis, per † eius existentiam deficit conditio si sine filijs decesserit; cùm ad illum effectum non sit necessarium quod filius sit capax, & successibilis, vt bene deducunt informantes. Et cessat in hoc casu omnis difficultas ex facto; quia dementia superuenit post obitum patris, vt bene deponunt testes.

ROMANA PECVNIARIA.

Lunæ 28. *Iunij* 1604.

ARGVMENTVM.

Causa ciuilis quando præiudicet criminali.

SVMMARIVM.

1 *Quando declaratur per sententiam, Instrumentum esse exequendum, tollitur omnis prætensio criminalitatis; & sententia parit exceptionem rei iudicatæ, in Causa criminali.*

2 *Cognitio Causæ criminalis præcedit regulariter cognitionem Causæ ciuilis.*

3 *Fallit,*

3 *Fallit, quando Causa criminalis pendet à resolutione Causa ciuilis; & sententia lata in ciuili parit exceptionem rei iudicatæ in criminali.*

4 *Declaratur Decisio Caputaq. 274. par. 2.*

DECISIO CCCCXLIV.

Fvit per Dominos resolutum, Causam ciuilem esse præiudicialem criminali, & propterea iuxta formam Commissionis esse inhibendum Iudici, Causæ criminali.

Mouebantur: Quia in Causa Ciuili petitur executio Instrumenti: & cum executio pendeat ab eius validitate, & exclusione vsuræ, necessario prius discutiendum est, An in hoc Iudicio Instrumentum sit validum, vel vsurarium, & propterea causa Ciuilis est præiudicialis criminali. Quia si Rota declarabit In-
1 strumentum esse exequendum, erit sublata † omnis pretensio vsuræ, & criminalitatis; & sententia pariet exceptionem rei iudicatæ in causa criminali. Bartol. *in leg. 2. §. hoc edicto num. 3. ff. de vi bon. rapt.* Curt. Iun. *cons. 351. lib. 3.* & fuit resolutum in *Causa Cæsaraugustana Iuris eligendi 27. Maij 1566. coram Sarmiento*, vt referunt Moderni *de attent. 2. par. cap. 4. limit. 23. num. 23.* & *in Causa Romana Hæreditatis de Stoch. 19. Martij 1593. coram bon. memor. Gipsio*, & *in Causa Interamnen. Pecuniaria 23. Iunij 1603. coram R. P. D. Coccino.*

2 Non obstat † quòd cognitio causæ criminalis præcedit cognitionem causæ Ciuilis, propter eius maioritatem, & præeminentiam, & exclusionem petitionis Ciuilis; & præsertim quando est cæptum agi in Cau-
3 sa Criminali. Quia ista non procedunt, quando † Causa Criminalis pendet à resolutione Causæ ciuilis; & sententia lata in Causa ciuili, parit exceptionem rei iudicatæ in Causa criminali, vt in specie fuit resolutum *in dict. Causa Cæsaraugustana*, in qua iam erat lata sententia in Causa criminali; & nihilominus fuit habita pro attentata; quia Causa ciuilis in Rota erat præiudicialis criminali, propter exceptionem rei iudicatæ in Causa criminali, quam pareret sententia in Causa ciuili. Et decisio Veralli 274. par. 2. quæ al-
4 legatur in cõtrarium, loquitur † in Iudicio ciuili moto coram Iudice Causæ ciuilis super falsitate Instrumenti, vt bene deducunt informantes. Et cessat in hoc casu omnis difficultas, quia ista deducenda erãt in Signatura, & non in Rota, quæ habet ex Commissione legem scriptam, quod constito quod Causa ciuilis sit præiudicialis criminali, inhibeatur Iudici Causæ criminalis; & propterea sufficit ad istum effectum, quod iuxta formam Commissionis Causa ciuilis sit præiudicialis criminali.

ILLERDEN. IVRIS BAPTIZANDI.

Lunæ 5. Iunij 1604.

Vide Decisionem 425.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus quando teneatur assumere partes Iudicis, & sit mixtus executor, & num. 2.*

3 *Sententia est nulla, si Episcopus procedat extraiudicialiter, vti merus executor, non citato nec audito capitulo.*

DECISIO CCCCXLV.

Domini resoluerunt pro informante, sententiam Episcopi Illerden. esse nullam. Fundamentum
1 resolutionis fuit: Quia cùm Ecclesia Cathedralis † esset in possessione baptizandi infantes priuatiuè quo ad alios; & pro parte Capituli fuerit protestatũ, qđ nihil fieret, nisi ipso audito, & petierit copiam Bre-
2 uis: in hoc casu † Episcopus tenebatur assumere partes Iudicis, & erat mixtus executor. Fel. *in. in capit. vlt. num. 24. de præsumpt.* Achill. *decis. 6. super reg. de triem.*
3 Et propterea † cùm processerit extraiudicialiter, vti merus executor, non citato neque audito Capitulo, sententia ex hoc capite est nulla.

Neque tollitur iste defectus ex preseruatione Iurium debitorum Ecclesiæ Cathedrali, quæ continetur tam in Breui, quam in sententia. Quia interesse Capituli versabatur in ostendendo, quod narratiua in gratia, ex qua Papa fuit motus, non erat vera; Et quod ideo gratia non debebat habere effectum, & propterea debebat citari, & audiri in huiusmodi pretensione.

ROMANA RETRACTVS PALATII IN MONTE IORDANI, EXTRA ROTAM.

Veneris 12. Nouembris 1604.

ARGVMENTVM.

An in vẽditione ad vitam habeat locum Decretum Camerale ad fauorem Inquilinorum, vel Bulla Gregorij XIII. *super Iure congrui*. Annus datus à Bulla ad redimendum, an currat à die scientię contractus, an à die adimpletæ conditionis, vt in casu Decisionis.

SVMMARIVM.

1 *Contrahentes promiscuè vtuntur verbo* Locare, *seu* Vendere.
2 *Contractus locationis, quomodo discernatur à contractu locationis.*
3 *Decretum Camerale, quoad ius retractus, fuit reuocatum in specie à Pio V.*
4 *In venditione ad vitam est locus retractui, vigore Constitutionis Gregorij: & num. 8. & 10.*
5 *Venditio ad vitam, licèt sit temporalis, est propria, & vera venditio; & in ea interueniunt omnia substantialia emptionis, & venditionis.*
6 *Substantialia contractus emptionis, & venditionis.*
7 *Constitutio Gregorij super Iure congrui tribuit Inquilinis ius retractus sine aliqua distinctione: & prospicit solum commoditati, & quieti Inquilinorum, & num. 9.*
11 *Venditio perpetua est propria venditio.*
12 *Contractus de sui natura possunt esse temporales.*
13 *Declaratur Tiraquell.* de vtroque retractu §. 1. gloss. 14. num. 8. & 9.
14 *Annus concessus retrahere volenti, incipit à die perfectæ venditionis per adimplementum conditionum, & numero 16.*
15 *In venditione ad vitam, periculum vitæ currit statim, ac dominium est translatum in emptorem.*
17 *Conditione pendente, non est locus retractui.*
18 *Non valenti agere non debet currere tempus ad retrahendum.*
19 *Explicatur Bulla* Retractus, *& num. 21.*

20 In

20 *In venditione domus, non facta solutione ex parte emptoris, non est locus restitutioni precij soluti ex parte Inquilini, vel vicini.*
22 *Tempus incipit currere à die contractus ante conditionem adimpletam, quando venditor constituit se possidere nomine emptoris, nisi constitutum sit limitatum per verba,* Cum pactis, & conuentionibus infrascriptis, *& num. 23.*
24 *Retrahere volenti tempus non currit pendente conditione.*
25 *Inquilinus, non facta denunciatione, habet annum à die scientiæ, an velit retrahere.*
26 *Recognitio Inquilini erga emptorem in dominum, intelligitur facta reuocabiliter, si dominium est reuocabile: Et potest intelligi de dominio, & possessione de præsenti, citra præiudicium Iuris retrahendi sibi competentis per totum annum, & num. 27.*
28 *Renunciatio non inducitur, quando verba necessariò illam non important.*
29 *Inuerisimile est, quòd Inquilinus voluerit sine causa sibi præiudicare, renunciando iuri, cuius renunciationem ab eo quis non petebat, nec poterat petere.*
30 *Consensus alienationi rei, in qua quis ius habet; & recognitio voluntaria; important renunciationem.*
31 *Protestatio Inquilini in recognitione emptoris in dominum, non est necessaria, quando ipse sit ius suum esse salnum.*

DECISIO CCCCXLVI.

COmes de Pitiliano locauerat Reuerendissimo D. Alæ Vrbis Gubernatori suum Palatium in Monte Iordano: deinde durante locatione idem Palatium locauit, seu vendidit ad vitam D. Iulio Magalotto, pro pretio scutorum 2500. monetæ; cum conditione, quòd Comes teneretur obtinere à Sanctissimo D. N. derogationem fideicommissi, & quòd interim non currat aliquod periculum vitæ dicti D. Iulij; & pensiones palatij spectent ad Comitem; & quòd obtēta, & exhibita in actis derogatione fideicommissi venditio perfecta censeatur.

Post obtentam derogationem fideicommissi, & acceptam possessionem Palatij à Dom. Iulio, idem Reuerendissimus D. Gubernator post annum à die initi primi contractus cum D. Iulio, sed infra annum à die obtentæ, & exhibitæ in actis derogationis fideicommissi obtento monitorio ab Illustrissimo, & Reuerendiss. D. Cardinali Camerario declarauit se velle præferri vigore Priuilegij inquilinatus. Et lite coram eo pendente, de consensu partium proposui hoc Dubium in Rota, An in hoc casu locus sit retractui: quod fuit per Dominos distinctum in tres difficultates.

Prima difficultas fuit, An in hoc contractu, qui non est perpetuus, sed temporalis ad vitam, sit locus retractui.

Secunda difficultas fuit, An annus, qui datur à Bulla ad redimendum à die scientiæ, quando non est secuta intimatio, currat à die scientiæ contractus, vel à die adimpletæ conditionis ex parte Comitis in obtinenda, & exhibenda, in Actis derogatione fideicommissi. Quia, si debet attendi tempus adimplementi, Monitorium est infra annum: si verò tempus currit à die scientiæ initi contractus, monitorium non fuisset obtentum in tempore, quia præsupponitur in hoc Dubio scientia Reuerendissimi D. Gubernatori ante obtentam derogationem.

Tertia, & vltima difficultas fuit, An Reuerendissimus D. Gubernator sibi præiudicauerit in iure retrahendi, quia consensit possessioni captæ per D. Iulium, & illum recognouit in Dominum, & possessorem, & ei promisit soluere pensiones.

Circa primam difficultatem, Domini non dubitabant, quòd iste fuit contractus venditionis ad vitam, & non simplicis locationis. Quia in denomioatione contrahentium non potest fieri fundamentum, cùm
1 † promiscuè vtantur verbo *locauit*, seu *vendidit*: & ideo est attendenda natura, & substantia contractus Bald. *in leg. 2. num. 2. Cod. commodati*. Et cùm ab ini-
2 tio fuerit † constitutum vnicum pretium, pro toto tempore incerto, & non habito respectu ad certam pensionem in singulis annis; iste est verus modus discernendi, quod est contractus venditionis, & non locationis. Glos. *in leg. 1. §. 1. & ibi Bart. num. 3. ff. de superfic.* idem Bart. *in leg. qui cotem, §. Maximus, ff. de public. & in quæst. 4. publicanus, num. 1.* Corn. *consil. 12. lib. 4.* Soccin. *cons. 88. num. 2. lib. 1.* Dec. *consil. 4. in fin.* Tiraquell. *de vtroque retract. §. 1. Glos. 14. numer. 86. & 87.*

Et hoc eo magis dicendum est, quòd ferè in omnibus alijs partibus à contrahentibus denominatur, simpliciter contractus venditionis, & emptionis; & adsunt plures clausulæ, quæ non bene conueniunt, contractui locationis.

Difficultas solum fuit inter Dominos, An in venditione ad vitam habeat locum decretum Camerale in fauorem Inquilinorum, vel constitutio felic. recor. Gregor. XIII. super iure congrui. Et quantum ad decretum Camerale, Dominis placebat illa opinio, quā alias Rota secuta fuit *in Causa Romana Retractus, 26. Februarij 1590. coram R. P. D. meo Decano*, quòd ho-
3 die † non sit amplius locus decreto Camerali; in fauorem Inquilinorum, quantum ad ius retractus; quia fuit reuocatum in specie per constitutionem Sanctæ memor. Pij V. cuius initium est, *Tanta est, &c.* Nec fuit amplius restitutum, per constitutionem Gregorianam: quia, vt apparet ex proemio, mens illius conditoris fuit vnica constitutione completi omnia, & quòd illa solum in futurum obseruaretur.

Verum fuerunt omnes concordes in alio capite,
4 quòd † in venditione ad vitam sit locus retractui vigore Constitutionis Gregorianæ,
5 Mouebantur: quia † venditio ad vitam, quamuis sit temporalis tamen est propria, & vera venditio, & in ea interueniunt omnia substantialia emptionis, &
6 venditionis: nempe † res ex parte venditoris, pretium ex parte emptoris, & consensus partium; &
7 propterea, cùm † Constitutio tribuat inquilinis hoc ius retractus sine aliqua distinctione, non debet restringi excludendo hanc speciem venditionis, quæ est vera, & propria venditio. Et pro ista opinione placuerunt Dominis rationes, & auctoritates, quæ latè deducuntur in voto bon. memor. Episcopi Otriolensis.

Et hoc eo magis dicendum est, secundùm aliquos ex Dominis, quia in §. 8. disponitur, quòd quæcunque venditio facta, non seruata forma illius Constitutionis, habeatur pro infecta: quæ verba sunt adeo
8 prægnantia, vt † non videantur admittere, hanc restrictionem, quòd excludatur venditio temporalis

ad vitam. Et in hanc sententiam omnes Domini facilius venerunt, quia *in dicta Causa Romana Retractus* Rota habuit eumdem sensum; & quia Bulla recepit istam interpretationem de tempore, illius conditionis, & daretur occasio suscitandi multas lites. Cùm enim iste casus successisset in Camera corā Archiepiscopo Corciren. fuit resolutum quòd iste casus venditionis ad vitam erat compræhensus in Bulla: & quia materia erat noua, & exemplaris, succedente postea simili difficultate inter Io: Baptistā Bencium, & Iacobam Carlenam, Sanctæ memor. Gregor. XIII. iussit Episcopo Oriolen. vt diceret, quod sentiret super ista difficultate: qui auditis partibus, post quatuor menses dedit suum Votum pro hac parte, iuxta quod fuit postea pronuntiatum in illa Causa à Dom, Passamontio, & Magistris Viarum.

Mouebantur etiam: quia Bulla in hac parte pro-
9 spicit solum commoditati, tranquillitati, & quieti
Inquilinorum, & illius auctor habuit solum pre oculis quandam æquitatem, quām etiam habuit decretum Camerale, vt extraneus Inquilinum ostetentem parem conditionem, non molestet in domo ab eo inhabitata, turbando ipsius quietem, & totius familiæ. Quæ ratio, & æquitas, militant tam in venditione perpetua, quām in venditione ad vitam: & ideo
10 eo est multum verisimile, quòd † sub verbis, quæ de
sui natura sine aliqua impropriatione sunt apta compræhendere venditionem ad vitam, fuerit de mente illius conditoris, velle comprehendere istum casum, qui sine difficultate erat prius comprehensus in decreto Camerali.

Non obstat quòd Bulla debeat intelligi de vendi-
11 tione perpetua, & irreuocabili, quæ est † propria
venditio: propter quam rationem in specie, quòd retractus non habeat locum in re data ad vitam, tenent Gerard. Bug. & Boer. qui referuntur à Tiraqu. *in dict. tractat. glos.* 14. *numer.* 89. quia venditio ad vi-
12 tam est propria, & vera venditio; cùm † contractus
de sui natura possint esse temporales *leg. vlt. Cod. de leg. vbi glos. in verb. contract.* Dat exemplum in venditione. Et ideo tam ex verbis, quàm ex mente, iste casus est comprehensus in Bulla: & propterea Tiraquel. *sub dict. num.* 89, relinquit cogitandum super illa opin. Gerar. & Boer.

Vltra quòd ille casus, habet particularem ratio-
13 nem diuersitatis: Quia illa † Consuetudo permitte-
bat retractum ad fauorem cōsanguinei, ne res exiret de familia: quæ ratio videtur cessare, quando res est reditura in familiam per mortem emptoris, & propterea non debet fieri illatio de illo casu ad istum, in quo Bulla prospicit commoditati Inquilini; quæ, vt dictum fuit, ita militat in venditione ad vitam, sicut in venditione perpetua.

Quantum ad secundam difficultatem, Domini concluserunt, quòd tempus Anni incipit solum cur-
14 rere † à die obtenti Breuis super derogatione fidei-
commissi, & illius exhibitionis in actis, & consequenter, monitorium fuisse factum in tempore ante lapsum anni.

Fundamentum resolutionis fuit: quia contrahentes, vt essent magis securi, sibi expresse prospexerunt, quòd venditio locum habeat, & perfecta censeatur à die obtentæ derogationis fideicommissi à S. D. N. & illius exhibitionis in actis: & interim conuenerunt, quòd Iulius non debeat currere periculum vi-
15 tæ, quod † iuxta naturam huius contractus debebat
currere, si dominium in eum erat translatū; & quòd pensiones spectarent ad Comitem. Et propterea, cùm perfectio contractus, vel saltim illius executio, dependeret secundum voluntatem partium, ab obtentu beneplaciti; & illud adimplementum non esset in potestate partium, sed dependeret a futuro euentu incerto, respectu temporis, & respectu concessionis, vel denegationis gratiæ derogationis: in hoc casu, in quo poterat succedere quòd contractus non haberet effectum, vel non haberet infra annum,
16 tempus anni, † secundum Dominos, non incipit cur
rere ante adimplementum. Tiraquel. *de vtroq; retract.* §. 1. *glos.* 10. *numer.* 47. *& de retract. conuent.* §. 2. *glos. vnica num.* 56. *&* 57. Socein. *cons.* 76. *num.* 7. *lib.* 1. & multos cōgerit in terminis retractus Matter. Doctor Hispanus *titul.* 11. *lib.* 7. *glos.* 6. *numer.* 31. vbi testatur, hanc opinionem esse veriorem, & æquiorem: & istam opinionem aliàs tenuit Rota *in Causa Romana Domus in monte Iordano coram Brauo* 26. *Octobris* 1579.

Et pro ista opinione Domini cōsiderabāt, quòd †
17 pendente conditione non est locus retractui. Neap.
in consil. Neapol. in titul. de iure congr. in verbo, emit. Tiraquel. *de retract. lignag.* §. 1. *glos.* 2. *num.* 22. *& sequ. & glos.* 10. *num.* 44. *&* 55. Et ideo secundum regu-
18 lam ordinariam, non † valenti agere non debet cur-
rere tempus ad retrahendum, *leg.* 1. *Cod. de ann. except. leg.* 1. *Cod. de bonis mater.*

Et hoc maxime dicendum est secūdum Dominos,
19 quia mens constitutionis fuit, præstituere † certum
tempus ad redimendum vicino vel Inquilino, quando venditio non habet aliquam conditionem suspensiuam, & incontinenti debet habere suam executionem: quoniam præscribitur in ea certa forma, quæ adaptatur solum contractui puro, & non contractui conditionali. Nam in §. 8. facta intimatione, præstituit vicinis, vel Inquilinis tempus quindecim dierum ad declarandum, an velint redimere; & spatium aliorum quindecim dierū ad soluendū pretium emptori. Et illud breue spatium temporis non conuenit contractui conditionali, qui potest non habere effectum, vel purificari post mensem. Et similiter non seruata intimatione, in Bulla disponitur, quòd infra annum debeat restitui à vicino vel inquilino pretium emptori, si emptor voluerit renunciare emptioni, & cauere ratione illius, prout Camerarius, & Magistri Viarum mandauerint; aliàs, quòd debeat deponere, & in possessionem inducatur, expulso primo emptore. Quæ omnia præsupponunt contractum purum ab initio, & repugnant contractui, qui non potest habere executionem, ante adimplementum: quia antequam sit certum, quòd contractus debeat habere effectum, non solet regulariter solui pretium
20 ab emptore; & † non data solutione ex parte emp-
toris, non est locus restitutioni pretij soluti ex parte vicini, vel Inquilini: & similiter ante effectuationem contractus non est necessaria cautio emptoris, pro securitate vicini, vel Inquilini; neque potest expelli emptor à possessione, quam non habuit ante adimplementum.

Non obstat quòd in Bulla exprimitur iste casus, cùm in ea disponatur quod currat tempus anni, licèt vicinus, vel Inquilinus ignorauerit conditiones, &

qua-

qualitates contentas in venditione. Quia Bulla, secundum Dominos, non loquitur de conditionibus, à quarum adimplemento pendet validitas, & effe-
21 ctuatio contractus venditionis; sed † loquitur, de conditionibus adiectis in contractu perfecto, & puro, concernentibus modum, & tempus solutionis pretij, & aliàs cautelas pro securitate emptoris.
22 Non obstat quòd tempus † incipit currere à die contractus ante adimpletam conditionem, quando venditor constituit se possidere, nomine emptoris. Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. glos. 10. numer. 55. &*
23 *glos. 2. num. 39.* Quia illa † clausula, in qua fuit appositum constitutum, non est simplex, sed limitata per illa verba, *cum pactis, & conuentionibus infrascriptis*. Et ideo cùm postea fuerit adiectum pactum clarum quòd venditio censeatur perfecta, post obtentam, & exhibitam in actis, gratiam derogationis fideicommissi, & quòd interim non currat periculum vitæ D. Iulij, & pensiones spectent ad Comitē: in hoc casu clausula constituti nō operatur effectum suum; quia ipsum quoque constitutum est conditionale,
24 & ideo † tempus non currit pendente conditione; vt bene deducit Tiraquell. *in dict. §. 1. glos. 2. num. 33.*

Circa tertiam, & vltimam difficultatem, Domini fuerunt etiam concordes, quod per illam recognitionem in dominum, & possessorem, cum promissione soluendi pensiones, Reuerendiss. D. Gubernator sibi non præiudicauit in iure retractus.

Ratio potissima huius resolutionis fuit: Quia
25 cùm † Inquilinus non facta denunciatione, habeat annum à die scientiæ ad declarandum an velit retrahere, interim durante anno, emptor debet habere possessionem rei emptæ, & fructus; & acquirit dominium reuocabile, sequuta declaratione Inquilini; vt in his terminis retractus bene deducit Paul. de Castr. *in consil. 430. lib. 2.* & plures congerit Tiraquel. *de retract. conuent. §. 3. num. 36. cum sequent.* & late deducit D. Siluestr. Aldobrandinus *in cons. 19. num. 25. &*
26 *consil. 25. num. 10. cum sequent.* & ideo ista † recognitio in Dominum, & possessorem, & expressio eius, quod tacite inerat; quæ iuxta subiectam materiam, & naturam dominij reuocabilis intelligitur reuocabiliter: & rebus sic stantibus, donec Inquilinus deliberauerit, an sibi expediat emere, & declarauerit suam voluntatem. Et hoc Domini comprobabant: quia iste erat actus necessarius; & recognitio est simplex, & sine verbis habentibus tractum in futurum:
27 ideo potest † intelligi de dominio, & possessione de præsenti, citra præiudicium iuris retrahendi sibi competentis per totum annum: & secundum regulam, in
28 materia renunciationis non inducitur † renunciatio, quando verba necessario illam non important; & tanto magis quando est ius de futuro. Put. *decis. 14. de restit. spoliat.*

Multum etiam mouit Dominos, quòd iste casus verisimiliter non fuit cogitatus contrahentibus. Quia Iulius quando fecit se recognoscere, non poterat cogere Inquilinum, vt renunciaret iuri retrahendi sibi competenti per annum: & ideo metiendo voluntatem à potestate, non est verisimile, quòd habuerit hanc intentionem acquirendi renunciationem, sed solum simplicem recognitionem, ad effectum vt in futurum non solueret amplius pensionem priori domino: & si Iulius non petebat, prout non poterat petere, ab Inquilino renunciationem iuris sui, redditur quoque ex parte Inquilini, multum inuerisimile,
29 quòd † sine causa voluerit sibi præiudicare, renunciando iuri, cuius renunciatio ab eo non petebatur, nec poterat peti, *leg. si defensor, §. qui interrogatus ff. de interrog. act.*

Non obstant Ripa, Tiraquel. & alij, qui allegantur per informantes. Quia illa est alia quæstio: lo-
30 quuntur † enim in præstante consensum alienationi rei in qua ius habebat; & in recognitione voluntaria: in quibus terminis verba de sui natura importabant renunciationem. Tiraquel. *in dict. tract. §. 1. glos. 9. num. 135. & §. 36. glos. 2. num. 50.* Et nemo est, qui tangat hanc difficultatem, quando recognitio fuit facta ab Inquilino, qui necessario debet recognoscere emptorem in dominum, & possessorem, & ei soluere pensionem, si vult permanere in domo durante anno ei præstituto ad redimendum: quia, vt dictum fuit, verè emptor est dominus durante illo anno, licet reuocabiliter.

Non obstat quòd saltem Inquilinus debebat pro-
33 testari. Quia cum verba non importent renunciationem, protestatio non erat necessaria: quia Inquilinus sciebat ius suum esse saluum, *leg. sicut, §. non videbitur, ff. quibus modis pign. vel hyp. soluatur.* Tiraqu. *dict. §. 1. glos. 9. num. 117.*

Non obstat quòd per istam recognitionem Reuerendissimus Dominus Gubernator, fuit effectus Inquilinus Iulij. Quia hoc verum est; sed cum retentione iuris, & Priuilegij primi Inquilinatus sibi competentis vigore Bullæ durante anno: & ideo ex illo iure potest retrahere.

VARMIEN. CANONICATVS.

Veneris 3. Decembris 1604.

Non eget Argumento.

SVMMARIVM.

1 *Pro impedienda immissione non admittuntur exceptiones, nisi sint probatæ, vel probandæ incontinenti.*
2 *Dilationes non dantur ad impediendam immissionem.*
3 *Citatus ad Causam, nisi opponat exceptiones releuantes, quibus excludatur Iudicium possessorium, non fit legitimus contradictor.*

DECISIO CCCCXLVII.

Fuit per Dominos resolutum, Laurentium esse immittendum in possessionem Canonicatus: Quia iustificauit reseruationem, & totam gratiam, & probauit omnia alia necessaria requisita, ad effectum immissionis. Et quamuis sit in Causa Capitulum, & prouisus ab eo; tamen non sunt legitimi contradictores: quia non docetur, quòd Capitulum habeat facultatem conferendi vigore Concordatorum, cum iura non sint in forma probanti: & ad effectum
1 † impediendi immissionem, non admittuntur exceptiones, nisi sint probatæ, vel incontinenti probandæ; vt per Doctor. *in leg. vltima, Cod. de edict. Diu. Adrian. Tollend.* Put. *decis. 7. de caus. poss. & propr.* Et hinc est, quòd in hac materia non dantur remissoriæ, sal-
2 tem cum retardatione: quia non † dantur dilationes ad effectum impediendi immissionem. Ioan. Paul. *decis. 85.* & fuit resolutum *in Causa Portuen. de Colum-*

na coram Illustrissimo Cardinali Seraphino, & in Causa Bononien. de Campegijs 22. Iunij 1584. coram Scoto. Et hoc eo magis dicendum est, quia fuit data compulsoria in partibus, quæ fuit acceptata per plures menses.

Non obstat, quòd Capitulum, & prouisus ab eo fuerunt citati ad Causam, ad instantiam Laurentij. Quia citatio est necessaria contra existentem in pos-
3 sessione; & , si † citati non opponunt exceptiones releuantes, quæ excludant iudicium possessorium, ad istum effectum non sunt legitimi contradictores; vt fuit resolutum *in Causa Vrbeuetana Castrorum 12. Decembris 1567. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino.*

CONIMBRICEN. PENSIONIS.

Veneris 28. Ianuarij 1605.

ARGVMENTVM.

Pensionario an solui debeat pensio pro tempore, quo Titularis fuit suspensus.

SVMMARIVM.

1 *Portio spectans ad Capitulum per ius accrescendi, transit cum suo onere. Si verò spectat per ius non decrescendi, remanet libera sine aliquo onere, & num. 2.*

3 *Intentio Papæ in reseruatione pensionis est, velle afficere distributiones ab initio onere pensionis, ante præstitum seruitium, & acquisitionem Titularis, & num. 6.*

4 *Pensio imponitur in fauorem pensionarij, cui sine aliquo seruitio est debita.*

5 *Pensio omni tempore solui debet pensionarijs, absque aliqua subductione ratæ tempore vacationis.*

7 *Capitulum post impositam pensionem non potest amplius iure proprio per ius non decrescendi percipere distributiones in præiudicium pensionarij.*

8 *Facta à Papa separatione ratæ debitæ pensionario, Capitulum non potest illam ratam separatam percipere iure non decrescendi: sed iure accrescendi, quod transit cum suo onere, & num. 9.*

10 *Pensionarius potest pro solutione pensionis dirigere suas actiones contra titularem excommunicatum, vel suspensum, qui sua culpa non potuit inseruiendo lucrari distributiones: Vel contra Capitulum, quod eas percepit.*

DECISIO CCCCXLVIII.

Proposui in Rota Dubium de ordine Sanctissimi Domini Nostri. An pensio reseruata super fructibus Canonicatus, & scolasticæ ad fauorem Francisci Vazpinto, sit soluenda per Capitulum Conimbricense pro tempore, quo Ioannes fuit suspensus. Pro cuius Dubij resolutione, Informantes pro vtraque parte erant concordes, in conclusionibus Iuris in materia iuris accrescendi, vel non decrescendi;
1 quòd † quando portio spectat ad Capitulum, per
2 ius accrescendi, transit cum suo onere: si verò † spectat ad Capitulum, per ius non decrescendi, remanet libera sine aliquo onere penes Capitulum: quia illa portio numquam fuit titularis, & ideo non decrescit à Capitulo; sed remoto obstaculo illam percipit iure proprio, tamquam propriam ipsius Capituli. Sed erant discordes in facto, circa applicationem, an versemur in iure accrescendi, vel non decrescendi. Et in hoc non potuit statui aliquid certi: quia non sunt acta in Curia, & non possunt videri, quomodo sint institutæ istæ distributiones. Et propterea omisso hoc fundamento, Domini firmarunt, quòd quamuis pensio imponatur super distributionibus scolasticæ, vel alterius dignitatis, quæ non acquiruntur à titulari, ante præstitum serui-
3 tium; tamen intentio † Papæ est, grauare ab initio in fauorem pensionarij, non solum omnes illas distributiones, quæ acquirerentur titulari post seruitium, sed etiam eas, quæ sunt debitæ Canonicatui, & scholasticæ, quas titularis residendo, & inseruiendo acquisiuisset. Et mouebantur,

Primò, quia in literis reseruationum exprimitur valor distributionum, quæ sunt debitæ titulari, si inseruiat; & non illarum, quæ actu acquiruntur. Et propterea necessario dicendum est, quòd Papa voluerit afficere distributiones ab initio onere pensionis ante præstitum seruitium, & acquisitionem titularis.

4 Secundò, Mouebantur: quia † pensio imponitur in fauorem pensionarij, cui sine aliquo seruitio est debita: & ideo respectu pensionarij Papa intelligit grauare distributiones ab initio, non habito respectu ad seruitium, & acquisitionem titularis.

Tertiò, Mouebantur: quia si non admitteretur iste intellectus, perceptio pensionis redderetur Conditionalis, & penderet ex seruitio titularis: eo enim suspenso, vel aliter absente, pensionario non competeret actio pro consecutione suæ pensionis, saltim contra Capitulum: Et similiter ei non deberetur pensio tempore vacationis dignitatis, super qua est imposita, Et hoc est multum absurdum, & contra verisimilem mentem Papæ, & stylum hactenus serua-
5 tum, secundum quem † pensio omni tempore debet solui pensionarijs absque aliqua subductione ratæ tempore vacationis.

Quartò, & vltimò. Mouebantur: quia succedente simili casu inter Capitulum Ecclesiæ Vlixbonensis, & Alphonsum Colonna, petebatur pensio imposita super distributionibus Canonicatus à Capitulo pro rata temporis vacationis, & absentiæ titularis; & Capitulum se defendebat, quòd non tenebatur; quia distributiones perceperat iure pro-
6 prio ex iure non decrescendi: & † Sanctissimus Dominus Noster per sua Breuia declarauit, quòd tenebatur ad solutionem: quia pensio erat imposita super distributionibus, & ipsæ distributiones hoc onere reall erant grauatæ, & pro solutione pensionis obligatæ, & hypothecatæ: & ideo hoc onus pertinebat ad Capitulum, à quo distributiones erant perceptæ, Et ista Breuia multum mouerunt Dominos: quia ex eis elicitur clara mens Papæ, quòd intellexit ab initio grauare in abstracto, illas distributiones, quas titularis lucratus fuisset in seruitio; cùm in huiusmodi Breuibus cõtineatur declaratio clara, quòd distributiones sunt grauatæ, & pensio debetur à Capitulo pro tempore, quo titularis non inseruiuit.

Et ex hac conclusione Domini inferebant, quòd
7 † cùm Papa imponendo pensionem, affecerit ab initio distributiones secundum earum naturam, siue sit assignata, siue non sit assignata Massa particularis Canonicis, & dignitatibus; Capitulum non potest amplius illas percipere in præiudicium pensionarij iure proprio, per ius non decrescendi. Quia cùm Papa
8 † separauerit, & abstraxerit ab initio illam ratam,

quæ

quæ debetur pensionario, illam portionem separatam Capitulum, non potest percipere iure proprio, propter istud obstaculum separationis, & diuisionis. Bald. *cons. 362. vers. & vbi lib.* 1. Paul. de Castr. *cons. 262. vers. dicit autem*, *Bart. lib.* 2. Et propterea neces-
9 sarium est quòd veniat † ex Iure accrescendi, quòd transit ad Capitulum, cùm onere pensionis; vt per Doct. *in leg. re coniuncti, ff. de leg.* 3. Et ista opinio eo magis placuit Dominis, quia habemus declarationem in alio casu S. D. N. à cuius mente pendet ista materia: & Rota aliàs eandem opinionem amplexa fuit, quæ est etiam multum æqua, & ex ea euitantur multa absurda.

Non obstat quòd Ioannes ex sua culpa, propter suspensionem non perceperit distributiones. Quia
10 pensionarius habet duplicem viam: potest † enim dirigere actiones suas contra excommunicatum, vel suspensum, qui ex sua culpa non potuit inseruire, & lucrari distributiones; vt per Gig. *de pens. cons.* 64. Et similiter, cùm habeat obligatas distributiones quo-
11 tidianas, potest † agere contra Capitulum, à quo sunt perceptæ, pro solutione pensionis.

FIRMANA BONORVM.

Veneris 11. Februarij 1605.

Ex Summario desumitur Argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Catastum non probat in præiudicium rei, & possessoris.*
2 *Societas omnium bonorum, ad hoc vt sint comprahensa in hæreditate, tria requirit: nempe, habitationem communem; communicationem lucrorum; & quòd non fuerit reddita ratio expensarum.*
3 *Articuli, quamuis datis à procuratore, si sint medio iuramento specificati à principali, perinde est, ac si essent dati ab ipso, eique præiudicant.*
4 *Testes examinati in Iudicio summario manutentionis non probant in petitorio.*
5 *Confessio principalis contraria testibus, præualet eorum depositioni.*

DECISIO CCCCXLIX.

DOmini concluserunt, bona non spectare ad Angelum, & Bartholomæum. Mouebantur; quia non probatur clarè, & concludenter, quod illa bona fuerint relicta in hæreditate Bartholomæi; ita vt debeant succedere pro virili, iuxta dispositionem iuris communis: quia Catastrum non percutit tempus mor-
1 tis Bartholomæi; & † non probat in præiudicium, rei & possessoris; vt fuit resolutũ coram me *in Causa Prænestina Molendini 16. Februarij de anno præterito*, Et hoc eo magis dicendum est, quia postea inter eos fuit secuta diuisio, quæ debet attendi, etiam si bona fuissent Bartholomæi,

Non obstat societas omnium bonorum, in quo fuit
2 per informantes fundamentum principale. Quia † ad istum effectum sunt necessaria tria requisita copulatiuæ: Communis habitatio, communicatio locorum, & quod non fuerit reddita ratio expensarum; vt fuit resolutum *in Causa Romana de Cruciarijs 20. Februarij* 1568. *coram bon. mem. Cardinali Lancellotto*; & saltim duo vltima requisita, non probantur; & primum etiam, secundum Dominos, non probatur concludenter. Et cessat in hoc casu omnis difficultas: quia in articulis datis pro parte Angeli continetur diuisio, & quòd prius possedit ista bona, vti propria.
3 Et quamuis † isti articuli sint dati à Procuratore tamen fuerunt specificati ab Angelo medio Iuramento; & ideo perinde est, ac si essent dati ab ipso, & ei præiudicant Caputaq. *decis. 144. lib. 1. in manuscrip.*

Et tanto magis concurrente depositione vnius Testis, qui probat diuisionem vltra quod dantur actus contrarij, qui excludunt §. 8. omnium bonorum.

Non obstãt depositiones testium. Quia testes examinati coram me sunt examinati sine citatione partis ad videndum iurare testes, & fuerunt examinati in Iudicio summario: ad effectum mandati de manu-
4 tenendo: & ideo † non probant in petitorio. Put. *decis. 1. de Testibus.* Et tanto magis, cum sint positi ad partem. Alij verò testes non concludunt, & om-
5 nes habent contra † se confessionem Angeli, quæ præualet eorum depositioni Bartolus *in leg. 2. §. creditum numero 7. ff. si cert. petat.* Soccin. *consil. 44. num. 4. lib. 4.*

FINIS.

INDEX VERBORVM

Sub quibus extenſus reperitur ſequens Index Materiarum.

De-

Obi-

Index Verborum.

FINIS.

INDEX NOTABILIVM,

QVÆ IN DECISIONIBVS CARDINALIS MILLINI CONTINENTVR.

A

Tollit

den-

CO-

D

DE-

E

GE-

to ad

Per-

Re-

Ne-

O

Non

In

Q

forti-

Item

Qui-

Non

De-

VILI-

F I N I S.